Inv. 3-304

R 5-7
XV 40
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
1
12 -C
11
ROMA

IANI PARRHASII NEAPOLITANI

VIRI VNDECVNQVE DOCTISSIMI
in CL. Claudiani de Raptu Proſerpinæ libros
Cōmentarius longè eruditiſsimus: in quo præ-
ter autoris huius expoſitionem, quamplurima
ex alijs quoq; autoribus loca à cæteris Interpre-
tibus uel non animaduerſa hactenus, uel per-
peram intellecta, uel deprauata etiam, quàm
diligentiſsimè tractantur, expli-
cantur, reſtituuntur.
Quorum catalogum ſtatim Præfationem ſe-
quens Elenchus indicabit.

Acceſsit præterea & autoris uita per eundem Parrhaſium, & rerum uerborumq; memorabilium locupletiſsimus
INDEX.

BASILAEE.

AD AMPLISSIMVM VIRVM IAFREDVM CAROLVM, HVMANI diuiniq; iuris conſultiſsimum, Delphinatus præſidem, ſanctiſsimiq; Senatus Inſubrum Principem,

IANVS PARRHASIVS NEAPOLITANVS S.

SVCCENSEBAM (fateor) olim tacitus hominũ noſtri temporis audaciæ, penè præcipiti, qui ſcabras adhuc informesq; ſuas expoſitiones, ut excipiuntur ab auditoribus, in uulgus edant: unde plerunq; fit, ut quæ legenda uelut ab ſe probata dederãt, iterum ſub incudem reuocare, quodq; miſerius eſt, errata fateri ſua cogantur. Ecce nunc uſu doctus, palinodiã recanto, rurſusq; abſoluo quos accuſabam. nec aliud facturos autumo, quicunq; hac ætate profitendi ſubibunt aleam. Nõ eſt (ne nobis blandiamur) hodie non eſt, Horatio bene monenti parêre, ſcriptaq; uel in paucos menſes, nedum (quod illi placet) in annos nouem comprimere, niſi laboris ſui fructu fraudari quis uelit. Adſunt enim ignauiſsimi quidam fuci, qui fauis alienisq; mellificationibus inſidiantur: & quæ multo longoq; ſtudio comperta ſunt ab alijs, impudentiſsimè pro ſuis oſtentant. ut iſte uix ſatis idoneus impreſſor, qui

In Liuium caſtigationes Parrhaſij.

caſtigationes in Liuium meas ex magna parte ſubripere, tibiq́ nuncupatim dicare non erubuit: in quo nõ minus exiſtimationi tuæ, quàm mihi fecit iniuriam. quaſi uero diuinus tuus animus interceptis gaudeat rebus, & in hoc etiam ſuperos non imitetur, quibus (ut Porphyrius auctor eſt) furta non litant. Ego, uir integerrime, triennio iam Liuij bellum Macedonicum frequenti profeſſus auditorio, ſingulis lectionibus emẽdaui, quod ante nos (abſit uerbo inuidia) nemo tentauit: oſtendiq́ certiſsimis argumentis, ab eo quam dixi decada deprauatam, locis amplius mille. Veritus itaq;, ne ſua laniena per nos in lucem proderetur, editione præuenire feſtinauit: eamq́ rem diſsimulanter melaturum ſperauit, ſi ſub umbra tui nominis emitterentur: ac ſi non eadem gratiora tibi futura ſint à proprio iuſtoq́ domino, quàm ab inuerecundo plagiario. quum præſertim nuſquam ille potuerit afferre correctionis alienæ rationem, quod nos inter legendum fecimus, proximaq́ fœtura faciemus, quæ propediem ſub tuis auſpicijs exibit in publicum, ſex in toto Liuio uulnerum ferè milibus à me curatis, aut ſplenio contectis. Interea Claudianum meum leges, tibi fato debitum. quippe qui tunc illuſtrari cœptus eſt, quum ſacroſanctus potentiſsimusq́

muſq; Rex in hac ulteriore Gallia te præfecit Inſubribus: uirum quærens erecti aduerſus pecuniam animi, liberi aduerſus offenſas, conſtantis aduerſus inuidiam: quo tempore prouincia non minus exitialibus, quàm pudendis aliorũ rapinis exhauſta, ſuæ Maieſtatis opem implorabat. Et nunc iterum te ſanctiſsimi Senatus principe, retractatus à nobis idem poëta, uelut anguis depoſita cum ſenectute pelle, renaſcitur & iuueneſcit, unà cũ ſeculo, quod ampliſsimus pater Stephanus Poncherius, Lutetiæ Pariſiorum Pontifex, aureum nobis fecit: & ipſe traditum per manus ita conſeruas, ut eius cui ſucceſſiſti deſiderium ferant omnes. id quod arduũ, factuq; multis incredibile uidebatur: & rectè. Non enim temere cuiuis alteri contigiſſet hoc idem, præterquàm tibi, qui ſimilem uitæ ſemitam teris: & quas ille ſibi, perpetuas tibi comites adiunxiſti, Iuſtitiam, Fortitudinem, Temperantiam, atq; Prudentiam: remotisq; nugis, optimum & doctiſsimũ quenq;. Si quis enim aliquam ſignificationem uirtutis ubiq; dedit, in amicis habetur. In regendis urbibus non familiariſsimos, ut alij, ſed innocentiſsimos legis: abs te res eorũ domeſtica ſuſtentatur, augetur, amplificatur: locupletantur diuitijs, honoribus honeſtantur. Amicitias tueris priuati fide,

Iafredi Caroli laus.

præſidis opulentia: curarum remiſsionumq́ tempora ſapienter ordinas. Vbi iudicia poſcũt, grauis, intentus, ſeuerus, & aliquando miſericors: ubi ſatis officio factum, nulla poteſtatis ultrà perſona. Nec tibi (quod eſt rariſsimum) aut facilitas autoritatem, aut ſeueritas amorem minuit. Hinc es aſſecutus, ut omnes te tanquam numen colant, ingenijq́ ſui monimenta ad te certatim deferant. Exemplo quorum nos etiam munuſculum, non pro tua fortuna, ſed pro noſtra copia, tanquam è ſpicilegio manipulũ conſecrauimus. Id ſi, qua fronte ſoles, acceperis, enitar ut altera meſſe plenas & uberrimas fruges aris tuis imponamus. Bene uale, Muſarum patrocinium. Mediolani, Pridie Eidus Decembris.

AVTORES, QVOS HOC IN OPERE Ianus Parrhaſius & ij per quos ipſe profecit ſequuti ſunt, ac paſſim citant.

A

Acarion.
Actius poëta.
Acuſilaus.
Aceſander.
Aceſtodorus.
Aelius cognomēto Præconinus, et Stilo, quod orationes nobiliſsimo cuiq; ſcribere ſolebat.
Aemilius Probus.
Aeſchines Sardianus, Iamborum poëta.
Aeſchylus.
Agametor poëta Pharſalius.
Agathon Samius.
Agrœtas rerum ſcriptor.
Agathocles, qui item Alexāder Polyhiſtor.
Alexander Mendeſius.
Alexander Epheſius.
Alcman poëta Lyricus.
Alcæus.
Ammianus Marcellinus.
Ambroſius.
Anacreon.
Antiochus hiſtoricus.
Antipater poëta.
Andro Teius.
Anaximander.
Antimachus.
Antiphon.
Antigonus.
Androclides.
Anaxagoras.
Apollodorus, qui de temporibus Græcè ſcripſit.
Apollonius, qui Argonautica.
Appianus Alexandrenus.
Aphthonius rhetor.
Apophroditus, is qui latinè de Geometricis formis elegantiſsimè ſcripſit: alter ab Epaphrodito Græco grammatico.
Apuleius philoſophus.
Apronianus.
Ariſtoteles.
Aratus poëta.
Archemachus.
Ariſtophanes ueteris comœdiæ poëta.
Ariſtophanes grammaticus.
Ariſtides orator.
Arrianus philoſophus, & rerum ſcriptor.
Ariſtus Salaminus.
Arcadius Antiochenus grammaticus.
Ariſtænetus.
Artemon.
Ariſtonicus.
Ariſtodemus.
Artemidorus: qui fecit Epitomen geographiæ.
Aſconius Pedianus.
Aſinius Capito.
Aſper grāmaticus profeſſor.
Aſclepiades.
Athenæus.
Atrometus.
Aulus Gellius.
Auienus.
Auguſtinus.

B

Bacchylides poëta.
Baſilius magnus.
Beroſus.

C

Callimachus.
Carcinus tragœdiarum poëta.
Caluus poëta.
Catullus.
Cato.
Caius, iuris ciuilis autor

Caper

Caper grammaticus.
Carminius.
C.Cæſar.
C.Iulius Romanus.
Cælius hiſtoricus.
Caſtor.
Calliſthenes.
Callias, qui res Agathoclis hiſtoria complexus eſt.
Celſus iuris ciuilis autor.
Cenſorinus.
Cephalo Gergithius.
Carax.
Charon Lampſacenus.
Chærilus Athenienſis tragœdiarũ poëta.
Chæris.
Chryſippus.
Cicero.
Cincius.
Clidemus hiſtoriarum ſcriptor.
Cleanthes.
Clemens Sidonius.
Coruilius.
Cornelius Labeo.
Columella.
Conon Heracleæ ſcriptor.
Coſmes.
Crates.
Curiatius.

D

Damaſtes Sygæus.
Democritus.
Demon.
Demoſthenes orator.
Demagoras Samius.
Diotimus, qui Herculis certamina Græcè ſcripſit.
Dionyſius Apher.
Diodorus.
Dionyſius Mileſius, qui ſcripſit Argonautica.
Didymus grãmaticus.
Dion Callantianus.
Diocles.
Dion Pruſicus.
Dion Coccianus.
Doſitheus.
Donatus.
Duris Samius.

E

Egnatius.
Egeſander.
Egeſippus.
Elius Græcus autor.
Empedocles.
Ennius poëta.
Epaphroditus.
Epimenides.
Epigenes.
Ephorus.
Epicurus.
Eratoſthenes.
Euſtathius.
Euphorion poëta.
Euripides.
Euhemerus Meſſenius.
Eumelus Corinthius.
Eubulus.
Euſebius.

F

Fabius Quintilianus.
Fl. Soſipater Chariſius, ex illa felici noſtra Campania: ut ipſe de ſe prodit in uerbo, quod eſt primo pedatu.
Frontinus.
Fulgentius.

G

Granius Flaccus, q ſcripſit indigitamenta.

H

Hammonius.
Harpocration.
Heſiodus.
Hecatæus.
Hellanicus.
Herodotus.
Herodorus.
Heraclides Ponticus.
Heracletus.
Hermias Platonicus.
Hermippus, qui de ſide r.bus Græcè ſcripſit.
Hero Mathematicus
Herodianus.
Hiſter q de tragœdia. quem pleriq; per i tenuem notant.
Hippias Delius.
Higynus.

Higynus.
Horatius Flaccus.
Hyllus, qui de Dijs opus condidit.
Hieronymus.
Homerus.
Hoſthanes.
Horus.

I

Idomeneus, qui Troica ſcripſit.
Interpres Lycophronis.
Interpretes Apollonij.
Interpres Arati.
Innominatus Homeri Interpres.
Interpres Nicandri, quē pro Diphilo quidam citant.
Ion Dithyramborum poëta.
Ioſepus.
Iſagoras hiſtoricus.
Iuba Rex.
Iulius Frōto, uel (ut alij codices habēt) Frontinus: qui Strategemata, aquæductus, et agrorum conſtitutiones expoſuit.
Iulianus Cæſar.
Iulianus iuris ciuilis autor.
Iuuenalis.
Iulius Maternus.

L

Lælius, inter principes grammaticos, ut ait Soſipater. hic eſt ille Lælius, quem Varro audiuit.
Leon.
Lepidus, qui Græcè ſcripſit Epitomen hiſtoriarum.
Lycophron.
Lycus Rheginus.
Lycus, qui Thebanā ſcripſit hiſtoriam.
Lucianus Samoſatenus.
Lucretius.
Lucilius poëta.
Lucanus.
Lutatius Placidus.

M

Manilius, cuius meminit Plinius.
Martialis.
Macrobius.
Martianus Capella.
Menander.
Metrodorus.
Menelaus.
Minutius Felix.
Mnaſeas Patreus.
Modeſtus.
Muſæus.
Mycus Neapolitanus, antiquus & Græcus autor.

N

Nearchus.
Nicander.
Nicocrates.
Nicanor.
Nicator, qui de nomenclaturis oppidorum Græcè ſcripſit.
Nicolaus Damaſcenus.
Nigidius Figulus.

O

Opilius.
Oppianus.
Orpheus in Argonautico.
Orphei hymni, quos Pauſanias ad Onomacritum refert.
Ouidius.

P

Pacuuius.
Pamphos, ante Homeri tempora poëta.
Pallas, qui Mithræ myſteria Græcè ſcripſit.
Parthenius, qui de amātibus.
Panyaſis, qui cecinit Heraclea.
Parmenon Byzantius.
Pauſanias.
Petellides Cnoſius.
Perſius.
Petronius Arbiter.
Phanodicus.
Phanocles poëta.
Pherecydes.
Philo.

Philiſtus.
Philoſtephanus.
Philochorus.
Philoxenus.
Philoſtratus.
Philetas.
Phileas.
Phocyllides.
Pindarus.
Piſides.
Piſo.
Pythagoras.
Pythocles.
Plato.
Plinius auunculus.
Plinius nepos.
Plutarchus.
Plotinus.
Polemon.
Polyænus Macedo, qui Strategematon octo libros Antonino Veroq; Cæſari nuncupauit.
Porphyrius philoſophus.
Polycletus, qui res Siculas cecinit.
Pomponius Mella.
Pomponius iuris ciuilis autor.
Proculus, qui item.
Propertius.
Probus grammaticus.
Priſcianus.
Prudentius.
Praxilla.
Proxenus.
Procopius.

Q

Qui Thebaida Græcè ſcripſerunt.
Quintus poëta: qui in Iliade conſumanda ſucceßit Homero.
Q. Curtius.

R

Rhemnius Fannius.
Rhianus poëta.

S

Salluſtius, quod nomen duplici notatur L. ut Capella Martianus autor eſt.
Scamnon.
Seleucus.
Semus Delius.
Serapion Aſcalonites.
Seuerianus.
Seneca philoſophus.
Seneca tragœdiarum ſcriptor.
Seſtius.
Serenus Sammonicus.
Sedulius.
Sextus Pompeius Feſtus, qui Verriũ contraxit.
Seruius Honoratus.
Silius Italicus.
Sibylla.
Simonides.
Silenus.
Socrates.
Sophocles, tragœdiarũ poëta.
Sophron Mimographus.
Soſtratus, qui res Tuſcanicas ſcripſit.
Soſitheus.
Solinus.
Statius.
Statilius Maximus.
Strabo.
Stephanus, qui gentes exponit.
Suidas hiſtoriarum ſcriptor.
Suidæ monimenta. quẽ qui Sudã uocari malunt, in re parum neceſſaria ſudant.
Suetonius Tranquillus ex hiſtoria Cæſarũ: & arte grammatica.

T

Tertullianus.
Theætetus.
Theopompus.
Theocritus.
Themiſtius.
Theagenes, qui de rebus Macedonicis ſcripſit.
Thraſybulus.
Thucydides.
Timagetus.

Timagetus.
Timæus.
Timonax, qui Scythica ſcripſit.
T. Liuius.
Tibullus.
Trogus Pompeius.
Tryphon.

V

Varro.
Valerius Maximus.
Valerius Flaccus.
Vergilius.
Verrius Flaccus.
Vegetius.
Vetruuius Rufus archi tecton.
Vlpianus, iuris ciuilis autor.

X

Xanthus Lydius.
Xenagoras.

Z

Zeno Stoicus.
Zenodotus.
Zenobius, Hadriani tẽporibus rhetor, qui Didymi Tarrhæiq; prouerbiorum fecit Epitomen.

Hos Autores adijciendos curauimus, ut quibus doctorum præſidijs uallati ſimus, omnes intelligant.

ELENCHVS LOCORVM, IN QVIBVS non conuenit Iano cum cæteris Interpretibus apud alios autores: quorum locos uel perperam hactenus intellectos obiter explicauit, uel deprauatos reſtituit.

APVD VERGILIVM.

Vergilij uita non à Seruio, ſed à Tiberio Donato perſcripta. Pag. 3. Verſ. 31

In Bucolico carmine, Tardi uenere bubulci: non ſubulci legendum uideri. 162.7

Ex *primo* Georg. *Tuq; ô cui prima frementem Fudit equum magno tellus percuſſa tridenti: quæ'nam ſit illic prima tellus, & cur.* 9.20

Ex *eiuſdem tertio; Troiæ* Cynthius *autor: quis intelligendus.* 227.10

Ex *quo ritu ſcribens ad* Meſſalam, *dixit: Aurea ſollenni comptũ quẽ fibula ritu* Mopſopio, *tereti nectebat dente cicadæ.* 10.6

Ad eundẽ, Docta Palæpaphia *teſtatur uoce pachynus:* Palæphatia *papyrus emendandũ uideri.* 269. 24

Itẽ uerſus aliquot ex eadem Ciri caſtigati. Ead. 35

Aeneidos *primo, Spumas ſalis ære ruebant: non de remis intelligendum.* 80.26

Itē: Nunc quales Diomedis equi, nūc quantus Achilles: ex hiſtoria Lycophronis remotiore. 94.31

Aeneid. ſecundo: Vos æterni ignes, et non uiolabile ueſtrum Teſtor numen, ait: ad Argiuos penates referri debere. 59.23

Et illud, Sanguine placaſtis uentos: ex qua hiſtoria. 240.32

Item, Nec mihi iā patriā antiquā ſpes ulla uidendi: Argiuæ urbis uetuſtatem deſignare. 92.22

In eodē, Corœbus unde Mygdonides. 148.7

Aeneid. tertio, de Pyrrho: Patriasq; obtruncat ad aras. 173.2

Ibidē, quare Tarentū dicatur Herculeum. 97.25

Dodonæi lebetes cuiuſmodi. 21.19

Ibidē, cur Alpinus Boreas. 247.24

Ex eodem tertio, Bacchatamq; iugis Naxon. 69.23

Ex quarto: Tercentū tonat ore deos. 13. 14

Ex ſexto: Et conſanguineus leti ſopor. 40.33

Aegeō cur in Orci ueſtibulo. 225.28

Ex ſeptimo: Hunc Fauno & nympha genitum Laurente Marica: id eſt: Circe, quòd ea poſt mortē Marica dicta ſit. 86.16

Ex eodē, Odit & ipſe pater Pluton: quod Eumenidas ex Proſerpina genuit. 89.2

In undecimo: ex qua hiſtoria Diomedes ait, Et ſocij amiſſi petierunt æthera pennis. 95.10

Aeripes apud eundem cerua cur. 104. 12

Ida uenatrix etiam quare. 65.26

APVD PAPINIVM Statium.

Ex primo Syluarum: Huc & ſub nocte ſilenti, Quū ſuperis terrena placent, tua turba relicto Labetur cœlo. 164.30

In quarto: Tuq; Actæa Ceres, curſu cui ſemper anhelo Votiuam taciti laſſamus lampada myſtæ. 8.35

In quinto: Fugere meos Parnaſia crines Vellera. 187.24

Ex Theb. Neptunnia tendit Lora Pelops. 189.19

In ſecundo, ad Palladem Tydeus: Seu tu Libyco Tritone repexas Lota comas, quà te bijugo temone frementem Intemeratarum uolucer rapit axis equarum: ad Palladis Hippiæ nomen alluſiſſe. 117.5

Ex quarto: Tu ſepare cœtu Elyſios Perſæe pios, uirgaq; potenti Nubilus Arcas agat. Quā ratione Perſæa legendum ſit, & Hecate intelligenda. 13.34

In eodē: Templumq; aleæ nemorale Mineruæ, legendū eſſe, non altæ. 36.35

Ex eodē: Venit & Idæis ululatibus æmulus Azan. quid Azan, et quomodo Idæos ululatus æmuletur. 113.26

Ibidem:

Ibidẽ: Plaudẽtiq́; habiles Cariæ reſonare Dianæ. De Caryis, et Diana Caryatide pulchra: confutatis ijs qui ad Helæam Dianam referebant. 120.15

Ex quinto: Fama ſubit portus, uectum trans alta Thoanta, Fraterna regnare Chio Cur hoc epitheton inſulæ poëta dederit. 155.8

In decimo, ex qua religione Thyodamas Apollinem ſic adorat: Nunc tibi crudus honos, cruda arma, cruorq́; uirorum, At patrias ſi quando domos, optataq́; Pæan templa dabis Lyciæ. Vbi colatur Apollo Lycius, & ex qua cauſa. 113.20

Ex duodecimo: Quæq́; rudes thyrſos hederis ueſtiſtis Acharnæ. 16.8

Item: Fama minor factis, ipſos nã credere dignum Cœlicolas, tellus quibus hoſpita ſemper Athenæ, Ceu leges hominemq́; nouum, rituſq́; ſacrorum Seminaq́; in uacuas hinc deſcendentia terras, Sic ſacraſſe loco commune animantibus ægris Confugium. Ex qua hiſtoria hæc omnia dicta ſint. 9.36

APVD OVIDIVM.

Ovidius à calumnia defenſus. 32.34

Eiuſdem ſenſus ex artibus, & Oenones epiſtola, declaratus: ex hiſtoria, qua traditur Apollo amoris cauſa Admeto famulatus. 38.35

In Artibus emendatus & expoſitus uerſus, Ennius emeruit Calabris in montibus hortos. 24.20

Itẽ: Porrige et ancillæ, pœnas quæ luce pependit, Luſa maritali Gallica ueſte manus: quem ſenſum habeant. 177.35

Sed & illa: Pallidus in Lyncem ſyluis errabat Orion, Pallidus in lenta Naide Daphnis erat. 162.27 & 32

Ibidẽ, Ecce redit Cephalus proles Cyllenia ſyluis: Deionia ſcribendum cenſeri. 115.14

In Artibus, Vrbs Alcathoi quæ. 260.10

Ex remedijs: Vixiſſet Phyllis, ſi me foret uſa magiſtro, Et per quod nouies, ſæpius iſſet iter: ex hiſtoria declarati. 48.19

Item: Ceſſit ab Idæa coniuge uicta prior. 65.31

In Heroidibus, Theutrãtia turba Theſpiades unde dictæ. 114.29

Item, Vecta peregrinis Hippodamia rotis: ex hiſtoria noſtris ignota. 189.13

Ex epiſtola Oenones: Depreſſa eſt humili cana pruina caſa. nos Defenſa emendauimus. 57.10

In Ibin, de Glauco Minois filio, qui puer in mellis dolio ſuffocatus eſt. 43.

Et illud: Filia né ue magis capiti ſit fida parentis, Quàm tua uel Pterela, uel tua Niſe fuit quæ'nam fuerit hæc Pterelæ filia, quæ patrem prodidit. 115.30

In Faſtis, Tempora cũ cauſis: unde. 242. 6.

Ex Ponto: Nec tantum Clario Lyde dilecta poëtæ. non Apollinem, ſed Antimachum ſignificari. 50.11.

In Amoribus: O quàm penè Pelops Piſæo concidit axe, Dum ſpectat uultus Hippodamia tuos. 189.16

Ex eiuſdem ſecundo: Gratamq́; Mineruæ Diſpiciebat humum, cultiq́; arbuſta Lycæi. non de monte Arcadiæ, ſed de Acticæ loco intelligendum. 113.10

Item cur Iouis Arcadiam dixerit: Arcadiæ tamen eſt impenſior illi Cura ſuæ. 114.7

Ex eiuſdem ſexto de Ioue: Mnemoſynen paſtor, uarius Deolida ſerpens Eluſit: quare Deioda reponendum, & quid id nomen ſignificet. 4.27

Et ad Neptunnum: Et te flaua comas frugum mitiſsima mater Senſit equum. De Cereris cum Neptunno concubitu, cui peperit Arionẽ. 45. 27

Item, Senſit delphina Melantho: cuius hæc filia fuerit. 172.33

In eodem Combes puellæ nomẽ perperam in Iamben mutari. 33.19

Quis ſit ibidem pater Coryti, parua tumulatus harena: & quem locũ deſignet. 65.23

In octauo, Triopeius Eriſichthon: et non Dryopeius ut ab alijs legitur. 259.3

In decimo: Non aliter ſtupuit geminanece cõiugis Orpheus, Quàm tria qui timidus medio portante catenas Colla canis uidit, &c. quis hic accipiendus, altius ex Græca fabula repetitum. 100.1

In eodem: Feſta piæ Cereri celebrabant annua matres, &c. 15.2

Amyclide præterea non ab oppido nomen eſſe, ſed ab Amycla Hyacinthi patre. 148.4

Ex decimo quarto: Inarimem Prochytemq́; legit, ſteriliq́; locatas Colle Pithecuſas, habitantum nomine dictas. Quippe deûm genitor fraudem & periuria quondã Cercopum exoſus, &c. Qui fuerint Cercopes, & unde. 223.19

APVD TIBVLLVM.

SEnſus ex antiquo Romanorũ more, in ijs uerſibus: At mihi ſeruandam credas, non ſæua recuſo Verbera, detrecto non ego uincla pedum. 218.29

Ad Meſſalam, quare Teſtis inalpinus, & non Arupinus ſcribendũ ſit: ibiq́; de Rhipæis & Alpibus noua. 157.10

Alluſiſſe ad Aegyptiorum religionẽ, qui Nilum pro Ioue colunt, in genethliaco

genethliaco Meſſalæ, quum ait: Te propter nullos tellus tua poſtulat hymbres, Arida nec pluuio ſupplicat herba Ioui. 105.5
Delphica Pytho: non ſerpentis apud eundem, ſed oppidi nomen eſſe. 117. 21
Ibiq; explicata ſententia, ſuper Admeto & Apolline. 39.1

APVD PROPERTIVM.

Svnt Agamemnonias teſtantia littora curas, Quà notat Argynni pœna natantis aquas: quis hic Argynus, & ubi ſubmerſus. 150.14
Et illud. Auecta externis Hippodamia rotis. 189.15

APVD MARTIALEM.

Ex qua hiſtoria dixerit: Torquebat Phœbum Daphne fugitiua, ſed illas Oebalius flammas iuſſit abire puer. 49.4
Eiuſdem iocus ſuo nitori reſtitutus: Drauci nata ſui uocat bipennem, Collatus cui Gallus eſt Priapus. 69. 4
Explicatus & alius in Cottam iocus: Bellus homo & magnus uis idem Cotta uideri, Sed qui bellus homo, Cotta, puſillus homo eſt. 127. 23
Vnde ſumpſerit illud nomen, quod identidē repetit: Ole quid ad te? 223. 35.
Aetia Callimachi quænam ſint, & quo argumento. 241.14

APVD DIVERSOS poëtas.

Lvcretij locus ex li. ſexto. 269.10
Valerij Flacci locus. 251.32
Varronis ex re ruſtica locus. 141.34
Catulli carmen ad Dianam: Quam mater prope Deliam Depoſuit oliuam. arbor ne ſit, an fons oliua 149. 11
Horatij uerſus exponitur, ex Epiſtolis: Vilia uendentem tunicato ſcruta popello. 220.19
Senecæ in Medea uerſum, Ipſaq; uocem perdidit Argo: inſcitè ad Orphei lyram referri, ut ad ſidus illud Valerij Flacci, Fatidicamq; ratem: quum de uocali Argo nauis carina uterq; intelligat. 21. 7. 8
Apuleij locus ex quarto metamorph. 220. 13
Claudiani præterea uerſus emaculatus ex Panegyricis, Teneri Iouis augure luco: quum Tomuri ſcribendum ſit. 21.5.22
Ad hæc aliud eiuſdem carmen expoſitum, Et quos naſcentes explorat gurgite Rhenus. 247.14
Sedulij quoq; ſenſus explicatus, Tragicó ue boatu Ridiculo'ue Getę. 128. 19

APVD CICERONEM.

Locus in Tuſculanis ab hiſtoria. 189. 32

Cicatricoſa uox in Deorum natura. 92. 25

APVD DIVERSOS autores.

Plinij uerba ex ſecundo Naturalis hiſtoriæ, explicata pariter & correcta. 176.21

Strabonis locus accuratè (ni fallor) examinatus, de Leucadio Cephali ſaltu. 115.10

Eiuſdem menda. 126.26

Item Plutarchi in quæſtionibus. 136.28. & 148.32

Quæ nam ſint Iulææ uoces apud Lactantium. 132.32

Quid feſellerit interpretem Diodori Siculi, ut uocem Græcam male converteret. 100.22

Macrobianis codicibus Arati carmina iampridem deſiderata reſtituere libuit. 70.6

Gellij uox emendata, in tertio Noctium Atticarum. 26.34

Itē Lucilij uerſus quos idē citat: Quid ni ſcuta quidem ut uendat, ſcutarius laudat? 220.7

Higyni menda. 146.31. & 163.7. & 198. 27

Pompeij codex correctus, in uerbo Cybelle. 73.12

Item Diomedis grammatici. 71.27

Item Euſebij. 71.19

Defenſus à calumnia Pindarus. 104. 15

Item Donatus 15.20. & 192.11

Item Seruius. 13.28. & 179.9. & 192. 8

Obſcœni Carminis iocus explicatur: Ductor ferreus inſularis æquè Laternæ uideor fricare cornu. 261. 36

Locorum ex alijs autoribus obiter hic à Iano uel explicatorum uel emendatorum, Finis.

RERVM ET VERBORVM EX IANI Parrhaſij in Claudianum commentario memorabilium, Index.

A

ABies. Pag. 139. uerſ. 18. et 252. 24. & 255. 13
Acaſtus. 52. 22
Acaſti urbs. eod. 23
Accipe. 266. 20
Acciri. 32. 7
Acerbo. 166. 16
Acharnan. ἀχαρνῆτες. 16. 7. 9
Acharnenſis hedera. eadem.
Acherois. 16. 12.
Acheron. 23. 27. & 36. 16. 21. & 76. 20. 30
Achilles manibus imperare recuſat. 39. 33
Acis. 249. 19
Acmon. 71. 11. 29
Aconitum. 99. 15
Acriſij thalamus æreus 80. 16
Actionis locus. 75. 34. tempus. ead. 35
Acus. 112. 10. inde
Aculeus. ead. 13
Adeò, pro quippe. 258. 3
Adoleſcentiæ periphraſis. 215. 17. et 232. 15
Adonis Veneri familiaris. 14. 11
Adranium. 44. 27. & 45. 2
Adriaticus ſinus. 4. 24
Adyton, adyta. 73. 17. & 85. 17
Aduerbium. 47. 4
Aegea Amazonum regina. 4. 14
ad Aegas nemo tempeſtatem paſſus. 4. 5
Aegæon. 4. 8. & 25. 21. Ioui opitulatus. 25. 25
Aegæon inter maris numina. 25. 31. eius monumentum. ead. 30
Aegæonis ſacra apud Chalcidenſes. 25. 32
Aegeus ſinus. 4. 1
Aegeum mare inſulis crebrum. 4. 15
Aegeus. 4. 7. eius caſus. ead. 9
Aegis. 209. 18. & 250. 2
Aegra. 90. 3
Aegret. 131. 18
Aemulus. 50. 23
Aegyptij an ijdem cum Phœnicibus. 51. 20
Aegyptij nauium inuentores. eodem.
ἀείζωον. 199. 8
ἀεὶ θεῖν. 82. 29
Aeneæ naues. 67. 18
Aeolus. 32. 29. inde. eiuſdem liberi ex Amphithea. 33. 4. 10
in Aeolijs inſulis optimum ſulphur. 55. 7
Aequora. 19. 19
Aër. 43. 22. & 124. 24
Aerata nauium roſtra. 80. 27. ærea pupis. eodem. 29. inde
Aeroſa Themeſe. 81. 1
Aes pro ferro. 33. 12
Aes afflatis omnibus & lymphatis conſonare. 72. 20
Aes ductile. 27. 28
Aeris antiquior quàm ferri uſus. 33. 12
Aera Curetum. 72. 10
Aeripedem ceruam quo ſenſu Vergilius dixerit. 104. 12
Aeſculapij ſerpens. 12. 3
Aeſtus. 259. 14
Aeſymnetæ. 36. 1

Aetates quatuor. 181. 24
Aether.73.28.& 82.28 36.& 169.19
Aethon Hectoris et Plutonis equus.90.17. & *Solis*.ead. 15
Aetion. 242.7
Aethon ſummus maniū. 90. 19
Aetna.54.26.*Briarei filia*. 44.23. *ciuitas*. ead. 27. & 45. 11. *mons*.44.23.et 45. 5.& 56. 32. & 58.2
Aetna diſceptatrix. 63. 25
Aetna non adeunda. 56. 15
Aetnæ uertex niuoſus. 57. 1
Aetnæ ſubitum incendium. 56.24
Aetnā decreſcere.56.28
Aetnei fratres Cyclopes, & *Aetnea Ceres*. 44.22
ἀγάπιφος. 175.9
Ager. 15. 22. & 145.11
Agere ocis. 92.31
Agna. 97.23
Agriculturæ præceptū. 62. 1
Aheni. 136.22
ἀίθυια. 82.28
αἰθρηγενέτης. 82.5
ἄιθωψ. 90.15.25
αἴξ, αἰγὸς.4.4.&209.17
αἰπόλος. 162.10
ἄιτιορ. 241.18
ἀκερσεκόμης. 245.33
ἄκμορ. 79.24
ἀκρόκομος. 142. 8
ἀλᾶσθαι. 91.3. ἄλασα.ead. 4. Alaſtor.ead.6. 14. & 90.36
Alcamenes. 14.4
Alceæ Mineruæ templū. 36. 33
Alecto. 88.32
Aleus. 36.24
Ales.34. 9.& 217.32. *alites*. 82.13
Alexander hedera coronatus. 15. 33
Alexāder Stygius aqua extinctus. 18. 33
Alexander uictor ex India. 15.33
Alexandri dormientis pila. 88.20
Alga. 84.8
ἀλιτρύπ. 91.5
Aliterius. 91.14
Alnus. 2.24.& 158.15. *alni*.135.15.& 256.5
Alni in ſola Creta non ſteriles. 2. 28
ἅλς πορφυρέων. 83.29
ἄλσος. 67.22
Altè. 123.21
Altum. 2. 9. & 82.14. & 142. 2. & 200. 29.& 295.21
Alumna. 123.13
Aluſiæ ſpecus. 7.1
Aluſius. eod.
Aluus.64.4.& 145.35
Alybes, an Chalybes. 79. 18
Alyzones an Chalybes. eodem.
Am. 130. 19
Amaracus. 146.8
Amarus. 18.21
ἄμαξα. 40 11
Ambages. 30.21
Ambire. 47.3.& 183.7
Amea Ceres. 20. 18
Amea quæſiuit Azeſiā, prouerb. 20.17
Ambo. 259 .8
Amens. 7.10. & 215. 9
Amſanctus fons. 191.36
Amnis. 130.18
Amor in ex ſe natos. 245. 9
Amoris tela. 77.6
Amphiaraus uates. 29. 26
Amphipolis. 48.24
Amphitrite Neptuno nupta. 40.23
Amplexa. 25.3
Amplificatio per comparationem. 42. 3
Amyclæ. 48.34
Amyclas Lacedæmonis filius, Hyacinthi pater.

ter. 49.1
Anadiploſis. 54.26
ἀνεμιαῖα. 257.33
ἀνίκατον 31.27
Anfractus.154.8.16. anfracta.ead. 12
Angues è draconum genere non criſtati. 61. 15
Anguis in Cereris Eleuſinæ æde. 12.16
Anguſta umbra. 26.8
Anhelus pro ardens. 19.21. et 259.13.
Anima.7.9. & 44.13 & 205.16, animæ. 79. 27
Animæ iter è ſummis ad ima. 31.2
Animam ex igne conſtare. 82.34
Animam obliuiſci prioris uitæ maieſtatē. 89. 31.
Animæ cur ad hanc uitam deiectæ. 31.6
Animæ uulgus iners. 89. 35
Animas corporibus ſolutas feriari. 18.11
Animas in pœnā ablegari ad hanc uitam. 31. 9
Animare. 259.20
Animus. 7.9. & 44.13. & 213.12. & 180. 19
Annus. 130.20
Anniſteriles. 22.14
Annibalis gubernator Pelorum occidit. 54. 6
Antemalorum. 84.2
Antemei. 84.3
Anteſignani. 23.34
Anteuolans. 84.3
ἀντίρει, 15.3
Antimachus Clarius. 50. 12
Antipatri in Sophoclē epigramma. 16.6
Antiphemus Gelæ conditor. 50.1
Antiquis terra ære culta. 60.9
Anius. 195.13.
Aper. 172.4
Apere. 56.8
Apertum cœlū.134.29
Apes.145.10. pugnaces ead. 28
Apum natura. 145.30
Apex. 56.6.8, & 60.2, & 151.33.
Apices. 262.23
Aphricani ſepulchro impoſita Q. Ennij ſtatua. 24.28
ἀπλανής. 168.20
ἀπλῶς. 21.32
Apollo Admeti paſtor. 38. 31.35
Apollo Clarius. 50.8
Delphicus. 8.25. cur Phœbus. 8.5
Apollo futurorū præſenſioni et poëtis præeſſe creditus. 8.7
Apollo, Neptunnus & Mars de Claro inter ſe ſortiti. 50.2
Apollinis cultus Amyclis Laconiæ. 49.6
Apollinis Delphici ſimū æneū penè totū. 80. 17
Apollinis telis ſublati Cyclopes. 38.28
Apollini affectatæ Perſephones nuptiæ. 47. 30
Apollini iuſſa Manto in coloniā tranſſcribi. 49. 31
Apollini maximè conuenire Muſicæ ſtudiū. 92. 19
Apollinem à Themide diuinationē didiciſſe 75. 4
Aporrheta Mithridatis 11. 31
Appetere. 102.4. & 226.1
Aper. 15.22.
Aptus. 97.5
Aquæ diſcrimina.14.21

Aquila inſigne exercitus Tantali. 12.20
Aquilo. 248.9
Aranea. 219.23
Aratus Diotimũ luget. 70. 4
Arbiter. 29.8.11
Arcanum. 262.32
Arces. 114.24
Arcitenens. 48.6
Archemori interitus. 61. 16
Archilochi tempora. 35. 33
Arctum. 26.5
Arcturus. 232.3.5
Arcus. 48.5
Arcus cœleſtis. 137.30.35. & 197.20.24.
ἀρίθω. 126.21
Arges. 38.22
Argo nauis garrula pica. 21.6. *fatidica.* 7
Argo in cœlum relata. 21. 8
Argiua mœnia à Cyclopibus conſtructa. 79. 5
Arion Cereris filius. 45. 25
Ariſtæ. 21.24. & 62.21. & 219.2
Ariſtomenis exectũ cor ſetis obſitum. 77.2.
Arma olim ex ære. 33. 14.
Arma pro dolis. 76.16
Armenia Tigribus fœta. 16.14
Armi. 167.6
Arrectæ aures. 96.4.
Arrige. eodem.
Ars, artes. 176.2
Ars egeſtatis remediũ. 203. 13
Artiũ inuentio. 203.26
ἀτρυγίαι. 133.19
Arua. 61.26
ἀστεῖρ 269.1
Aſcanij apud Albam inſtitutũ. 56.9
Aſperare. 35.12
Aſſurgere. 185.23
Aſſyrios Sidona ædificaſſe. 87.32
Aſteropes. 38.22. & 79. 25
Aſty. 9.25
At. 210.5
ἀτελίσιμοι. 7.15
Athenienſes cicadas in capite geſtare ſoliti. 10. 5
Athenienſes indigenæ. 10. 3
Athenienſes Mopſopij appellati. 10.12
Athenienſium de generis antiquitate cum Aegyptijs certamẽ. 9. 22
Athenienſiũ ſacra Vulcani. 58.8
Atlanticum mare. 86.8
Atlantis nepos. 36.27
Atlas Maiæ pater. 36.28
Atqui. 241.8
ἄτρικτος. 29.2
Atriæ ædificiũ atrij inuentum. 80.11
Atrium. 47.35. et 80.8. *Atria. eod.*
Atropos. 74.20. *ignara moueri.* 29.3
Atropos præteriti temporis fatum. 28.30
Atropos incommutabilis, & unde dicta. 29. 1
Atrox. 31.35
Attonitus. 221.11. *attoniti.* 164.9. et 234.29
Attica. 11.4
Attis Opi familiaris. 14. 12
Auarus. 18.18. *in neminem bonus, in ſe peſſimus. ead.* 24
Auaritia, auarities. 30. 13
Auctor, auctrix. 228.11
Audere, audax. 2.23. et 219.24. & 229.4. & 167. 26
Aue. 63.16
Auernus. 17.34. & 18.1
Auernus uacuus. 42.11

Auernis

Auerni exhalatione aues ſuperuolantes extingui. 17.32
Auguſta. 66.3
Auius. 60.34.& 61.1. auia. 265.27
Aula. 47.35.& 218.34
Aulæa. 186.2
αὐλός. 176.32
Auræ. 183.7
Auratum. 16.33.& 17.2.& 121. 22
Aureum. 135.4
Aurea ætas. 181.25
Aurum fuluum. 65.1
Auriga. 233.6
Aurora. 122.18
Auſpex. 194.20
αὐτόχθονες. 56.22
Autor, autores. 227.5.10. 34
Autumnus. 116.26.& 137.26.& 182. 32
Auxiliatus. 25.2
Axis. 43.20.& 154.27.& 163. 34
Axieros. 68.27
Axiocerſa. 68.27
ἀξιέ. 113.30
Azeſia Proſerpina. 20. 18

B

BAcchari, Bacchatus. 69. 22
βακχεῖ. 130.6
Baccharum ex alba populo coronæ. 16.10
Bacchi cultus. 15.26
Baccho pardalorum et lyncũ terga pro thorace. 16.17
Bæta. 147.3
βάραθρον, barathrum, barathrus. 23.4.7.10.& 175.12
Barba. 185.24
Barrhus. 80.12
Baſilæa, quæ & Rhea, Hyperionis uxor. 72. 6
Baubare. 270.12
Bello fruges et annonã lædi. 50.33
Bellus. 127.23
Berecynthia. 70.20
Berecynthiæ ſacerdotes. 72.10
Bigæ. 88.24. lunæ in fabulis attributæ. 143. 30
Bipennis. 211.35. bipenne. ead. 36
Bithyniæ cõditor quis. 76. 14
Blandiri nobis quæ dicantur. 132.22
Blandius. 47.2
Boreas. 32.3. Orithyiæ raptor. ead. 6
Boreas unde dictus. 32. 17
Bos ſterilis. 263.22
Boues tardi. 162.4. torui. 47.7
βοῦ, βοὸς. 164.14
Bootes. 232.8
Brachia. 255.32
Briareus. 25.21. ex Ponto natus. 23.36
Briareus Cyclops. 54. 17
Briarei cum Neptunno congreſſus. 25.28
Briarei in deos bellum cũ Titanibus. 25.24
Briareo Cariſtij ſacra faciebant. 25.33
Briareum & Aegeona pro diuerſis accipi. 25.36.& pro eodẽ. ead. 35
Brontes. 38.22.
Bruma. 231.11. et 139.16
Brygium. 59.11
Brygij coloni in Phrygiam. ead.
Bucheta, buchera. 75.7
Bunitus Paridis & Helenæ filius. 65.22
βύκται. 240.33
Bubo luctifer. 36.13
Bubulci. 162.7.10
Buſtar. 56.36
Buxa. 217.8. buxus. 72.1.& 141.3. buxi 217. 7

Cabiri

C

CAbyri fratres unde dicti. 68.29. duo tantum. ead. 30
Cabyri Phrygiæ montes. ead. 29
Cadmus quare in anguem uerſus. 10.26
Caduceus. 34.11
Caduceatores. 34.15
Caduceatori neminem nocere. ead.
Cæcius ſuimet poëmatis autor & interpres. 12.36
καιρὸς. 76.1. nouiſſ. Iouis filius. eod.
Cæruleus color. 65.6
Cæruleum mare. 125.5. & 268. 15.18
Cærulei ſerpentes. 65.2. & 207. 30
Cæſar olim Auernos purgauit. 17.32
Cæſar oſtentum facetè reſpuit. 46.14
Cæſtus. 31.28
καλάμινος. 176.32. & καλαμίνη σῦριγξ eodem.
Calamus. 197.12.
Calauria inſul. Latonæ prius. 49.18
Calidum & frigidum rerum principia. 83. 3
Caligo. 219.30
Callimachus ubi literas didicerit. 11.15
Calliopas ex Apolline liberi. 92.13
Camarina. 126.10
Camilli ærata oſtia. 79.9. Eundem Romanorum mores in Siciliam tranſtuliſſe. eodem.
Campaniæ tractus ſub imo maris fundo ſulphure ſtratus. 58.29
Campi. 32.15
Candela, candelabrum. 8. 28
Candidus ſol. 82.26
Candida. 74.6. et 112.26. et 249. 19
Canere pro uaticinari. 74. 30
Canes ſagaces. 63.4
Caniciei apud ueteres reuerentia. 27.13
Canna. 150.19
Caphyis. 254.11
Capillus. 111.33
Caprarij. 162.11
κάπρος. 172.5
Carbunculus. 234.3
Carcer. 25.9
Cardo. 86.21. et 267.10
Carina. 256.20. & 236. 23
Carmentis. 75.13
Caro. 133.16
Carpere, Carpi. 133.27. & 143. 33
καρπιστὴς. 12.10
Caryſtij Briareo rem diuinam facere ſoliti. 25. 33
Caſmilos. 68.28
Caſſandræ uaticinium. 65. 20
Catulitio. 131.8
Cauernæ. 57.25
Caudæ motus iræ index in leonibus. 72. 30
κίας. 23.12
Cecrops cur Geminus cognomento. 10.25. matrimonij autor. 11.1. Athenis ſepultus. 11.7
Cecropis in cœlo figura. 11.6
Cecropis fabuloſa hiſtoria. 10.17
Cecropidæ. eod. unde dicti Athenienſes. 11.8
è Cedro faces. 255.7
Cedri ſucco arceri cariē. ead. 10
Celenæus Marſyas Phrygiæ tibiæ inuentor. 72. 4
κίλλιτις. 81.3
Celmes. 71.11.20.30. in adamanta mutatus. ead.

Celmus

Celmus. 71.29
Celſus. 81.2
Celſum os. 35.24
Centipeda. 132.34
Centum. 199.33.& 226. 1
Centumgemini. 251.21
Ceraſtæ. 19.22
κέρνος, κερνοφόρος. 224.12
Cerimoniæ. 67.3
Cerberus Geryonis & Echidnæ fil. 36.4
Ceres Aetnea. 44.22. Ennea. ead. 32. inde. in Attica rapta. 11. 36
Ceres flaua. 51.14. profunda. 6.25
Ceres improuida fati. 51. 19
Ceres in puteum. 11.36
Ceres de Siciliæ finibus cũ Vulcano contendit. 63.24
Ceres Liberum ex Ioue peperit. 14.34
Ceres Martis & Apollinis affinitatẽ reijcit. 50. 31.
Ceres Proſerpinam Siculis committit. 5.3. & 59. 6
Ceres quando ſationẽ mortalibus oſtenderit. 20.21
Ceres Triptolemũ calidis cineribus obruit. 12.6
Ceres unde dicta. 51.15
Cereris initia. 19.36. et 8.33. eorundẽ noctes cui cõſecratæ. 13.12
Cereri et Libero Siciliã totam conſecratam. 63. 20
Cereri grata pax. 50. 34
Certe. 244.12
Ceruchi. 256.14
Ceruix. 55.14. & 107. 25. et 234. 35
Ceſſare. 64.26
Ceſſatores. eod.
Chæris elogium. 92.16
Chalcis unde dicta. 33. 16
Chalcidenſes Aegeoni rem diuinam feciſſe. 25. 32
Chalybs. 79.14. Hiſpaniæ flu. eadem 20
Chalybũ ferri præſtantia. 79.21
Chalybes ferrum ſemper nudos exercere 79. 16
Chaldæi an Chalybes. 79. 20
Chalciœcos. 80.19
Chaonia glans. 20.27
Chaos. 20.11. & 81.28. & 111. 22, & 164. 26
χαρά. 70.33
Charibea ſerpens. 12.33
Chiron Nereus in Pelei nuptijs dictus. 53. 21
Chorus. 69.9. & 70. 33. & 152. 6
Choris perſonarum numerus nõ definitus. 70. 30
Chytus Cizycorũ portus à Cyclopibus cõſtructus. 79.6
Ciere. 221.17
Cincini. 111.36
Cingula, cingulum. 135.22. 24
Cinctus. 101.36
Cingere. 186.13
Ciceronis umbra Cecinnã præceſſit. 39.26
Circe Marica Minturnenſium numẽ effecta. 86.14
κισσάρ. 16.3
Ciſſos. 141.14
Cito. 2.20
Clamare Irarum ſignũ. 35. 26
Clarũ ſortitus Apollo, unde Clarius. 50.3.8
Clarauit. 78.15
Claudianus quæ ſe ſcripturũ promittit, tẽporum culpa non præſtat.

præſtat. 20.19
κλῆρος. 50.4
Clotho præſentis temporis fatum. 28.35. unde dicta. eod.
Clypeum & Clypeus. 48.2.5. & 121.28. & 230. 36
Coccyx. 36.14
Cocytus. 89.20. & 36.9. 15.
Cœlum. 84.13. ex quibus conſtet. 83.7. & 167.29. & 175.20
Cogitare. 7.9
Cohors. 127.1
Collis. 138.32
Coloni. 160.23
Colorata. 212.26
κόλπος. 3.14
Colophon à Manto condita. 50.6
Colus. 31.17. pudicitiæ argumentum. 81.7
Combe numeroſæ fœcũditatis exemplũ. 33. 16
Combes inuenta. ead. 15
Cometes. 78.19. magnarũ cladiũ præunciũ ſidus. ead. 21
Cometarum portenta. 78. 33
Commercium. 37.20
Compages, Compago. 43.16. 18
Compotem ſui fruſtra fores poëticas pelle re. 7.23
Concentus. 69.8
Concilium. 188.4
Coni. 68.3. & 262.23
Coniferæ pinus. ead. 1. cupreſſi. 262.23.
Conizæ herbæ uis. 67. 14
Conſanguinei. 40.32
Conſilium. 7.9. & 44. 13
Conſortes. 194.33
Conſtantino Imperatori nuncupata Rei ruſticæ Collectanea. 9. 30
Copæ remi inuentores. 2. 14
Cora, κόρη. 15.9. & 179. 1
Coræi ſacerdotes. 15.11
Cornua. 256.13
Cornus. 139.21
Cornipedes. 169.2. & 233. 2
Coronãdi mos antiquiſſimus. 187.20
Cortyna. 119.30
Corui, Coruacia. 259. 28
κορυβαντεῖν 71.1
Corybantes. 70.34. unde dicti. 36. & 71.3
Corybantus Iaſij & Ideæ filius. 71.1
Corytus Paridis & Helenæ filius. 65.20
Cotytia. 70.19
Coſmeta. 112.14
Crateres. 54.23. & 261. 21
Crepuſculum. 110.4
in Creta ſola alni non ſteriles. 2.28
Crinalis hedera. 15.32
Crinita ſtella. 78.19
Criſtæ. 151.35
Croceum. 135.4
Crudele. 90.11. & Cubus. 59.35. (250.28
Cuculus. 36.14
Culinæ 54.34
Culmina. 215.19
Cunabula. 122.22
Cuniculus. 155.19
Cupreſſus. 139.30. & 256. 23
Cupido Ilithyiæ ſeu Lucinæ filius. 42.25
Cupidinis tela. 19.31
Curæ implacidæ. 42.15
Curetes. 70.34
Cybele. 72.7.11. de numero penatum. 59.18. montiũ dea. 69.20. pro terra. 60.12
Cybelle. 59.38
Cybeles currus. 60.18
Cybeles nomen cum Cerere cõfundi. 60.10

Cybeles poma. 67.9
Cybeles ſtatua marmorea. 66.27
Cybeles uertex quare turribus inſignitus. 73. 21
Cybeleiū nemus. 69.14
Cybella urbs. 72.8
Cybellus mons. ead. 9
κυβέρ. 59.34
κυβισᾶρ. ead. 32
κύειρ 122.23
Cygnos tantum Auerni aquæ uim non ſentire. 17.36
Cychreus Neptunni filius. 22.23. eiuſdem nominis pagus. ead. 23. & ſerpens. 24
Cyclops cur Neptunni filius. 26.27
Cyclopes fulminum Iouis fabri. 38.21. Vulcani famuli. 79.4
Cyclopes tres. 38.22
à Cyclopibus Argiua mœnia conſtructa. 79.5. item Chytum Cizyci portum. ead. 6
Cyclopeus.. 39.3
κύλλαρ. 34.8
κυλλοί. 34.5
Cyllenes ex Ioue filius Mercurius. 34.2
Cyllene Arcadiæ montiū altiſſimus. 33.36
Cyllenus. 34.1
Cyllenius unde Mercurius. 33.36.
Cymbalorum ſonitus in Cybeles ſacris quid portendant. 60.7
Cypros ærosa. 81.2
Cypros planta. 146.19
Cypria nauis. 80.36
Cytherus. 74.2
Cytheris inſula. 74.1
Cytherea Venus. eod.

D

DA prodic. 249.33
Dactyli Idæi. 70.34. & 71. 4
Damaſtor. 253.22
Damæ. 97.26
Damnare. 230.20
Damnameneus. 71.11
Damnum. 46.30
Danaus ex Aegypto. 1. 24. & 113. 12
Dapes. 230.28
Daphne. 49.5
Dardanus. 65.10. & 68. 22
Decolor. 163.39
Decuriones. 23.17
Dediſcere. 3.20
Defendere. 57.8. & 171. 16
Delos. 26.3. & 49.10
Delphicum oraculum penes Tellurem & Neptunnum. 74.32
Delphin inter aſtra. 40. 23
Δαμήτηρ. 51.18
Delubrum. 8.26.28
Deois Proſerpina. 14. 28
Detrectare. 55.12
Deus neceſſitas. 74.12
Dei nomina. 81.23
Deorum deſcenſus. 78. 8
Diana. 45.34
Dibapha. 136.21
Dies. 56.24. & 88.6
Diffibulare. 112.19
Dindyma. 69.13
Dione. 63.15
Dionyſius. 14.20. & 15. 14
Diomede. 49.2
Diræ. 167.33.35. & 205. 11
Dis. 18.15. & 19.25
Diſcere. 3.19.24
Diſcolor. 163.29.31
Diſcurrere. 206.30
Diſcus. 148.16.18.21
Diſcinctus. 102.1
Diſpater. 5.12. & 29.15
Dodon, Dodone. 20.31
Dodoneus lebes. prouerb. 21.10

A Domi-

Dindymon 177

Domitiani epulum. 17. 12. equus. 79. 30
Dryades. 92.35
Ductare. 128.10
Ducere ferrum. 27

E

EBur. 80.12.14. & 87.23. & 95. 22
Eboreum. 87.18.21
Eboratum. 87.20
Eburnum. 87.17
Ecce. 13.4. & 125.17
Echetus. 35.35
ἔγωγε. 202. 20
ἐγχειρογάστορες. 79.7
ἐκλίθμα. 45.32
Embolon. 80.28
Electra. 80.21
Electrum. 80.21
Eleuſis. 11.14
Emeriti qui. 185.35
Enceladus Aetnæ ſuppoſitus. 55.2
Enna. 54.11.
Ennea Ceres. 44.32
Ennij patria. 24.23
Eniochi. 2.2
Enodia. 9.8
Epigoni. 50.7
Equidem. 202.19
Erebus. 21.28. et 89.24. & 42. 28
Errare paſci. 121.18
Erinnys. 76.35
Eriſichthon. 90.24
Erythra, Erythreũ mare. 122
Etiamnum. 217.17
Eumenides. 88.32
Exuuiæ. 250.8

F

FAces ſanctæ. 11.30
Fatum quid. 27.31. & 210. 1
Fati neceſſitas. 74.8
Fauonius genitabilis, et unde. 61.34
Ferus qui. 29.4
Ferale unde. 23.13
Ferrugo. 135.18
Fibula. 112.16.18
Flammea. 186.19
Flora. 50.28
Florens quid. 15.27
Fluere. 209.36
Fomites. 46.36
Fons unde. 235.15
Fortuna quid. 37.32. & 171. 32
Fouere. 46.34. & 97. 20
Fraxinus. 169.12. & 265. 17
Fruges. 62.24.27
Frons. 141.34
Frons. 141.31
Frus. 141.30
Frumentum. 21.24
Fucatæ mulieres. 136. 19
Fulmen alatum. 169.22
Fulmẽ pacatũ. 169.27
Fuluum mare. 268.13
Furiæ. 23.25. & 89.5. et 88.32. & 167. 18
Furor diuinus qui. 7.26

G

Γαμήλιοι. 53.24
Galli Cybeles. 59.32. & 71. 31
Galliambum carmen. 69. 15
Gargara, Gargaros. 7. 9. & 69.30. & 70. 2
Gemmæ. 83.33.34
Genua miſericordiæ cõſecrata. 27.20
Genea. 28.6
Genæ. 87.7. & 119.7
Genius qui. 187.12
Germani. 88.30
Geſtare. 265.3
Getæ populi. 32.12
Glandiũ eſus. 12.10. & 20. 24
Grandeſcere. 202.8

H

HAbitus. 230.31
Harena. 84.14
Hauſter.

Hauſter. 3.15.& 185.11
Hebe. 41.23
Hecates. 13.7.& 14.6. inde.
Hecate Enodia. 9.8.11
Hedera ubi primum. 16. 5
Hercules. 36.27.& 43. 8
Heſperides. 41.17
Hippolyti ueſtis. 15.4
Hircania Tigribus fœta. 06.14
Horæ. 41.17
Hyacinthus. 135.10
Hyalemus. 92.14
Hyle. 89.28
Hymenæus. 92.14
ὑπηνέμια. 237.32

I

I. 37.22
Iacchus. 14.10
Iaſius. 45.14.& 68.29
Ichnæ. 41.11
Ida mons. 65.6. inde & 67.17.& 70.1
Idæ cupreßi. 68.2
Idæa. 65.26.& 67.16
Ignoſcere quid. 243.21
Ilithyia. 45.32
Immunitas. 76.23
Improbus. 215.1
Inclementia. 35.16
Incola. 64.28
Incubat. 264.4
Indigenæ. 56.20
Inferno nullus frequentior locus. 42.5
Inferna. 27.11
Inferi in noſtris corporibus. 90.18
Initia Cereris. 12.12
Inopiæ multa deeſſe, auaritiæ omnia. 18. 23
Inſtaurare. 230.28
Inuenire. 2.5
Inuolucre. 61.6
Io. 176.5
Ionium mare. 4.19
Irati ſigna. 21.36.
Iſſe. 39.2
Italiam bellis atteri. 78. 35
Iubar. 25.18
Iugerum. 190.29
Iuga. 172.10. et 207.3
Iulis. 33.3
Iulianus Imp. 8.10.& 88. 23
Iulus qui. 132.34
Iuno. 13.25
Iuno inferna. 6.26
Iuppiter Alaſtor. 91.8
Iuppiter unde pater. 43. 35

L

LAcedæmonij. 27.17 & 31.23.& 48.34
Lacheſis. 28.31
Lacus. 49.35
Lanificium commendatur in mulieribus. 81. 6
Lares qui. 50.7.& 51.24.& 59. 15
Latona. 49.17.& 50. 29
Legere quid. 3.10
Lemnos Vulcano ſacra. 52. 27
Lenæus Liber. 15.5
Leonis generoſitas. 72. 6
Lethe. 89.25
Letum. 193.14
Leucogæi. 55.8
Liber Iouis & Proſerpinæ. 14.14
Liber ſomnolentus. 17. 5
Liberi nomina. 14.23. de Libero uaria. 15.12. et 16.13. et 17.22 & 77.13.& 69.28
Liguſticum mare. 53.35
Lilybæum. 53.4
Lilybe. 53.29
Limes. 85.7
Limus. 85.8
Limum. 85.11
Limina. 9.12
Linus. 92.15
Littus. 3.11.& 268. 32

λιτυΐς. 14.30
Liuor unde. 233.14
Longinquum. 256.1
Lucina. 45.27
Lucus. 67.22
Ludere. 110.21
Ludi ſeculares. 28.9
Luna. 47.16
Lupati. 164.6
Lurcho. 264.11
Luridus. 233.6
Luror. 233.12
Luteus color. 233.14
Lutor. 233.6
Lydus. 87.27
Lydorum colonia. 54.1
Lyde puella. 50.14
Lydia. 87.26

M

MAchareus. 33.8
Manes. 187.19
Menalus. 77.20
Menala. 77.21
Maia. 33.28
Manes. 24.6
Manto Tireſiæ. 26.8. et 49.33. inde
Mare maius. 86.7
Mare purpureũ. 65.4
Marica. 86.18
Maricus Cãpaniæ mõs 86. 19
Mars unde. 47.30 inde.
Maſſagetum pocula. 87. 30
Materies. 29.36. & 30. 2
Matuta. 143.13
Matutinum. 143.15
Medicamen ſacrum 11. 33
Medeæ dicta. 35.19
Meduſa quid, et cur homines in ſaxa mutare dicta. 118.25
Megera. 88.34
Melantho. 172.30
Membra ſomno nimio ſolui. 88.18
Memnonis ſtatua. 21.15
Meliſſa cur apis. 258.31
Mens deo comparata. 7.6.9. 36
Mercurius Iouis & Maiæ. 33.28
Mercurij quot & qui. 36.26. & 39. 6
Mercurij ſidus uelociſſimum. 43.28
Metuo tibi & te, quid interſit. 27.1
Metropolis urbs Phrygiæ. 59.28
Micare. 90.12
Miles unde. 193.7
Militiæ genera. 23.19
Militiæ mos. eodem.
Mille. 199.33
Mirmydones. 1.21
Mithridatis aporrhetha. 11.31
Mollia non niſi duris illiſa ſonare. 84.7
Montes unde. 159.14
Monſtra quæ. 22.28
Mors quid. 29.35. ſomni ſoror. 40.34
Mortalia quæ. 183.8
Mores ex habitu cordis 77. 1
Mulciber unde. 58.11
Munus. 76.22
Mundus. 107.24
Muſicæ ratio in arboribus. 67.28
Myſij. 1.23
Myſteria. 5.8

N

NAiades. 92.35
Napeæ. eodem.
Natura quid. 3.6. & 81 23. & 83. 20
Nauigandi peritia unde 2. 3
Nauigationis periculum. 63.9
Naxos. 79.25
Nectar. 89.29
Neſaſti dies. 66.32
Neptunnus. 1.21
Neptunni ad Aegas cultus. 4.6
Neptunnus pro mari. 52. 24
Nepos. 195.11
Nereus.

Nereus. 52.16
Nomina in oſsis. 66.35
Notus. 3.15
Nouerca. 205.11
Nouercari. 205.11
Nox Erebi filia. 29.6
Nubes deæ. 61.35.
Nubendi ritus. 47.25
Nuptiæ per coëmptionem. 48.7
Nurus quæ. 50.30
Nycteus. 90.31
Nympharum genera. 92. 34
νὺξ ὀρφναίη. 90.8

O

Ob præpoſitio. 67 20.
Oblimare. 213.8
Occaſio iuuat res. 76.3
Oceanus. 86.5
Oeno à Paride repudiata. 65.18
Ogygiæ Thebæ cur. 49 10
Olen uates. 42.22
Omen. 85.34
On literis excluſa nomina Græca. 49.23
Opes à terra. 18.14
Opima ſpolia quæ. 252. 27. 29
Oppidum. 153.27
Ops. 18.17. & 69.17
Orbita. 62.21
Orbes. 111.36
Orcus. 5.12. & 6.12. & 29.28. & 18. 27
Orci lacunæ. 44.16
Oreades. 92.35
Orpheus. 92.14
Orphnæus. 90.5
Orphne Nympha. 90. 9
Ortygia. 49.13
Orithyia. 32.7
Ouat. 131.18

P

Palamneus. 91.14
Palici. 54.20
Pallas. 77.11. & 78.12
Pallas gigas. 77.15
Pamphos. 12.5
Pan. 68.14
Pandere. 19.22
Pangæus. 77.22
Panompheus unde Iupiter. 28.29. & 74. 25
Pallene. 174.26
Parcæ quæ. 183.32
Ponti filiæ cur. 26.15
Parcarum neceſsitas. 27.9. & 74. 18
Parcæ quare tres. 28. 24
Paris. 65.16. inde.
Parens. 81.25
Paſiphaë. 45.12
Patruus. 85.32
Pax dea. 50.34
Pecus. 205.29
Pecoris inurendi mos. 91. 11
Pelagus. 86.7
Peloria. 54.9
Pelorus. ead. 5
Pellex. 248.18
Pene. 23.18
Penates. 59.14. inde
Penelope proſtituti pudoris. 200.9
Penetrare. 248.1
Periclymenus in uarias formas. 199.25
Perſeis Hecate. 13.30
Perſephone μονογένεια. 45. 16
Peſinus. 66.8
Phaëthon qui. 253.3
Phidias. 74.23
Philomelus. 45.23
Phineus. 65.27
Phlegra. 174.27.34
Phlegræus. ead. 35
Phlegræũ quid. 250.11
Phlegrus. 174.36
Plegethon. 19.16
Phœnices nauium inuentores. 1.18
Phœnices cuiuſcunq; generis homines mactabant. 76.9
Phœniceus color. 76.12.

Phœniſſare. 76.11
Phœbus. 8.5
Phryges primum buxo in tibijs uſi. 72.1
Phryges unde. 59.10
Phrygium. eodem.
Phillydis mors. 48.28
Pieres. 92.17
Pierus. eodem.
Pigris idem quod Tigris. 16.24
Pinus conifera. 68.3
Pinus arguta. ead. 6
Pinea nux ubi primũ. 67. 9
Pinus Cybelæ cur dicata. 67.7
Pinus olim nuptijs interdicta. 24.3
Pitys in arborẽ. 68.13
Pithecuſæ cur. 223.19
Plethron. 190.30
Plinij interitus. 56.13
Pluto. 18.15. & 26.4. & 37.18. & 41.6. & 43.10. & 85.31
Pluto Cruſmanus. 30.15
Plutonis imperium. 29 29. & 38. 9
Plutus opes. 18.24
Pœni quare Phœnices 76. 8
Polyphemus qui. 254. 20
Polybotes. 253.9
Porces ſerpens. 12.33
Porphyris. 74.3
Portitor qui. 194.4
Præcordia. 8.11
Præſagire. 63.4
Præſepe. 94.36
Præuerbium. 47.3
Praxitelis opera. 11. 12
Profunda Iuno. 6.23
Profani à ſacris Cereris excludebantur. 7.12
Procellæ. 33.24
Proceres unde. 198.7
Prodigium. 111.13
Proteus. 149.16
Proſerpina quæ. 212.20 & 213. 34
Proſerpinæ myſteria. 11. 21
Proſerpinæ ſedes. 6.33
Proximus. 222.3
Pterelas rex. 115.4 inde.
Pterophoron regio. 248. 10
Pulcher. 264.11
Pulſare. 165.3
Pumex. 58.12
Puniceus color. 76.6
Pyrodes. 66.28
Pyracmon. 79.22
Pyrſos Achilles unde. 12. 7
Pytho. 75.1
Pythia. 7.34
Pyxos. 141.3

Q

Qvanti pro quot. 185. 10
Quaſillum. 105.32
Quaſillus. 105.32
Querquus Berecynthiæ ſacra. 7.16
Quintus Calaber 12.34
Quintius. 158.3

R

Recens. 152.19
Regis officium. 35.5
Reges ad nocendum paratos eſſe non oportere. 27.4.18
Religioſum quid et unde. 67.1
Repens. 152.20
Repente. 153.4
Repentino. 153.5
Religioſi dies. 66
Reperire. 2.5
Rhadamanthus Herculis uitricus. 101.20
Rhegium. 51.33. & 52. 23
Rhodope mons et puella. 48.12. & urbs. eodem. 15
Rictus. 250.19
Riuus. 139.5
Rhodos 49.24 et 26.3

Roſa

Roſa cur purpurea. 123. 8
Rorat. 131.13
Roſæ per hyemem. 123. 10
Rota. 154.30
Rubor unde. 87.6
Rubor ex pudore cur. 212. 17
Rubigo quid. 233.35
Ruſor. 30.18

S

S. non litera. 119.11
Sacrum. 19.26
Sacraria. 85.30
Sagaces canes. 63.3
Sagire. 63.2
Saga anus. 63.3
Saliaria carmina. 30.15
Salue. 65.11.16
Saltem unde. 175.16
Samos. 152.12
Samothracia. 221.28
Samothracum myſteria 68. 26
Sanctum. 11.33
Sanctuaria. 262.36
Saturnus. 72.17
Saturnus apud inferos. 43. 1
Saturnium. 4.19
Scilicet. 241.5
Scipionis & Fabij contentio. 24.32
Scipionum monumenta. 24.27
Scruta quid. 219.35
Scrutarius. 220.6
Seculares ludi. 28.9
Sedes ſcelerata. 65.34
Seges. 61.31
Senium quid. 291.31
Septem. 119.10
Septemtriones. 40.11
Series. 27.34
Serui cur. 111.26
Seucrum. 27.9
Sex. 119.10
Sexcenta. 199.33
Sexus. 119.8
Sicania. 51.29. et 75.14
Sicanus flu. 44.24. & 75. 25
Sicilia Italiæ quondam annexa. 52.17
Sicilia Cereri & Libero conſecrata. 63.26
Siciliæ tractus. 58.29
Siciliæ umbilicus. 54
Sidera quæ. 83.25
Sidon. 87.31
Sidonia. 87.26
Signifer. 39.36
Silex. 66.27. & 76
Situs. 35.4
Socrates Homeri carmē damnat. 99.35
Sol cœli oculus & fax. 25. 16
Sollertia. 201.20
Sollicitare. 2.18
Solium. 27.3
Sol unde. 122.6
Somnij cornu. 88.13
Somno membra ſoluuntur. 88.18
Somnus mortis frater. 40. 34
Soonautes. 76.18
Sophocles. 79.11
Speculari. 73.26
Spiculum. 121.31
Stellæ. 83.24
Steropes. 79.25
Styx. 18.32. & 36.10
Sub. 142.14
Sulphur. 55.6
Summanus. 29.17
Supremus. 85.23
Syrinx nympha. 77. 26.

T

TAenara, Tænarus, Tænarum. 6.15
Tantali fabula. 12.20
Tartara. 42.36
Taygetus mons. 77.22
Tegea. 36.30
Tegeæus. 36.29
Tellus. 30.17
Tenerum. 81.4
Ternarius in ſacris numeris. 13.17
Terri-

Terrigenæ qui,et quot 253. 2
Terræ ſedes. 38.9.*&* 82. 16
Terræ zonæ. 3.27
*Teucer.*40.36.*&*65.8
Teucria. 65.10
Thalia. 54.21
Thalamus. 6.2
*Thebe.*49.28.*&* 50.7
Themeſe. 81.1
Themis. 74.30
Themis cœli & terræ filia. 41.7.*&* 75.9
Themis quæ Carmentis 75. 12
Thetis. 63.16.*&*12.7
Thoas. 35.31
Thracia. 48.10
θρίαμβος. 54.32
Thraces armorum ſtudioſi. 48.11
Trinacria. 52.4
Thuſci. 53.35
Thya,Thyades. 68.32
Theocoſmus. 74.23
Theſeus. 36.12
Tibia in ſacris Berecynthiæ. 72.1
Tigris. 80.30
Tiſiphone. 23.31.*&* (88.33
Titanes. 25.13
Tomurus mons. 21.22
Toruitas. 47.6
Tormenta quæ. 57.22
Toxicum unde. 259.26
Tranquillum. 89.36
Traiani fori tectum æneum. 80.20
Triptolemus. 12.18.
Trinacria. 51.29
Triumphus unde. 54. 31
Triticum. 84.13
Triton annis, & palus 52. 25
Triuia. 118.36
Tridens in Neptunno quid. 159.24
Tropeum quid. 250.29
Turrita cur Cybele. 73. 24
Tympanum. 60.1.*&* 70. 13
Tyros nauium inuentrix. 1.19
Tyri purpura. 76.7
*Tyrrhenum mare.*55.35
Tyrrhenus. 31.22

V

V *Accinium.* 135.8.11
Vale. 63.12.*&* 170.33
Ve particula. 69.2
Vectius Prætextatus. 15. 6
Venti. 2.30.*&* 32.13.et 33. 23
Venus orta mari 74.4
Veneris cæſtus. 31.28
Verbenarius. 34.16
Vertex. 58.32
Veſtis. 186.10
Vexare. 180.19
Victor. 52.27
*Victoria Stygis filia.*19
*Vindex Ceſellius.*26.33
Vini uſus quando ignotus. 11.6
Virbius. 14.11
Violaria. 232.29
Virgo. 45.11.
Vis. 214.35
Vitreus color. 86.12
*Vites in ulmis.*141.24
Vitula unde. 47.8
Votiui ludi. 9.5
Vrbs unde. 56.3
Vulcanus. 58.4
Vulcanus à matre deiectus. eodem.
Vulcani & Cereris de Sicilia contentio. 44 24.
Vulcani ſacra. 58.8
Vultus pro uiſu. 87.3
ξόανιμος. 40.35

Z

Z *Anclus.* 251.29
Zancle ciuitas. eodem.
ζῦρ. 130.36
Zephyrus. 61.23
Zodiacus. 40.1
Zonæ quinque. 3.27
Zona ciuitas. 93.14
Zoſter. 245.23.

FINIS.

A. IANVS PARRHASIVS C. CATVL-
liano Cottæ Mediolanenſi Patricio S.

VIDE quanta uis in bonis artibus ſit, Ca
tulliane. Quum multos omnis ordinis
ætatisq; diſcipulos habeam, morum gra
tia chariſsimos, noſter in te tamen amor
præcipuus eſt & ſingularis: non adeò ſanè quòd tuis
facultatibus æquè utar ac meis, quàm quòd admodũ
prætextatus, tanta bonæ frugis argumenta cottidie
præbes, ut quæ indoles in alijs appellatur, maturæ in
te uirtutis ſpeciẽ præſeferat. Eoq; mihi grata tua fue-
runt officia: quod abs te ita inſtituto proficiſceban-
tur, alioqui uetus apud Græcos adagium non excide
rat, οὔτε πάντα, οὔτε πάντοθεν, οὔτε παρὰ πάντων: nec o-
mnia, nec paſsim, nec ab omnibus. Refert (mihi cre-
de) refert, & quidem maximè, quam quis originem
generis ſortiatur. Nam ut animi plerunq; labes, ſic &
honeſtamenta morum, cum uita ſimul emanant in
poſteros. An ſi quis non rudis aut iniquus omnino
iudex, L. Cottam auum tuum norit, qualem ſe in o- L. Cotta.
mni uitæ colore domi foriſq; præſtiterit, quibus ho-
noribus in ſua repub. functus ſit, qua pietate deos co-
lat: qua prius patientia clariſsimi uiri Catulliani pa-
rentis tui, mox Alberti, nepotis ſui, fratris tui, imma-
turos obitus tulerit: & nũc aduerſam ualetudinem fe
rat, ut dolori reſiſtit, ut erumpentes gemitus premit,
ut incredibiles cruciatus immotus tacitusq; tranſmit
tit: C. illum Cottam, uirum triumphalem, Pontifi- C. Cotta.
cum maximum, ueſtræ domus autorem, ſe uidere nõ
putet? Neq; minores eloquentiæ fructus in patre tuo Catullianus
Catulliano ciuitas hæc amiſit, quàm libertatis in ue- Cotta.
ſtris olim gentilibus, ſeniore Catulliano, Alberto, Albertus.

 Cotta.

Innocentius Cotta. Innocentioq́: quibus pro communibus patriæ fortunis oppetita mors, diuturniorem apud hominum memoriam uitam peperit. Quàm peritus priuati iuris & publici pater tuus? quantum rerum, quantum exemplorum, quantum antiquitatis tenebat? Nihil erat quod quis uellet diſcere, quod ipſe docere non poſſet. Aequi iuſtiq́; ſeruantiſsimus, aduerſus duas capitales hominũ peſtes, auaritiam & ambitionem, inuictum animum geſsit. Per eadem ueſtigia Albertum germanum tuum pleno gradu incedentem, è medio rerum curſu mors importuna ſurripuit. Sed nihil iam queror, modo te nobis, & alterum fratrem Hieronymum, rebus gerendis ac bellica uirtute iuuenem qua parte uoluit eminentiſsimum, non inuideat: qui multorũ deſideria ſatis eſtis explere. Quid enim laudis, gloriæ, ſplendoris, in maioribus ueſtris unquam fuit (quorum perpaucos ſimiles & hæc urbs & olim Roma tulit) in quo uel præſenti fide, uel certiſsima ſpe non reſpondeatis? Omitto corporis dignitatem: quam licet omnes in uobis penè diuinam ſuſpiciant, ipſi tamen (quia morbo uel tempore defloreſcit, nec noſtra nec animi eſt) inter uera bona non ducitis: ac ut oblatam non ſpernitis, ita profecto non admiramini. Sanctiſsimi uero mores, ingenium, memoria, ſtudium, dicendi copia, quem non excitarent ad uos amandũ? Verſus & epiſtolæ, quas tu (cuius hoc proprium munus eſt) cottidie meditaris, fidem noſtri ſermonis abſoluunt: in quibus opulentiam Ciceronis, florente Plinij parſimonia temperas: ut in carminibus elegantia Tibulli, Martialis argutiam, ut ab illo Cotta tuo, cuius nomen ſupprimere piaculum Naſo duxit, abſuturus non uideare. Vererer adulationis ſuſpi-

Hieronymus Cotta.

ſuſpicionem, niſi tale iam ſpecimen de te dediſſes, ut potius multoq́ magis uerendum mihi ſit, ne ijs qui familiarius te norunt, malignus aut infans appareā. Sed obſequendum tibi fuit, qui rectè facti conſcientiam ſatis eſſe contendis. At illud non prohibebis, quin ego tibi pro tantis erga nos meritis aliquid gratiæ referā, καὶ βῶλος (ut aiunt) ἄρουραν. Scio te gemmas & auri munera non expectare, quod in ampliſſimis opibus tua fortuna non expetit, & reculæ noſtræ minimè patiuntur. Accipe nūc igitur Enarationes in Claudiani raptū Proſerpinæ, quas tuo nomine ſuſceptas (ut ſcis) anno maturius abſoluimus: tibiq́ dicamus, pietatis erga præceptorem tuæ, beniuolentiæ erga te meæ perpetuum teſtimonium. quas ſi per ocium lectitaris, inuenies in ijs permulta noſtris ignota, quæq́ tibi eruditionem uoluptatemq́ afferant haud mediocrem: nec obſcure percipies, me tibi ut uiua uoce, ſic etiam ſcriptis prodeſſe uoluiſſe.

Bene Vale, & Ianum tuum ama.
Mediolani, VII Calendas.
Ianuarias. M. D.

CL. CLAVDIANI VITA,

per A. Ianum.

CL. Claudiano ſimile quiddã contigit, quod Homero. Vt enim Chij, Smyrnæi, Rhodij, Colophonij, Argiuiq́;, & Athenienſes, multiq́; præterea ſibi illũ ciuem uindicãt: ita de Claudiani patria pleriq́;, ſed imprimis Aethruſci, qui Florentiã colunt, & Hiſpani, dubia diu uictoria certauerunt. Eorũ litem nos omnium primi diremimus, Aegyptium ſuſpicati, ex ijs eius ad Hadrianum uerſibus:

Claudianus Aegyptius.

Audiat hoc commune ſolum, longeq́; carinis
Nota Pharos, flentemq́; attollens gurgite uultum,
Noſtra gemat Nilus numeroſis funera ripis.

Et ad Gennadium proconſulem,

Graiorum populis, & noſtro cognite Nilo.

Vbi pronomen accepit, ut Martialis ad Lycianũ, Noſtræq́; laus Hiſpaniæ. Confirmauit & nos in ſententia Suidas, in cuius Collectaneis hunc in modum (quanquam Græcè) ſcriptum eſt. Claudianus recenti memoria, uerſificator Alexandrenus, Arcadij Honorijq́; principatu floruit. Apollinaris quoq; Sidonius hoc Hendecaſyllabo:

Et Peluſiaco ſatus Canopo,
Qui ferruginei toros mariti,
Et Muſa canit inferos ſuperna.

Alexandriam uero ſub hoſtium Nili Canopicum ſtatuit Alexander Philippi filius, architecto Dinocrate: quum prius illic eſſet oppidũ perexiguũ Rhacothes, eodem quo lacus nomine, qui poſtea Mareotis eſt appellatus. & ſi corrupti Plinij codices (etiam poſt tot cenſuras) habent Arapotes, aut Erapotes. Inde prodierunt (ut inquit Hircius) homines ingenioſiſsimi atq; acutiſsimi, non in medicina tantum, Galeni confeſsione, ſed in omnibus ingenuis artibus eminentiſsimi, qui orbem diſciplinarũ, quem Græci dicunt ἐγκυκλοπαίδειαν, è ſeculo fugientem reſtituerunt: ut Andron in Temporibus autor eſt. Nam quum ſucceſſores Alexandri bellis omnia uexarent, interq́; diuturnos armorum ſtrepitus manſuetiores apud alios Muſæ penitus euanuiſſent, Aegyptiq́; rerum potiretur ille Ptolemæus, quem peculiariter Alexandrini (propter impotentem ſuperbumq́; dominatum) κακεργέτην uocant: uelut è poſtliminio mortis in lucem reuocatæ ſunt. Is enim ſcelerum conſcientia, quum ſuſpectos haberet Alexandrinos, partim eorum trucidauit, partim extorres egit. unde Grammatici, Philoſophi, Geometræ, Muſici, Pictores,

Plinii locus.

Ptolemæus. κακεργέτης.

Flores, Medici, idq́; genus alij, omnis penè urbes & inſulas ex fuga compleuerunt: anguſtiaq́; rei familiaris & difficultate rerũ coacti, quam quiſq; norat artem profitebantur. idq́; in illo malo commodi fuit, quod propè extincta bonarum artium ſtudia reuixerunt, in noticiam poſterorum propagata. Quod ſi nihil aliud ad claritatem ſui nominis Alexandria protuliſſet, illuſtraretur hercule uel uno Claudiano: qui præter ingenij monimenta, quæ de ſe prædicant, in uita tantus fuit, ut Arcadio Honorioq́; gratus, ampliſsimis ab utroq; muneribus honeſtaretur: & ſtatua, cuius baſis in Foro Claudiani ſtatua. *Traiani inter Vrbis ruinas effoſſa nuper eſt, cum hoc ellogio:*

CL. CLAVDIANO V.C. TRIBVNO
ET NOTARIO

Inter cæteras ingentis artes prægloriosiſsimo poëtarum: licet ad memoriam ſempiternam carmina ab eodem ſcripta ſufficiant, attamen teſtimonij gratia, ob iudicij ſui fidem, DD. NN. Arcadius & Honorius, feliciſsimi ac doctiſsimi Imperatores, ſenatu petente, ſtatuã in foro Diui Traiani erigi collocariq́ iuſſerũt.

ΕΙΝ ΕΝΙ ΒΙΡΓΙΛΙΟΙΟ ΝΟΟΝ ΚΑΙ ΜΟΥΣΑΝ ΟΜΗΡΟΥ
ΚΛΑΥΔΙΑΝΟΝ ΡΩΜΗ ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΕΙΣ ΕΘΕΣΑΝ.

Id eſt,

Mœonidæ cui mens Claudi, cui Muſa Maronis,
Hanc tibi cum Roma Cæſar uterq; dedit.

Vel ita, ſi quis inſolentiam ſyllabæ non reformidet in Claudiano:

Vergilij mentem, Muſam quod haberet Homeri,
Conſtituere duces, Romaq́;, Claudianon.

Illud in epigrammate Græco ſcitu dignũ, quod Virgilium per iota ſcribit: Virgilius per i ſcribendũ. *ut in omnibus etiam Stephani codicibus inuenire eſt, in uerbo Mantua. quod arguit illorum uanam ſuperſtitionem, qui tantum per e Vergilium notandum putant. Huius ſtatuæ meminit in Præfatione belli Getici pro Stilicone:*

Sed prior effigiem tribuit ſucceſſus amœnam,
Oraq́; patricius noſtra dicauit honos:
Annuit hic princeps titulum, poſcente ſenatu,

Reſpice iudicium quàm graue Muſa ſubis.
Et paulopòſt:
Quod legimur medio, conſpicimurq; foro.

Conſulatu functum contendunt ij, qui V. C. duas ſuperioris tituli notas interpretantur, Viro Conſulari. Sed alij Quintæ Cohortis exponunt: ut cū Tribuno coniungatur inſcitè. Notarij dignitatem tres eodem tempore ſortiebantur, A ſecretis alio uerbo dicti, quibus publicè legendi ſcribendiq; ius erat: ſiquid in Latinis Suidæ credimus. Multa ſcripſit, quæ quoniam ſunt in manibus, non eſſet ocij noſtri ſingillatim recenſere. ſed nouiſsimè de Raptu Proſerpinæ libros quatuor: ultimum tamen aut non abſoluit, uel iniuria temporum deſideramus. Eius argumentum quoniam poëticum eſt, de fabula primum dicere ab re non erit.

FABVLARVM GENERA.

Fabularū genera Macrobius plura tradit, & in ijs illud quod Philoſophi non reijciunt, in quo ueritas per compoſita quædā ficta'q; profertur: ut ſacra Cereris, & huiuſmodi cerimoniæ. quas ideo noſtri maiores abſoluta ſimpliciq; narratione nō prodiderūt, quia ſciebāt inimicā eſſe naturæ, apertā nudamq; ſui expoſitionē. Ceres. Berecynthia. Bona dea. *Ceres itaq; cāpeſtris ac fœcundi ſoli uim deſignat, ut montani lapidoſiq; Berecynthia, ſeminū Bona dea, quæ & Proſerpina: ut Porphyrius apud Græcos interpretatur. Hæc à Plutone rapta eſt, quum Ceres Berecynthiā uiſiſſet. Nam ſi quamlibet uberes agri per neglectum, uel alia de cauſa, in glaream ſcrupoſamq; terræ naturam tranſierint, ſemen iniectum deperit. nec ea iactura niſi magno labore reparatur: quod in Cereris errore repræſentabant. Poteſt & ad alios ſenſus trahi, quos omnes perſequi ſuperuacaneū foret. In Sicilia res ideo geſta fingitur, quod illic (ſi Diodoro credimus) primo ſua ſponte triticum prouenit.*

CARMINIS GENVS.

Heroici carminis inuentio. *Carmē in ipſis tantū præfationibus elegiacū, in alijs heroicū, cuius inuentionē Plinius Apollinis oraculo tribuit: et Pauſanias quorundam ſententia refert, omniū primā Phemonoēm Delphicam uatē carmine hexametro uſam eſſe. aliquando columbas Dodonæas, ſiue ex auium genere, ſeu*

re, ſeu Sibyllæ fuerint, has antè Phemonoën heroicum carmen hoc in Iouem cecinisſe:

Ζεῦ ἦν, Ζεῦ ἐστιν, Ζεῦ ἔσσεται, ὦ μεγάλε Ζεῦ.

Boeo tamen, & ipſa delphica uates Apollinis, indigenaq́; , cuius in eundem Deum Græcè ſcriptus hymnus aliquando celebrabatur, & Lucinæ laudes apud Delum, ait ex Hyperboreis Agyieum Pagaſumq́; ueniſſe, nec ita multo pòſt Olenem, qui poſt hominum memoriam primus longis & hexametris uerſibus Apollinis oracula ediderit, primusq́; uates Pythius extiterit. Elegorum uero origo, ut inquit Flaccus, incerta eſt. inſtitutos tamen inter omnes conſtat, deflendo deſiderio mortuorum: moxq́; ad amores eſſe traductos. ſed nomen retinuerunt, à miſerabili cantu, quem olim fundebant: ab ἐλεεῖν, *quod eſt miſereri. Nonnullis ab Theocle Naxio, ſeu magis Erythræo manaſſe placet: dum per amoris inſaniam uociferaret,* ἒ ἒ ἒ. *Alij ab ea quidem particula dictam non negant, uerum quam non Theocles, ſed Phrygiæ rex Midas emiſerit, quùm parenti iuſta perſolueret, adiectisq́; literis inde nomen elegiæ conflatum. quod ſi uerum ſit, dubium non relinquitur, cur Ouidius priores duas ſyllabas in eo uerbo produxerit.* ἒ *quippe interiectio, qua dolentis affectus apud Græcos exprimitur, diphthongo protrahi, notius eſt q̃ ut oporteat indicari. Nec deſunt qui nominis rationẽ ab* ἐλεγαίνειν *Græco uerbo deflectant, quod inſanire ſignificat: quia commotæ mentis Theocles id carmen effuderit. Terentianus & Cenſorinus primum elegiæ autorem Callinoum uideri uolunt, ſi modo fidelia ſunt exemplaria.*

Elegorum origo.

Præfationis

PRAEFATIONIS ARGVMENTVM.

GRandioribus & iuſtis operibus aliquid ſtylo remiſsiore præludere, uetus inſtitutũ fuit, eorũ qui cruda in mediũ ſtudia non propellebant. Hac iuit Homerus, hac Maro, Papiniusq́; , et Claudianus, *ut ipſe de ſe profitetur. Nã quid in grauioribus præſtare poſſet, expertus in Panegyricis: ubi ſatis inſtructus apparuit, ad heroicam maieſtatem ſe contulit. Raptumq́; Proſerpinæ tanta cum laude cecinit, ut in eo ſolũ poëtæ perſonam ſuſtineat, quum uerſificator in cæteris habeatur, ut Suidæ teſtimonio iam docuimus. Carmen enim, quod argumentum ſumit ex hiſtorica fide, præſertim noua, nec habet eas partes quas in* Virgilium Seruius, *& nos ab alijs autoribus in* Papiniũ *recitabimus*, Epopœia Græcè, Latinè Verſificatio *(niſi quem uerbi duritas offendit) appellatur, & non poëma. quippe fabula uelut anima poëmatis eſt, ut ſentit* Ariſtoteles, *citra quam nemo uerè poëtæ nomen obtinet. Inde Lucanus in ordinem poëtarum non uenit, etiamſi per iocum Martialis affirmat.*

Lucanus non in poëtarum ordine.

Præfationis autẽ ſenſus à ſimilitudine colligendus eſt. Vt enim qui primum mare tentauit, inuentionis ſuæ periculum fecit in tuto, ſenſimq́; ſuccedente conatu, quum iam rudimenta poſuiſſet, à littoribus (quæ preßim antea legebat) ſublatis uelis altum petijt, uſq́; confirmatus, per ſuſpecta nautis maria curſum tenuit: Ita nos (inquit) in humili ſtylo ſcribendiq́; genere diu uerſati, proximum gradum facimus ad ſublime.

FINIS.

CL. CLAVDIANI IN RAPTVM
PROSERPINAE PRAEFATIO.

INuenta ſecuit primus qui naue profundum,
Et rudibus remis ſollicitauit aquas,
Qui bubijs auſus cõmittere flatibus alnum,
Quas Natura negat, prębuit arte uias.
Tranquillis primum trepidus ſe credidit undis,
Littora ſecuro tramite ſumma legens.
Mox longos tentare ſinus, & linquere terras,
Et leni cœpit pandere uela noto.
Aſt ubi paulatim præceps audacia creuit,
Cordaq; languentem dedidicere metum,
Iam uagus irrupit pelago, cœlumq; ſecutus,
Aegæas hyemes, Ioniumq; domat.

A. IANI PARRHASII
COMMENTARIVS

Inuenta ſecuit primus &c.) *Maria nauibus adire* Phœnicas *inſtituiſſe*, Mella Pomponius *auctor eſt. &* Tibullus, *Prima ratem uentis credere docta* Tyros. *Dionyſius* Apher *Aegyptios, niſi quis eoſdem cum, phœnicibus accipiat, quod nõ placet. Neptunũ* Diodorus *in* Creta, Heſiodus *in Aegina Mirmydonas. Alij tradiderũt* Erythrã *in* Mari *rubro, quod ab eius etiã nomine* Erithreum *memoratur. alij* Myſios, *cũ tranſirẽt aduerſus* Thracas, *cuius expeditionis meminit* Acharion. *Sunt qui* Danaum *ſcribant, ex Aegipto profugum in Achaiam naue delatum, quæ poſt hominũ memoriam prima fuerit, Mineruæ opus, ut fabuloſe refert* Hellanicus. *Iaſonem longa naue primũ nauigaſſe*, Philoſtephanus *ante* Plinium *retulit. is quam cæteri longius progreſſus, inuentionis huius in ſe gloriam tranſtulit*, Ouid. *Primæq; ratis molitor Iaſon.* Charax *autem nõ*

*una tantũ naue(quod alij prodiderunt)ſed claſſe Colchos ingreſſum tradit Ia
ſonem. Ac ex ijs aliquot errore actas, Emochos græcum genus in ponto propa
gaſſe. Porro nauigandi peritia, quamquam nõ ſtatim, nec ab uno, ſed à multis,
diuerſis etiã temporibus abſoluta fuerit, arti tamen, a qua profecta ſunt, omnia
poeta tribuit. Inuenta.) Excogitata, quippe Inuenire et Reperire, hoc inter
ſe diſtant, quod alterum ſtudij eſt, alterum fortunæ. Inachus apud Oui. Tu nõ
inuenta reperta es. uel inchoatam. Nam nihil eſt, inquit Ci. ſimul & inuentũ
& perfectum. Profundum.) Mare, uel ab imò uaporũ faſtigio, uel à ſummo,
nam & æquor altum dicitur, & profundũ ſublime. Verg. Aeneid. primo, Ma-
ria ac terras, cœlumq; profundum. Rudibus.) inſcite factis, ex informi mate
ria, citra ſpeciem aut delectationem. Cintius de uerbis priſcis ait, Quemad-
modum omnis ferè materia non deformata rudis appellatur, ſic ueſtimentum
rude, non perpolitum: ſic æs infectũ, rudus et ruduſculum. nam priusquam re
mum Copæ inuenirent, eiuſq; latitudinem Plateenſes, ut in primo catalogi
ſcribit Apollodorus, quibuſcunq; contis nauigia ſubigebant. Ad ipſos homines
etiam referri poteſt, qui tum nauigationis experti non erant. Ouidius, Vela
dabat uentis, nec dum bene nouerat illos Nauita. Sollicitauit.) non aliena uer
bi ſignificatio eſt, ut quidã putant. nam qui terrã uertit, ſollicitare proprie di
citur. Tibullus, Et teneram ferro ſollicitauit humum. uerbum componitur ex
Solo & Cito: quod (ut Verrio placet.) eſt moueo. Solum uero, maris etiam no-
men eſt. Verg. Subtrahiturq; ſolum. Auſus.) hoc ait, quoniam rem certi diſcri
minis & inconceſſam tentauit. Horatius primo Car. impiæ Nõ tangenda ra-
tes tranſiliunt uada. Audax omnia perpeti Gens humana ruit per uetitum ne-
fas. Alnum.) minoris formæ nauim, quæ ex integra alni materia cauatur.
hic indifferenter accipit omne nauigium. ut Seneca. per immenſum mare mo-
tura remos alnus. Eſt autem fluuialis arbor Alnus, humoris patientiſsima, fabri-
cãdis apta nauigijs, quod aquis obruta diu nõ corrumpitur. auctor Vitruuius.
& Lucan. Pharſaliæ. iij. Fluctibus aptior alnus. Alnos in ſola creta nõ eſſe ſte
riles, inter naturæ miracula rettulit Ariſtoteles. Flatibus.) uentis. de quibus
Strabo, Seneca, Plinius, & Gellius ſatis multa. Dubijs.) incertis, quod ijdem
ſemper nõ ſpirant, et qui ſe uentis cõmittunt, in dubio uitã habent, et à leto pa
rum diſtant, ut ait Homerus. & Seneca in Hercule furente, carbaſa uentis Cre
didit dubius nauita uitæ. Innotuit & illius philoſophi ſcomma, qui quopiam
percontãte, uiuentes ne plures eſſent an mortui? Nauigantes (inquit) utram in
partem ponis? Et Iuuena. I nunc, & uentis animam cõmitte, dolato Confiſus li
gno, digitis à morte remotus Quattuor, aut ſeptem ſi ſit latiſſima teda. quod*

*Anacharſidis exēp'o dixit, de quo lege Laertiū. Natura.) Columella, Rupto
naturæ fœdere terreſtre animal homo, uentorū & maris obiectus iræ, ſe flucti
bus audeat credere. Zeno ſtatuit ignem eſſe naturam, quæ quicq; gigneret, &
mentem atq; ſenſus. Seneca nō aliud eſſe quam Deum, qui nobis ſolidum & ad
nos ſuſtentandum idonæum elementū terram dedit, noſtra tamen improbitas
in alienas ſedes irrupit. aut Natura, ſcilicet humana. nō enim ea cōditione nati
ſumus, ut per aquas ingrediamur. De natura diſtinctius et uberius huius operis
iij. Legens.) preſsim nauigans, et remo radens. Ver. Primi lege littoris oram.
Quippe nautæ tranſmiſſo per manus fune aſpera loca traijciunt, aut montes,
per quos præceps in nauigantes uentus impingitur. Idq; legere dicunt, ut do-
cet Seruius. Litora ſumma.) Maris & terræ confinia. Eſt autem littus, quo
maximus fluctus hybernus peruenit. Itaq; M. Tullius arbiter aſſumptus olim
cōſtituit. ut iuris ciuilis auctor Celſus ait. Sinus.) oras, patētibus terrarū gre
mijs, Eſt enim Sinus inflexo tractu littus quod mare penitus accipit. græci κόλ-
πους uocant. Noto.) ſpecies pro genere. nota figura. is Hauſter dicitur ab hau
riendis aquis: ut quidam tradunt. quoniam nebuloſus atq; humectus eſt. eadem
græci nominis ratio nam ὑετὸς humor apud eos appellatur. ut monet Gellius.
Audacia præceps. incauta: quæ penſi quicquā nō habet, omnia temere aggre
ditur. Dedidicere.) Diſcere congnitionis eſt. Ediſcere memoriæ. cui ſi quæ mā
damus excidunt, tum Dediſcimus. Ouid. in ponto. Dedidici iam bona uerba lo
qui. Cæſar, nomen diſciplinamq; populi romani dedidicerant. illud te nolim fu
giat. ea uerba quæ preteritū tempus iterant, à prima ſyllaba, ſi acceperint præ
poſitionē, mutari. Pendeo pependi, inpendi. Spondeo ſpopondi, deſpondi. Ton
deo totondi, contudi. cæteraq; preter hæc duo diſco & poſco. faciunt enim
didici & popoſci. Languentem.) torpidū inertemq; et ignauum ab effectu,
ut doloſus apud Perſium nummus: qui mortales ad nectendas fraudes impel-
lit. ob id à Phocyllide ſub auri nomine execratus. Aut languentem. quia terror
hominibus mēbra debilitat, ut inquit Hircius. cauſam reddit Ariſtoteles in pro
blematibus. Nam defectionem diſſolutionemq; languor etiam ſignificat, ut ob-
ſeruauit & docuit Nonius. Vagus.) Errans quæ nauigantibus apta uox eſt.
Tiberius Donatus in uita Maronis. Oreſtes circa Siciliam uagus. Tiberius in-
quam, Donatus non Seruius. ut uulgo fere creditur. Sed Donati iam titulo no-
ſtra caſtigatione Minutianus impreſſit. Irrupit.) Contra naturæ fœdus inua-
ſit & penetrauit. Pelago.) in altum. in hac elocutione frequens eſt Maro. Pal
mas cœlo cum uoce tetendit, & It Clamor cœlo. Cœlumq;.) ſecutus Maiores
(ut hodieq;) nauiū curſus ad ſiderum ratiōnē dirigebāt, ut teſtis Home. eſt, &*

 Tibullus,

Tibullus. Ducunt inſtabiles ſidera certa rates. Aegæas hyemes.) Aegæus ſinus ab Aegis Achaiæ nomē accepit, ſeu quod Straboni magis adulatur. ab Aegis Euboeæ. Varro, Solinus, & Martianus, ita uocatū putant, à ſcopulo qui in eo nauigantiū, proſpectu αἲξ, ideſt, capra uideatur, eius apud Pacuuiū mentio fit. Ad Aegas Achaiæ preternauigantium nemo maris tempeſtatenu paſſus creditur, Neptuni preſentia. qui (ut Nicocrates ait) illic impendio colebatur. Vnde factum maris uocabulum quidam uolunt. Quod Aegeus uel (ut alij codices habent) Aegæon antiquum neptuni cognomen fuerit, ut ait Pherecydes & apud Home. legimus. Alibi tamē idem Nicocrates ab Aegei caſu deducit. qui ſe illuc ab arce Athenarū deiecerit, quod ut credamus arx ipſa procul à mari ſita non fuit. Ad hiſtoriæ fidem Papinius acceſſit, qui non ab Acropoli, ſed à Sunio precipitem ſe dediſſe canit. Sunion unde uagi caſurum in numina ponti Creſſa. decepit falſo ratis ægea uelo. Feſtus adijcit aliam nominis rationē. Quod in eo amazonū regina Aegea perierit. Hyemes.) æſtus et tempeſtates maris. Ver. Iam ualidam Ilionei nauē, iam fortis achatæ uicit hyems. Aegæum quippe Mare, quod Apher Dionyſius tradit, crebritas inſularum reddit confragroſum. Maro, Crebris legimus freta concita terris. & Papi. Achillei. primo. Aegææ frangunt ubi ſaxa procellæ, uel ἀπλῶς hyemes accipe nimbos & fluctus. Nam uentoſiſſima regio inter cycladas eſt ut ait Liui. Ionium.) antea Saturniū dicebatur, poſt Ionium uel ab Ius errore, quod Lycophroni placet & Aeſchylo, uel ab Ionio illyrici generis homine, ut in primo uigeſimoq; Theopon. refert, uel quod in eo perierunt Iones, ut Archemachus arbitratur. Nonnulli tamen, ut tradit Euſtathius, ita ſcribunt Iaon Italus Adriæ pater fuit, à quo Sinus Ionius, qui mox ab Adria filio dictus eſt Adriaticus. Domat.) Superat, unde domitæ pacatæ prouinciæ dicuntur, aut domat cōſcendit, eiuſq; tergo uelut equi uehitur ab equis enim translatio ſumpta eſt.

ARGVMENTVM PRIMI.

Dux herebi Pluton molitur bella tonanti,
Quod dulces natos, exoptatosq; hymenæos
Neſciat, exorant Parcæ ne claſſica pulſent
Rauca prius, quam grata Iouem cōnubia poſcat
Ditis Athlantiades celeres fer iuſſa per auras.
Audierat mandata pater, ſecumq; uolutat
Diuerſos ducens animos, quæ tale ſequatur

Coniugium, patrui tandem Proſerpina lecto
Damnatur. quam flaua Ceres (heu cæca futuri)
Aethere deſerto, Siculis commiſerat oris,
Turrigeræq; petit Cybeles ſecura penates.
Accelerat præcepta Venus, iuſſuq; parentis
Pallas, & ipſa comes Veneri ſoror addita Phœbi.
Vt uentum ad ſedes. plaudentem pectine telas
Germanam offendunt, rediture munera matri.

PRIMI PERIOCHA

Dicta poetæ uita, dictum carminis genus eſt, & quæ προλεγόμενα græci uocant, reſtat argumentum libri, quod eſt hoc. Pluton qui Diſpater & Orcus latine dicitur inpotentiſſime ferens quod ex omnibus dijs uxorem non haberet, in Iouem bellum parabat, habitoq́; delectu copias ex monſtris inferni confectas in cœlum duxiſſet, ni parcæ ſupplices ab eo contendiſſent, ut de connubio cum Ioue prius ageret. Auditis eius per Mercurium mandatis Iuppiter animi dubius diu pependit. Tandem Proſerpinam fratri deſtinat, negocium Veneri dat. Illa (ne Proſerpinæ ſuſpecta eſſet) aſſumptis Minerua Dianaq́; comitibus in Siciliam deſilit, ipſamq́; Proſerpinam per abſentiam matris occupat, & aſtu circumuenit. Quid actum poſtea ſit inſequēs liber oſtendet. Nos quid in hoc fictionis inuolucro latere ſuſpicaremur ante diximus. Marcus autem Varro ſentit in Proſerpina ſeminum fecunditatem repreſentari, quæ quodam tempore quum defeciſſet, & terra quaſi ſterilis orbaq́; mœreret, exortam eſſe opinionem filiam Cereris ab Orco raptam: Quomodoq́; mortales annonę iacturam publico luctu proſecuti fuiſſent, longe poſt redditam copiam lætos alacresq́; excepiſſe inſtitutis ſacris, quę myſteria nominentur. Hiſtoriæ fidem ſi quis aliter habere cupit, Euſebium legat & Suidam.

CL. CLAVDIANI DE RAPTV PROSERPINAE LIBER PRIMVS.

INferni raptoris equos, afflataq; curru
Sidera Tænario, caligantesq́; profundæ
Iunonis thalamos, audaci promere cantu
Mens congeſta iubet. greſſus remouete profani.
Iam furor humanos noſtro de pectore ſenſus
Expulit, & totum ſpirant præcordia Phœbum.

A. IANI PARRHASII COMMENTARIVS

INferni raptoris.) Orci. per quem uetuſtas (ut Varro docet) infimam mundi partem uoluit intelligi. quæ quod ſemen glebis obruitur, quodammodo rapere uideatur. *Afflata.)* caligine currus obducta. *Tænario.)* Ditis inferni Dei. Tænarus oppidi portus, & promontorij Laconiæ nomẽ eſt. id Tænarus Elati filius ab ſe dedit. ut Pherecydes in nono tradit. Ciuitas (ut eſt apud Pindarũ) Neptuno ſacra fuit. unde Tænarius à Propertio Neptunus appellatur. Peruius illic ad manes ſpecus oſtentabatur, ut ſcribit Strabo, de quo Menander πύλη τίς ἐστι ταινάρῳ πρὸς ἐσχάτῳ. hoc eſt oſtium quoddam Tænaro ſub ultimo eſt. & Maro, Tænarias etiã fauces alta oſtia Ditis. Placidi ſententiam, quia non placet omitto. *Raptoris.)* qui proſerpinam rapuit & aſportauit de quo queritur apud Ouid. Ceres ad Iouem. neq; enim prędone marito Filia digna tua eſt.

Profundæ Iunonis.) Lutatius ait Pythagoram duo hemiſpheria ſtatuiſſe, e quibus Superũ Ioui atq; Iunoni, inferum Diti & Proſerpinæ tribuit. de quo Claudianus intelligit. Papinius, Iouem profundum Plutonem, profundam Cererem Proſerpinam dixit, quam Vir. Infernam Iunonem. *Thalamos.)* conubiũ. Dido Naſonis in Heroidibus, Neſcio quẽ thalamis præpoſuiſſe ſuis. Quippe coniugale cubiculum Thalamus eſt, in quo uir & mulier θάλλουσιν. hoc eſt prolem ſuſcipiunt & germinant. Sed & uirginum ſedes quas Euripides in phœniſſis Parthenonas appellat, Thalamos in. ij. metamorpho. idem uocat Ouid. Pars ſecreta domus ebore teſtudine cultos Tris habuit thalamos, quorũ tu Pandroſe dextrum, Aglauros læuum, medium poſſederat Herſe. Ad infernas etiam Proſerpinæ ſedes referri poteſt. Eas apud Statium Manto ſe uidere teſtatur. Stygiæq; ſeueros Iunonis thalamos, & mœſta cubilia Cerno. Thalamus

item Thuriæ mons eſt, & ſacer in eo ſpecus ab indigenis Aluſiæ cognominatus ab Aluſio proximo amne ut ſcribit Lycus. Mens congeſta.) A uoluptate, id eſt, à corpore, à re familiari, quæ eſt miniſtra et famula corporis. à rep. à negocio omni ſeuocatus animus, ſecũ q; eſſe coactus ut inquit. Cicero. Quid ſi mens cõgeſta intelligatur, retrorſus auocatus animus ad cogitandũ? Nam quanquã Mens in ſummo capite conſtituta, tanquam in cœlo Deus eſt, quum in aliqua cogitatione tamen eſt, commeat ad pectus & quaſi in ſecretum aliquod penetrale ſecedit. ut conſilia tanquam ex theſauro recondito eliciat ac proferat. Idq; cogitare dicitur ut Varro docet, Animus, anima, mens, et conſilium (ſi Lucretio credimus) idem eſt, hinc amens, cui conſilij copia non eſt Verg. Arma amẽs capio, nec ſat rationis in armis. Papinius de Adraſto, Amens incertuſq; animi.

Greſſus remouẽte profani.) à ſacris Cereris profani uoce præconis excludebãtur, ut Trãquillus eſt auctor. Idẽ laudes Apollini dicturus agit Callimachus, ἑκὰς ἑκὰς ὅστις ἀλιτρός. idq, Verg. interpraetatur. Procul o procul eſte profani. quo uerbo ἀμιόστροι, id eſt, nõ initiati ſignificantur, ut docet Seruius. eoſdem Claudianus & illabentis in eius pectus Apollinis reuerentia atq; initiorũ, quæ toto opere celebraturus eſt ablegat. Ipſe quoq; Porphyrius antiquorum fabulas relaturus ad rationem naturæ. Quibus fas (inquit) eſt aperiã. abſiſtite procul hinc improbi, quos priſci cælatos quum uellent, Deum atque eius numen corporibus & imaginibus ſenſu preditis intimarunt, quæq; uiſu percipi non poſſunt ea figuris ad aſpectum poſitis, tanquam ſacris ægyptiorum notis magna myſteria tradiderunt. Iam furor.) Diuinus inpulſus, et mentis cõcitatio. Nam fruſtra poeticas fores compos ſui pellit. nec ullum magnum ingeniũ ſine mixtura dementiæ fuit. Si credimus Ariſtoteli. Neq; ſimplex furor eſt ut Plato diſputat. Alter enim uitiato corpore fit à morbo, quem medici phreneſin uocant. Alter animo diuinitus abſtracto, quem rurſus in quattuor alia genera diſtribuit. Vnum quod diuinatione cõtinetur. Aliud quod initiorum cerimonijs. Tertium quod proprium eſt poetarũ. Supremum, quod amoris eſt. et quidem fœlicis & ſancti. Democritus ait poeticã natura magis quàm arte cõſtare. & eos ſolos poetas eſſe ueros q inſaniãt. quod et Socrates apud Platonẽ cõſtituit & affirmat. hinc Ouid. ſuo iure dixit in faſtis. Eſt Deus in nobis agitãte caleſcimus illo, Impetus hic ſacræ ſemina mentis habet. Expulit humanos ſenſus.) quodã quaſi ſeceſſu mentis atq; animi facto à corpore quod numine afflatis uſu uenit. Lucanus in. V. de uate Pythia. mẽtemq; priorẽ Expulit, atq; hominẽ toto ſibi cædere iuſsit Pectore. Non poteſt grande aliquid ſuper cæteros loqui niſi mota mens, inquit Seneca, quum uulgaria & ſolita contempſerit, inſtin

ctuq;

ſtuq; ſacro ſurrexerit excelſior,tunc demum aliquid cecinit grandius ore mortali,nec poteſt ſublime quicquam & in arduo poſitum contingere quam diu apud ſe eſt.decidat oportet à ſolito & efferatur & mordeat frænos & recto rem rapiat ſuum,eóq; feratur quo per ſe timuiſſet aſcendere. Phœbum.)per epitheton Apollo Phœbus dicitur, ἀπὸ τ̃ φοιτᾶν βίᾳ. hoc eſt quod ui feratur.ut ait Cornificius,uel à ſpecie et nitore.Nam græci φοῖβον purum & ſplendidum memorant.auctor Macrobius.futurorũ perſenſioni & poetis præeſſe credebatur quoniam ſentiendi uis omnis à ſole nobis eſt,ut pluribus uerbis diſputat Ammianus,qui res Iuliano Cæſare geſtas hiſtoria conplexus eſt. Iulianus enim ſolem ſuperſtitioſe coluit,& edita oratione laudauit. Spirant.)anhelant. Præcordia.)pectora quæ diuinus ille ſpiritus ſubit. Lucanus, nec ſi te pectore uates Accipiã,Cyrrhæa uelim ſecreta mouentẽ, Sollicitare deum.quippe præcordia proprie ſunt membranæ.quæ exta ſeparant ab inferiore uiſcerum parte ſic uocata,quia cordi prætenduntur,ut inquit Plinius.

Iam mihi cernuntur trepidis delubra moueri
Sedibus,& claram diſpergere lumina lucem,
Aduentum teſtata Dei, iam magnus ab imis
Auditur fremitus,templumq; remugit.

Iam mihi cernuntur.)Aemulatio Callimachi,qui eadem ſe per furorẽ uidere profitetur, οἷα δ' ὅλον τ̃ μέλαθρον σεισ[?]. id eſt,En Aedes ut tota tremit. Delubra.)Delubra ligna ſũt delibrata,hoc eſt decorticatã raſaq; pro ſimulachris deorum ueteri more poſita,ut ſcribit Verrius.Sunt & qui templa eſſe dicant ſingulis dijs attributa,Delubra multarum ædium ſub uno tecto à diluuio pluuiæ munitarum.Alij Delubra ſtatuũt ea templa, in quibus ſunt Delubra corporum abluendorum,more Dodonei Iouis,aut Apollinis Delphici,in quorum delubris lebetes tripodeſq; uiſuntur.Nonnulli Delubrũ accipiunt ubi præter ædẽ ſit Area aſſumpta deũm cauſa, ut erat in Circo Flaminio Romæ Iouis Statoris.ſeu locum in quo Dei ſimulabrum dicatũ ſit.ut à candela candelabrũ,quod Varro probat.Superiora ſcribit Aſconius, qui Verrij quoq; ſententiã rettulit, ſed damnauit. Trepidis.)motis et eubratis,ab ijs qui metuũt ſumpta tranſlatione,quibus turbatio trepit & mentem uertit,ut Feſtus ait. Claram diſpergere lumina lucẽ.)Si Phœbi radios intelligas perſpicuus ſenſus erit.Alij tedas accipiunt, quarum iactatione Cereris initia celebrabant, ad repræſentandos eius errores.Nam facibus in Aetna ſuccenſis,filiam ueſtigauit. ut tragœdiarũ poeta ſcribit Carcinus.Papinius in iiij. Syluarum. Tuq; actæa ceres curſu cui

ſemper

ſemper anhelo Votiuam taciti laſſamus lampada myſtæ. Qui uerſus ab interprete diſſimulatus, habet hiſtoriam. Nam quũ Diotimus Athenienſium claſſem præter oram Campaniæ duceret, ex oraculo Parthenopæ rem diuinam fecit, inſtitutis ludis cerealibus quos ætate Timæi Neapolitani ſollẽnes obſeruabant. inde uotiuam Lampadem Statius apellauit. quippe uotiui ludi faculis illuſtrantur. ut Aeneidos quinto docet, Seruius. præterea apud Sophoclem Chorus in Rizotomis (fabulæ nomẽ ideſt.) ita loquitur ἥλιε δέσποτα καὶ πῦρ ἱερὸν τῆς εἰνοδίας ἑκάτης. ideſt Phœbe regnator, tuque triuiæ Hecates ignis ſacer, aut Enodia Hecate dicitur quaſi uenatrix, ut ait Heraclides, ut Claudianus utrumq́; perite coniunxerit, exemplo Sophoclis, qui Solis lumen & Hecates ſimul inuocat. Nec illud omittam, quod in eadem Sophoclis tragœdia, Serpentum ſpiris & quernis frondibus Hecate coronatur, aliqui legunt limina, & à parte totum ſacram ædem accipiunt, aut eius oſtia quæ effundant lucem. *Aduentuum teſtata dei.* Apollinis, uelut Ceres intelligatur legendũ Deæ. Sed et Dei nihilominus defendi poteſt, quippe ſingulis quibuſq; Dijs utrunq; ſexũ uetuſtas dedit. ut docet Seruius & longa diſceptatione Macrobius. Caluus. Pollentemq; deum Venerẽ. de qua Vergilius Aenei, ij. Ducente Deo. *Fremitus.*) multæ uoces in unum cõfuſæ, fremitus proprie dicitur, ut indicat Seneca. Ver. Cuncti ſimul ore fremebant. Eſt & Fremitus binnitus equorum. Maro, per initia georgicorum. Tuq; ô cui prima frementem Fudit equum magno tellus percuſſa tridenti. ubi prima tellus ſi tamen Attica deſignatur ἀκτῶ: ora maris littuſq; non eſt accipiendũ. Athenienſes enim primam omniũ ſuam terrã, ſeq; primos homines predicabant, de generis antiquitate cũ Argiuis certantes, ut eſt apud Pauſaniã. nã primæ ciuitatis auctores uideri utriq; uolebãt. quorũ Athenienſes ſuam urbem per excellentiam Aſty nomiabant. ut ueteris Comœdiæ poeta teſtis eſt Ariſtophanes. & Attidos primo Philochorus. quiq; gentes exponit Stephanus quod eò magis à Seruio prætermiſſum miror, quo minus eum latuit hiſtoria. ſicut hæc eius uerba demoſtrant. Antiqua nobilis (inquit) neq; enim noua eſſe poteſt. licet primam terram ſuam eſſe dicant Athenienſes. Extant & rei ruſticæ collectanea ab auctore græco nequaquam negligendo imperatori Conſtantino nuncupata. in ijs ſcriptum eſt, per orbis initia qnomodo omnia aquis eſſent obruta acticam terram primam emerſiſſet, exortaq́; contentione inter Palladem et Neptunum uter eius nomen Imponeret, olea producta ſuperiorem fuiſſe Palladem, quomodo Ioui cæteriſq; Dijs eius donum præſtantius eſſet uiſum, quam portus & naualia quibus Atticam Neptunus ornauerat. hinc in Thebaide Papinius libro. xij. Phama minor factis. ipſos nam credere

dignum Cœlicolas, tellus quibus hoſpita ſemper Athenæ, Ceu leges hominumq; nouum, rituſq; ſacrorum Seminaq; in uacuas hinc deſcendentia terras, Sic ſacraſſe loco commune animantibus ægris Confugium. Nam quod indigenas ſe iactarent & in ipſo natos ſolo quod incolunt, Ioſepus Troguſq; memorãt, & Thucydides. Is ait Athenienſes ex auro cicadas in capite geſtare ſolitos, ut eo argumento ſe terra genitos indicarent. hunc ſane morẽ. Vergilius in Ciri (quod poematis nomen eſt) expreſſit ijs uerbis, Aurea ſollenni comptum quem fibula ritu Mopſopio, tereti nectebat dente cicadæ. Quippe Niſus de cuius capillo poeta loquitur (ut tragœdiarum ſcriptor Sophocles auctor eſt) Pandionis filius fuit, ex attica. malè qui deprauatum ſecuti codicem pro Mopſopio corpſeLe legunt, & á loco qui nihilo magis quam reſpublica Platonis extat, eburneam ſuſpicantur. Athenienſes uero Mopſopios appellatos non à uate, Sed ab alio quodam Mopſo docet Strabo. ſunt qui malint ab Oceani filia Mopſopia de qua Suidas.

Cecropidum. Sanctaſq; faces extollit Eleuſis.
Angues Triptolemi ſtrident, & ſquammea curuis

Templumq; remugit Cecropidum.) Cecrops ut fabuloſa tradit hiſtoria Terræ filius Apud Pauſaniam quodq; Erechtheo patre natus, interdum Pandione legitur in Achaicis enim refert Hellenis filius Xuthum Athenis exactum quod aſſumptus arbiter ab Erechthei liberis, inter quos de regno non conueniret, Secundum Cecropem natu maximum litem dederit. In Boeticis. apud Haliartum Cecropis inquit eſt ſacellum Pandionis filij, qui heroicos honores aſſecutus eſt, ut in alterutro uolumine menda ſit librarij uitio contracta. Charax autumat ex Sai profectum urbe Aegypti, quumq; barbaros & inconditos mores ad græcam lænitatem compoſuiſſet, gemini cognomentum ſortitus eſt. ut contra Cadmus à Thebis exul ob Lini cædem.) ſi Didymum ſequimur & zenobium uerſus in anguem dicitur ad Encheleas oppidum Illyrici, quod à priſtina clementiq; natura ad immanitatẽ barbaræ gentis efferatus eſt. Hunc rumorem de Cecrope quod imo latere tenus homo, deſineret in ſerpentem, Demoſthenes manaſſe in uulgus ait. quod ubi conſulto opus erat ſollertia atq; prudentia quæ propria hominis eſt, ubi facto, uiribus & audacia præſtaret. ut Draco Euſebius. quod græce Aegyptieq; & utraq; lingua commode loqueretur. Alij quod inuentis legibus homines ab agreſti uita ad mitiorem cumtioremq; traduxerit. Alij cum Trogo quod uaga prius uenere, quum paſſim uiri rem cum mulieribus haberent, neq; pater ſuos noſſet libros, nec

ab

*ab illis item noſceretur, introducto matrimonio, fuerit auctor, ut ſinguli ſingu-
las haberent uxores, ab eoq́; duplici quaſi natura patris & matris oſtenſa, ge-
minus appellari non ab re uidetur. Alij quod ingenti corporis mole, duorum
ſimul hominum ſtaturam ſolus impleret. Acteonis eius qui primus in Actica re
rum potitus eſt, filiam uxorem duxit, defunctoq́; in regno ſucceßit. quo tempo
re uini uſus hominibus nondum notus erat. ut ſcirbit* Eubulus. *Ideoq́; manalē
aquæ urceum tenens in cœlo figuratur, ut eſt apud* Higynum. *Athenis in arce
ſepultus iacet, ut refert* Antiochus *in nono hiſtoriarū, à quo* Cecropidæ *Athēni
enſes ut, à* Romulo Romani Romulidæ. Ver, Aenei. Vi. *Tū pendere penas* Ce
cropidæ *iußi. Nunc aut* Eleuſinam *Cererem intellige aut ædem quæ non pro-
cul* Athenis *uia quæ* Phalerium *ducit occurrebat ut diſcimus ex* Pauſania. *in
qua ſtatuæ uiſebantur, Ceres ipſa, & filia, & facem præferens* Bacchus. Pra
xitelis *opera, ut titulus indicabat. eius* Ariſtophanes *in nubibus meminit. &*
Herodotus. Eleuſis.) Eleuſis Alexandriæ *uicus, propterea non negligen-
dus, quod litteras illic* Callimachus *poeta didicit. eiuſdē nominis* Acticæ *popu-
lus ex ea tribu quæ* Hippothontis *appellatione cenſetur. Eſt et* Acticæ *caſtellū
quod imminet & circundatum templo* Cereris *eſt. ut ait* Liuius *ab* Eleuſio
dictum, quem ſuſpicio eſt, ex Oceani *filia* Daira *atq́; Mercurio natum, alij* Ogy
gem patrem finxerunu, ut eſt apud Pauſaniam. *Myſteria* Cereris Eleuſine, *ce-
lebrabantur cognomento & re maiora, ſicut* Agris *(qui & ipſe locus eſt* Acti-
cæ) minora Proſerpinæ, *in* Herculis *gratiam inſtituta, cum is initiari efflagita
ret. idq́; in maioribus per leges* Eumolpi, *qui* Athenienſes *imbuit religione, nō
niſi ciuibus & indigenis liceret, ut ſcribit* Hiſter, *innuit &* Ariſtophanes. *In
minoribus menſe* Nouembris *operabantur, ut in maioribus* Iunij. *quod diſci-
mus ex* Plutarcho. Seneca *tamen indicat per autumnale æquinoctium tempus
initiorum fuiſſe. eius carmina ſunt hæc.* Quanta quū longæ redit hora noctis
Creſcere in ſomnos cupiens quietos Libra phœbæos tenet æqua currus Turba
ſecretam Cererem frequentat. Et citi tectis properant relictis Actici noctem
celebrare myſtæ. Macedo Polyænus *ſtratagematôn ſecundo myſteriorum tem
pus incidiſſe ſcribit in menſem* Boidromionis, *id eſt,* Auguſti. *Sanctas faces.)*
Opertas *initiorū lampadas. Nam ſanctuaria* Mirhridatis *appellat* Plinius *quæ
græcæ* Plutarchus *aporrhita, quippe quod omni obſeruatione inuiolatum eſt,
(ut* Donatus) *ait Sanctum dicitur & ſacrum medicamen quod clam uulgo ſit
apud* Ouidiū. *Tum pater ora ſui ſacro medicamine nati* Contigit. *nam ſic* Ouid
carmen Clau. *expreſſit arcano perfudit robora ſucco,* Quo phaethon *irrorat
equos, quo luna iuuencos.* Angues Triptolemi.) *Ceres amiſſa filia, quam*

Pauſanias, & eo prior Orpheus, in Attica raptam ſcribit, in puteum quendã ceciditqui floridus ab indigenis appellatus, in uia quæ Eleuſine Megara ducit religionis gratia monſtrabatur. Auntq; ex eo loco anili ſpecie deam, tanquam mulierem arguam à Celei filiabus ad matrem perductã. Meganiramq; ei Triptolemum filium alendũ crediſſe, ut tradit Panphos. qui poeta ante Homeri tempora cenſetur. Dea puerum intempeſta nocte cineribus calidis obruebat ut redderet immortalem, id quod in Achille Thetis etiam tentauit. unde Pyrſos Achilles primum dictus eſt, ut cecinit Pharſalius Agamctor. Sed excitata Megaura infantem extraxit. Dea uoto fruſtrata. hanc alumno gloriam ſaltẽ dedit, ut ſationis uſum mortalibus indicaret. Itaq; ſerere frumenta ſub Erechtheo glande ueſcentibus apud Eleuſina monſtrauit. ut Trogus ex hiſtoria refert. in cuius muneris honorem noctes initiorum ſunt inſtitutæ. Sunt qui Triptolemi matrem non Meganiram. Sed Menalinem, uel Deiopen uocent, cuius Eleuſine tumulum, quum fundamenta templi Cereris effoderentur inuentum ſcribit Ariſtoteles. Angues.) Anguis in æde Cereris Eleuſinæ educabatur, is ingruente in græciam Xerxe euanuiſſe creditus eſt. ut apud Plutharchum legimus Longam nauem Philocorus ſuſpicatur, qua Triptolemus orbem luſtrauit quum fruges oſtendit. ea forſan ſic ab inſigni appellata ſit, ut exercitus Tantali, qui Ganymedem rapuit, ut Phanocles cecinit, Aquila in uulgi ſermone dicitur, quod eam auem in uexillo expreſſam habuit. Strident.) Sibilant, alibi Claud. ſtridentia colla Gorgonis.

Colla leuant aſtricta iugis, lapſuq́ʒ ſereno
Erecti, roſeas tendunt ad carmina criſtas.
Ecce Procul ternis Hecate uiriata figuris

Squammea colla.) ſerpentum coria ſquammis aſpera ſunt, inſtar piſcium. Acciũs in Pelopidis. eius ſerpentis ſquammæ, ſquallido auro & purpura prætextæ. inde uerbũ ſquallere Macrobius & eo prior Gellius tradit. Aſtrict.) iuncta. Legitur & attrita iubis utrumq; per ſe clarum. Lapſu.) curſu tractu. Sereno.) tranquillo placido nam turbationis, & alienus à ſacris eſt impetus. eodem ſerpens Aeſculapij modo, apud Ariſtophanem repit. & Virgilianus anguis ad Anchiſæ tumulũ. Erecti.) in pectus ablati quales apud Vergilium ſerpentes à Tenedo Porces & Chariboea, ijs enim nominibus appellabantur editi patre Typhone ut canit Quintus qui in Iliade conſumanda ſucceſſit Homero municipi ſuo. Nam Smyrneus, & ipſe fuit, ut libro decimo de ſe teſtature. Cæcius in poemate paris argumenti, cuius ipſemet auctor et interpres extitit.

extitit. Et ſi quidam calabrũ ſuſpicantur incurioſe. Criſtas.) in ſerpentibus fabuloſas Plinius autumat, ſed utraq; lingua poetæ certatim tribuunt. Roſeas.) Maro ſanguineas. ſed Claudianus colorẽ dedit, id autẽ quod horroris erat, à re diuina ſubmouit. Ecce.) ubicunq; ponitur ecce neceſſario ſequitur aliquid quod metum afferat, uel admirationem. propriumq; Ciceronis hoc eſt in rebus improuiſis. quod cum cura Verg. legit, & tranſtulit auctor Aſconius.

Procul. uſq; ab inferis. Hecate.) Perſei fratris Aeetæ Colchorum regis Hecate filia fuit ut Dionyſius Mileſius in Argonautico refert. ea dum uaga per ſaltus uenaretur, Aconiti uim prima deprendit. & ita necato parente regnum occupauit, à ſuis in cœlum poſt mortem relata, ut apud Diodorum legimus Eiuſdem nominis altera, ex Aſteria Latonæ ſorore & Perſeo Titane nata, cui Iuppiter elementa ſubiecit. & cœlo hereboq; potentem fecit, ut canit Maro. unde & Hecate dicta eſt, ut diſcimus ex Heſiodo. Vergilius Aeneidos quarto, Ter centum tonat ore deos, Sic enim nos interpretati ſumus, ut dicat Hecaten à Saga ter inuocatam, quam per centum Deos obſcure quidem, uerum peritiſſime deſignauit, ad ampliſſimam Deæ poteſtatem, et nominis rationem ſimul alludens. Id ab ἑκατὸν trahitur, quod apud græcos idem ualet quod centum, Ternarius porro numerus in huiuſmodi ſacris, adhibebatur ex ritu. ut ex Homero, Naſone, Tibullo. Papinio colligitur. Et Porphyrius ille philoſophus in reſponſis abunde diſſerit. Nec obeſt, quod à poeta ſtatim ſubijcitur. Tergeminamq; Hecaten tria uirginis ora Dianæ, nam ſui moris eſt, ut etiam Macrobius obſeruauit, in quibus non conuenit inter doctos utranq; ſententiam complecti, quo fit ut ſibi plerumq; non conſtet, ut Seruius & alij poſt eum grammatici notauerunt. Norat diuerſas in Hecate opinones, & eam quam ſuperius attulimus, & illorum qui cum Iunone coniungunt. ut ſit eadem Iuno Diana, & Proſerpina, ex quibus Hecate, ut eſt apud Lucanum commune numen efficiatur. Idcirco ne alterutrum poeta damnaret, utrunq; dixit. In hæc diuertere libuit propter eos qui Anicularum deliramenta ſectati, à Seruio diſceſſerunt. Hecaten nocte genitam canit, Bacchylides. Ioue & Aſterie Muſæus. Eodem & Cere re matre Orpheus. Pherecydes Ariſtæi Peonis filiam tradit. Eadem Perſeis appellatur à patre. Apollonius Argonauticon tertio πότνια θεὰ περσηΐ. et in quarto ἴσω νυκτιπόλου περσηΐδος ὄργια κούρης, id eſt Nocti uagæ teſtor Perſeidos orgia Diuæ. Nec aliud in Caſſandra quum Perſei uirginem dicit Lycophron intellexit. Et Papinius in euocatione manium ex perſona Tireſiæ. tu ſepare cœtu Elyſios Perſea pios uirgaq; potenti Nubilus arcas agat. In quo Perſei quoq; legi poteſt. ut Inachi, Phylli. Amarylli hinc apperet, eos falli, qui Perſea legendum putant,

tant,& inerudite Bacchū uel Mercurium bis inculcant. Ternis uariata fi guris.)Orpheus in argonautico triplex ei caput habere fingit. dextrū equi, ſiniſtrum canis, medium hominis, & quidem ruſtici. Oui.in faſt.Ora uides hecates in treis uergentia formas, Alcamenes omnium primus Hecatæ trifor me ſignum fecit.Id Athenis uiſebatur iuxta Victoriæ ſtatuam,quam quod alis carebat implumē uocabant(ut docet Pauſanias) Hecatæ canes immolabātur, ut Mimorum poeta ſcribit Sophron.

Exoritur,Leniſq; ſimul procedit Iacchus
Crinali florens hedera,quem Parthica Tigris

Simul procedit.)una progreditur, & ſe ſe agit. Iacchus.)Iacchus apud Herodotum numen eſt,Eleuſinis deabus ita familiare,ut Dianæ Virbius, Ado nis Veneri,Attis Opi.Coruilius ait.Proſerpinam Baccho Mercuriū peperiſſe, ſed alter hic eſt in myſterijs Athenienſium celebratus,ut diſcimus ex Arrhia- no,Polyenoq; Macedone.quem Iuppiter ex Proſerpina ſuſtulit eius filia.quam mutatus in anguem uitiauit.auctor Clemens.& Tertullianus in Apologetico. Ioui inceſtum hunc exprobrans amatorē ſquammis.hinc in orgijs Sabaziorū Draco in ſpiram conuolutus, argumentum nefandi concubitus adhibebatur. Et græci quidam poetæ,quum Draconem Tauri patrem laudant,Iouem ſubo- ſcure ſignificant.Fingunt enim Proſerpinam ex eo patris ſtupro.Liberū tau- ri ſpecie enixam eſſe.et Lycophron ipſum Dionyſium taurum nuncupat.quin & Eleorum mulieres in eius dei ſacris,ut taurino pede ad ſe ueniret compre- cabantur.& digne taure ſæpius indigitabant,ut refert Plutar.Is.preterea Li- ber Zagræus Terreſtriſq; cognominabatur et Sabazius,ut ſcribit Diodorus.à Titanibus puerilibus donis illectus membratimq; laceratus,ut canit Orph.in Parnaſſo conditum iuxta Tripodem tradit Euphorion.ex quo loco in nubibus Ariſtophanis inuocatur.Idipſum Iouis & Proſerpinæ furtum deſignat Ouid. in.VI.Me.ijs uerbis,Fecit(inquit)ut Iupiter Mnemoſinem paſtor,uarius Deoi da ſerpens Eluſit.nimirū Deo ida Proſerpinā Naſo uocauit,ab Eleuſina Ce- rere quæ Δηὼ græce dicitur,ut eſt apud Orpheum,Δηὼ παμμήτειρα, ideſt Mag- na parens Deo,unde recta forma Deois,ut à Δηὼ Δηωΐς patronymicum deri uatur.Sed hoc ambiguum non relinquet Auſonius, cuius ad Theonem carmen eſt hoc. Qualis floricoma quondam populator in Aetna Virgineas inter cho- reas Deoida raptam Subſtulit emerſus ſtygijs fornacibus orcus. Aliqui malūt ſenſiſſe Claudianū de libero,quem Ceres ex Ioue peperit,ut Diodorus in quar to Bibliothecæ ſcribit.huic & matri primitias anniſtato die libabant quem feſto

ſto

ſto tranſigentes ἁλῶα uocabant ab areis. ut grammaticus Pauſanias exponit. huc Ouidij carmina pertinent ex. x. Metamor. Feſta piæ Cereri celebrabant annua matres. Illa quibus niuea uelatæ corpora ueſte Primitias frugum dant ſpicea ſerta comarum. Sed Hippolyti quoq; ueſtis ex ritu ſacrorum candida, apud eundem poetam accipienda, quod erat Eleuſine. Nam quod is in ueſte color exigeretur initiorum die Valerius indicat. Vectius etiam Prætextatus humanarum diuinarumq; rerum peritiſſimus (ut eſt apud Macrobium) Fabiæ Aconiæ uxori defunctæ poſuit hoc Epitaphium. Sacratæ apud Eleuſinam Iaccho Cereri & Coræ. ſic enim proſerpina dicta eſt Moloſſorum lingua, præſtanti forma puellam ſignificante uocabulo. licet inde ſuſpicari Liuium belli Macedonici primo. Coræos ſacerdotes appellaſſe Proſerpinæ. Sed ne fabuloſa diutius conſectemur. Eſt & naturæ ratio, cur Cereri Proſerpinæq; Liber comes accedat, quippe quam uim in ſemente Proſerpina, eandem in ſegetibus Ceres, & in plantis Dionyſius repreſentat, ut Porphyrius ille philoſophus interpretatur. Lenis.) uidetur hic operam Donato dediſſe, Is enim Lenæum, quod mentem leniat, liberũ dici uoluit. à Seruio tamẽ et eum ſecutis in ius uocatur. quod græci nominis (ut aiunt) originatio, à latino uerbo peti non debet. Equidem ut probe ſcio, in, iij. de temporibus Apollodorum, Lenæos bacchi ludos aſſerere. qui circum torcularia quæ ληνοὺς græci uocant exhibebantur, unde Liberi patris per epitheton nomẽ, ut etiam Diodoro placet. ita Donato ſuccenſendum non arbitror. ſi græcas etiam uoces à noſtris uſurpatas, latinæ rationi quo ad eius fieri poteſt, accommodat. id quod in Agro, Apro, Fure, & alijs non paucis Varronem feciſſe nouimus ne Græcis accepta omnia referamus. ut Tyrrannio uideri uoluit ille clari nominis olim grammaticus. & Terentiæ Ciceronis libertus. qui integro iuſtoq; uolumine latinam linguam à græcis totã pendere diſputauit. Sed & lenis hic intelligi bacchus poteſt, quoniam placide, nec à fanaticis ut alibi, per inſaniã Ennius colebatur. Flores.) ornatus. nã quicq; decẽs ac nitidũ, Lucretius, et eo prior Ennius. Florẽs appellauerũt. tu ideo quod nõ hedera tantum coronabatur, ſed etiã narciſſo, uarijſq; floribus. ut inducitur à Cheremone tragœdiarum poeta. Tibullus. Sed uarij flores et frons redimita corymbis. & Diodorus ait in quinto Bibliotecæ lib erũ patrem ἀνθινοῖς. id eſt, floridis uſum ueſtibus. Crinali hedera.) Ferunt omniũ primũ liberum patrem impoſuiſſe capiti ſuo coronã ex hedera. Alexanderq; eius exemplo, hedera coronato exercitu ex India uictor redijt. auctor Plin. Mirum quod Plutarchus in quæſtionibus refert, ineſt inquit hederæ ſpiritus quæ mentes in furorem concitat, & loco mouet, & ebrietatẽ abſq; temeto inducit. Euſtathius

in

in bacchanalibus,hederam,argumentum libidinis arbitratur,ad quam morta les à uino propenſiores redduntur.interpretatione græci nominis κισσὸς, quod hederam notat,& ab infinito κισσᾶν uerbi trahitur,quod eſt in uenerem pronũ ferri. Euſtathij ſententia Naſonis ca mine cõfirmatur Et Venus in uinis,ignis in igne fuit. Eandem Pauſanias apud Acharnas in Attica primum uſam tradit, & poeta græcus Antipater in Sophoclem Tragœdiarũ ſcriptorem noto Epigrammate, ἀχαρνίδα hoc eſt Acharnenſem per epitheton hederam nominauit, hinc in Thebaidos calce Papinius. Quæque rudes thyrſos hederis ueſtiſtis Acharnæ. inde Acharnan gentile nomen apud Senecam trahitur. in Hippolyto, non ut ridicule quidam tradiderunt ab Acarnania. Texebãt præterea ſibi Bacchæ coronas ex alba populo,quod ea arbor infærna credebatur.& (ut ait Harpocration) iuxta ripas Acherontis enata,eoq; ab Homero Acheroida appellari putant. Porro liber Proſerpinæ filius, & inferni numen eſt. ut demoſtrauimus. Parthica Tigris.) Armenia uel Hircana quæ gens utraq; partis proxima tigribus fœta eſt,ut ait Solinus. Earũ pellibus liber uelari fingitur, quoniam macularum uarietate, multiplices uuæ ſpecies & colores repreſentant. eadem de Pardalis et Lyncibus ratio eſt,quarum terga thoracis uſum Baccho præſtare legimus apud Euripidem. Adijcitur & hæc hiſtoria. Obiecto à nouerca furore uagum Liberum, ad amnem Meſopotamiæ perueniſſe, qui tum Sylis appellabatur, quumq; tranſire non auderet, Tigrim diuinitus aſtitiſſe. & Deum tergo impoſitum in ulteriorem ripam tranſtuliſſe, ex eo liberum feram recepiſſe in tutelam & Tigridis ab ea manſiſſe fluuio nomen. Is caſu paterno Tigrios & Tigridos, & penultima producta Tigretos, à græcis enunciatur. ſed & Pigris in nominatiuo ſic ut dictionis auſpitium, quæ prima eſt in parnaſſo littera faciat, & non. T. quod apud Iulianum Cæſarem, & in accuratis Arrhiani Codicibus obſeruauit, & docuit Euſtathius.

Velat,& auratos in nodum colligit ungues.
Ebria Mœonijs figit ueſtigia Thyrſis.
Dij quibus innumerum uacui famulatur auerni

Velat.) non ἁπλῶς operit. nam Tygridis una pellis obuoluere totum nõ poſſet,& moris erat,ut qui ferarum geſtabant exuuias ab utroq; humero ſuſpenſas demitterent. ſic apud Dionyſium poetam, de hoc ipſo Deo carmen interpretatur Euſtathius. Auratos ungues.) auro præfixos in luxũ. Papinius auro manſueuerat ungues. et in. xi. de Liberi ſacerdote. Quem diſcolor ambit Tigris. & auratis aduerberat unguibus armos. Verg. Aeneid. V. Tergum getuli immane

Immane leonis Dat Salio, uillis oneroſum atque unguibus aureis. An potius auratos? quoniam ferarum direptis tergoribus, quum inrareſcunt ungues auri colorem trahunt? eadem dubitatio Seruium mouit, ſed prior ſententia caſtigatior. Figit.) aliqui ſcribunt firmans, & hoc & illud perſpicuum. Veſtigia.) plantas. Ebria.) mero titubantia: nam Liber fingebatur à mero languidus. Ouidius in eius Dei mentione. Ille mero ſomnoq; grauis titubare uidetur. & Statius in theb. Marcidus edomito bellum referebat ab Aemo, Liber & d' ibi. Quamquam ore & pectore marcet. affectus, ab ijs qui ſe largioribus inuitant poculis. & à uino uacillant, ad muneris auctorem transfertur. Eadem ratione Marcida uina Papinius in Hercule Epitrapezio dixit. tenet hæc marcentia fratris Pocula, qua Thebaid. vij. Marcida te fractis planxerunt Iſmara thyrſis, à uini præſtantia copiaq; ex interpretatione etiam Lutatij & in Epulo Domitiani. Illi marcida uina largiuntur, id eſt, ebria ab effectu, potiuſquam præmatura ac dulcia. Nam Martialis cuius teſtimonio Domitius utitur, Marcentes uuas non præmaturas & dulces, ſed tempore corruptas accepit. aut ebrias imitetione Catulli, cuius eſt illud Ebrioſæ acinæ. Nec unquam Pap. cõmiſiſſet, ut in Epulo tanti principis, cuius gratiæ ad inuidiam uſque ſtudebat, pinguia uina nominaret. retulit igitur ad uini præſtãtiam ut diximus) & copiam, qua Domitiani conuiuas, exhilaratos uideri uult ad ebrietatem: id quod à principio ſtatim propoſuit. Diem beatam læti Cæſaris ebriamq; pando.

Thyrſis.) Thyrſus Latens telũ cuius mucro lambẽte hædera protegebatur, ut ait Macrobius. hoc inſtructos exercitus habuit liber, ut Indis in quos agmen ducebat non ſuſpectus ultro reciperetur, & incautos opprimeret. auctor Macedo Polyenus ſtrategematon primo. Catullus. Horum pars tecta quatiebant cuſpide thyrſos. Mœonijs.) Mœones antiquo nomine Lydi uocati ſunt ut diſcimus ex Herodoto. apud eos præcipuo cultu Bacchus colebatur, ut Euripides in Bacchis indicat, & nos uberius huius operis. ij. dictabimus. Dij quibus.) Pacem deorum manium precatur, & ab ijs ueniam petit, quod operis inſtituto coactus inferni ſecreta uulgabit. Idem Theſeus apud Senecam facit. & Verg. Aeneidos. vi. Nam Numenio inter philoſophos occultorum curioſiori, offenſam numinũ, quód eleuſina ſacra uulgaſſet ſomnia prodiderunt. Auerni.) Lacus in ſinu Baiano propè Puteolos is eſt, quẽ Cæſar olim purganit, adeò ſyluarum denſitate obductũ, ut exhalans inde per anguſtias ſulphureæ aquæ odor grauiſſimus. ſuperuolantes aues necaret. à quo Auernus eſt dictus, auctor Lucre. & Maro, ac utroque prior Ariſto. is inter natura miracula refert, tantum Cygnos ex auibus, eius aquæ uim nõ ſentire, ſed accedere propius & abſ-

que noxa immergi. nunc infernum ſignificat, quòd Auernus illuc uſq; patere uulgo creditur. Vacui.)*propter animas, quæ tenues & caſſæ corpore, locum non occupant. an intelligit ſpacioſum? quippe quem nihil unquã ſatis explet, utrunq́; Naſo. Mille capax aditus, & apertas undiq; portas Vrbs habet, utq́; fretum de tota flumina terra, Sic omnes animas locus accipit ille, Nec ulli Exiguus populo eſt, turbam'ue accedere ſentit. Errant exangues ſine corpore & oßibus umbræ.*

Vulgus iners, opibus quorum donatur auaris
Quicquid in orbe perit, quos Styx liuentibus ambit

Vulgus iners.)*nam ſolutæ corporibus animæ feriantur, ac nihil agunt, in quo diſcedit à Verg. Clau. nam ille ait unumquenq́; illic iiſdem ſtudijs exerceri quibus in uita tenebatur. Quæ gratia currũm Armorumue fuit uiuis, quæ cura nitentis Paſcere equos, eadem ſequitur tellure repoſtos.* Opibus.)*Diuitiæ omnes è terra ſunt, unde terræ nomen Dis pater & græce Pluton. ut in deorum natura ſcribit Cic. nunc opes conuenienti uerbo nominauit, quæ proprie ſunt quas terra tribuit. ab Ope Saturni coniuge, per quam repræſentari terram uoluerunt, ut ait Pompeius.* Auaris.)*pecuniæ cupidis, quod non ſimplex uocabulum, ſed compoſitũ Nigidius exiſtimauit, ut quaſi auidus æris appelletur, ẽ litera detrita, ut ſæpe ſit. Ab uno tantum uerbo inclinatum, quod eſt Aueo Gellius affirmat. eademq́; forma eſſe qua eſt amarus, de quo nihil dici poteſt quin duplex non ſit.* Quicquid in orbe perit.)*Quicquid enim omnib. abſtulit auaricia, ſibi ipſi negat. ut inquit Seneca, Deſunt inopiæ multa auariciæ omnia, in neminem auarus bonus eſt, in ſe peßimus. aut auaras opes Plutonis ait ab effectu, quòd homines auaros reddunt. nam Creſcit amor nummi quantum ipſa pecunia creſcit. ut Iuuenalis indignatur. aut Epitheton ab auctore muneris ad opes tranſtulit. Orcus enim rapax, auarus auidusq́; & tenax, à poetis appellatur. ut intelligamus omnia caduca quæ cum uita terminantur à Plutone largiri, mox ea perire, quum uel uſu uel tempore conſumuntur, aut ordina ſic. ex auaris opibus quorum donatur quicquid in orbe perit, id eſt, mortale genus, nam quicquid ex terra prouenit hominum cæterorumq́; animantium commodo naſcitur.* Styx.)*Stygis aqua duobus in locis redditur, ad amnem Theſſaliæ Pheneum, de qua Luc. hac ut Curtius autumat Alexander extinctus eſt Achaica Plin. uidetur exiſtimare. quàm Straco ſtatuit ad Pheneũ Herodotus ad Nonacrin. Sed utranque eandem eſſe Pauſanias indicat. Is eam Nonacri Pheneoq́; propinquam ponit. Ex altißima crepidine in ſubiectam*

petram

petram ſtillat, non facie non colore ſuſpecta. tamen illico epota necat, ut ſcribit Seneca. ea non niſi mulina ungula continetur (ut ait Vitruuius) Caballina, ut Trogus. Iumenti quum dixit Curtius, in mediũ reliquit. eandẽ fama eſt, ad inferos demerſo meatu penetrare. Pap. Et Phenęos nigro Styga mittere credita diti. per hãc iuratis dijs, ut auctor eſt Maro, nefas eſt fallere. Is eius filiæ uictoriæ tributus honor eſt, quod in bello Gigantæo, Iouis partes ſecuta ſit. ut eſt apud Heſiod. Ambit.) Nam nouies alueo ſuo orbem terrarũ cõplectitur & Oceanum. ut canit Heſiodus. ex quo Papi. Styx inde nouem circunflua campis.

Interfuſa uadis, & quos fumantia torquens
Aequora gurgitibus Phlegethon perluſtrat anhelis,
Vos mihi ſacrarum penetralia pandite rerum,
Et ueſtri ſecreta poli, qua lampade ditem
Flexit amor, quo ducta ferox Proſerpina raptu

Vadis.) breuibus, imis ſtagnis, & fundo. Liuentibus.) nigris. Stat. in. 1. Theb. Vmbrifero Styx liuida fundo. Phlegethon.) inferni fluuius flammarũ globos uoluens ἀπὸ τοῦ φλέγω, quod eſt ardeo dictus eſt. Verg. Quæ rapidus flammis ambit torrẽtibus amnis Tartareus Phlegethon. per hunc ardores irarum & cupiditatum repreſentari Macrobius ſuſpicatur. Aequora.) quia latiſſime patet inſtar maris ſinus, aut intellige fluctus. Luſtrat.) circumeit & perlabitur. Gurgitibus.) profundis aquarum uorticibus. Anhelis.) ardentibus. Pandite.) huius uerbi ſignificatio ducitur, ex eo quod apud ueteres inopia laborans ad Aſylum Cereris ſi confugiſſet, ei panis dabatur, unde pandere, quaſi panem dare, ut Var. putat. Penetralia.) ſecreta. Rerum ſacrarum.) noctes initiorum, quæ Cereris honori datæ ſunt. aut inferni ſecreta penitus & in profundo latentia. ſiquidem ſacrum ſignificat aliquando arcanum, ut in illo Ouidij quod ſupra recitaui. Tum pater ora ſui ſacro medicamine nati Contigit. & alibi Clau. patrui pingit ſacraria ditis. Veſtri poli.) nã ut canit etiam Verg. Solemq; ſuum ſua ſydera norunt. Dis apud Claud. lib. ij. Amiſſum ne crede diem ſunt altera nobis Sidera, ſunt orbes alij, lumenq; uidebis Purius. Qua lampade.) qua face. nam Cupidinis, ut Ouid. ait, tela ſunt arcus & faces. amor apud Papinium, Lãpade parcentes & inermi ſtrinximus arcu. nihil inſulſius ijs, qui lampadem pro die nunc accipiunt, & Maronis afferunt autoritatem, tam non neceſſariam, quàm nulla ex parte accommodatã.

Ditem.) Plutonem. quoniam tellus cuius is numen fingitur, humano generi cuncta largiatur. Quo ducta &c.) Hoc argumento Cereris initia conſta-

bant, ut Phalecus oſtēdit, qui Cereri Liberoq́; ſcripſit hymnos. Ferox.) *implacabilis. quæ uitæ necisq́; ius habet, & morientium precibus locum dat.*

Poſſedit dotale chaos, quantasq́ per oras
Sollicito genitrix errauerit anxia curſu.
Vnde datę fruges populis, & glandē relicta
Ceſſerit inuentis Dodonia quercus ariſtis.
Dux Erebi quondam tumidas exarſit in iras

Poſſedit dotale chaos.) Nam in conſortium regni recepta à Plutone eſt, & æquo iure cum uiro dominatur. Columella. Et nunc inferno potitur Proſerpina regno. Chaos.) *orci ſedem. à ſimilitudine tenebrarum, quæ ſub illa rerū confuſione ab initio fuerunt, ut eſt apud Heſiodum quum nondum Sol & reliqua Sidera, officiū ſuum terris præberent. Ouidius. Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan, Nec noua creſcendo reparabat cornua Phœbe. Verg. Aeneid vi. Et chaos & Phlegethō loca nocte ſilentia late.* Quātasq́; per oras.) *quantum terræ luſtrauerit. nam longis erroribus & diu filiam ueſtigauit, ut inde prouerbium natum ſit, in eos qui nimis in quærendo occupati ſunt. Amea quæſiuit Azeſian, Amea quippe Ceres apud Trœzenios, & Azeſia Proſerpina colebat, ut docet Didymus. Sed quæ deinceps ſe ſcripturum poeta promittit, immaturæ mortis, aut temporum culpa non præſtat.* Vnde datæ fruges populis.) *Ceres ubi raptorem filiæ reſciuit ſationem mortalibus oſtendit, ut huius operis. iij. dictabimus auctoritate Callimachi.* Glande relicta.) *priſcorum uictus glans fuit. ut eſt apud Tibullum, Glans alat & priſco more bibantur aquæ. Sed ea Plinij quoq; ætate multarum gentium conſtabāt opes, & inopia frugum arefactis emoliebatur farina. ſpiſſabaturq́; in panis uſum. genera earum multa, diſtant fructu, ſitu, ſexu, ſapore.* Dodonia quercus.) *Aemulatio Maronis, qui glādem uocauit Chaoniam. quippe Dodonem duarum urbium nomen affert Philoxenus, quarum alteram Theſſaliæ contribuit, alterā Theſprotijs in Epiro. Sed utranq; unam putat Stephanus Oceani Nymphæ, uel amni propinquo cognominē. ſiue (quod placet Euſtathio) Iouis & Europæ filiæ Dodonæ. Nam Dodon & Dodone indifferenter, enunciatur Homeri carminibus & Iouis oraculo clara, Columbis (ut ferunt fabulæ) reſponſa reddentibus. Sed aliter hiſtoriæ fidem tradit Herodotus. Nonnulli quercus ipſas per ſe uocales fuiſſe contendunt, quod innuere uidetur Statius. Moloßi quercus anhela Iouis, & Maro. Atque habitæ quercus oracula graijs Apertius in Trachinijs Sophocles. qui Dodoneam quercum ſeu fagum* πολύγλωσσον *appel-*

lauit

lauit ex hac materia conſtructã Argonauis Carinam, quæ dubijs in rebus Minyas admoneret, canit Apollonius, & Aeſchyli teſtimonio refert Hyginius. Claudianus in Panegyricis. Licet omnia uates, In maius celebrata ferant, ipſamq́; ſecandis Argois trabibus iactent ſudaſſe Mineruã, Nec nemoris tantum uinxiſſe carentia ſenſu Robora, ſed cæſo teneri Iouis augure luco, Arbore præſaga tabulas auimaſſe loquaces. inde Lycophron Argonauem garrulam picam dixit, ab auis ſimilitudine & .C. Balbus, per operis initia fatidicam potiuſquã, quod in cælum relata ſit, ut alij ſuſpicantur. Ex hac hiſtoria Senecæ in Medea carmen interpretati ſumus. Ipſaq; uocem perdidit Argo. quum alij ad Orphei cantum ineptiſsime retuliſſent. Hinc & Dodonæus lebes, in eos adagio dicitur, qui perdita uerborum colluuione ſcatent, & inaniter obloquũtur. Nam pelues circum Iouis fani parietes ita locatas ſcribit Demon, ut ſi quis unam leui tactu cõtingeret, protinus omnes continuata perpetuáq; comploſione longum tinnirent. Auſonius cottidiano ſolis ortu contactas radijs crepare dicit. id quod de Mennonis apud Aegyptias thebas ſtatua Philoſtratus & alij prodiderunt. Auſonius. Nec Dodonæi ceſſat tinnitus aheni. In numerum quoties radijs ferientibus ictæ, Reſpondent dociles moderato uerbere pelues. Eaſdem tamẽ abluendorum corporũ gratia illic haberi diſcimus ex Aſconio. meminit & inter Heleni dona Verg. ſtipatá; carinis Ingens argentum Dodonæosq; lebetes. & Clemens ſidonius, ubi Cortinas oraculorum pluribus inſectatur. in ijs autẽ Claudiani quos paulo ante citauimus, tertius à primo uerſus in omnibus exemplaribus, teneri Iouis legitur, quum Tomuri ſcribendum ſit à Tomuro Dodonæ monte circa radices centum fontibus nobili. de quo Strabo, Plinius, & Solinus ex Theopompo. Ariſtis.) *frumento. nam iuris ciuilis auctor Gallus frumẽtum definiuit, quod Ariſta in ſe contineat, ea prima ſpicæ pars eſt, in frumento rigens aßiduis exuſta ſolibus aridáq;, unde nomen.* Dux Erebi.) *narrationis initium eſt.* Quondam.) *aliquando. Stat. Amplexu getici quondam reſoluta mariti.* Erebi.) *Erebum quandoq; Verg. obſcuritatem quandã quæ ſit apud inferos, uidetur accipere ut, imas Erebi deſcendit ad umbras, quandoque flumen eiuſdẽ loci, ut magnos Erebi tranauimus amnes, auctor Pompeius. Sed hoc poſtremum non omnibus facile perſuadet: alij nanque Erebi fluuios* ἄπλωα *intelligunt inferni. Varro tamen Orci Deum fingit Erebum, noctis parentem, unde illud eſt. Erebo nata fuſcis crinibus nox te inuoco. Seruius Erebum ſuſpicatur inferorum ſeceſſum quendam quem teneant qui cum uirtute uixerunt: & adhuc in Elyſios non admittuntur.* Exarſit in iras.) *hemiſtichium Maronis, iraſcẽtium flagrant & emicant oculi, multus ore toto rubor.*

& æſtuãs ab imis præcordijs ſanguis eſt. Tumidas.) *eorum quos teter hic affectus inuaſit, horrenda facies eſt, deprauantium ſe atque intumeſcentium* Ouidius in artibus. Ora *tument ira, nigreſcunt ſanguine uenæ,* Lumina *gorgoneo ſæuius igne micant.*

Prælia moturus ſuperis quod ſolus egeret
Connubijs, ſterileſq; diu conſumeret annos,
Impatiens neſcire torum, nullaſq; mariti
Illecebras, & dulce patris cognoſcere nomen.
Iam quæcunq; latent ferali monſtra Barathro:
In turmas aciemq; ruunt. contraq; Tonantem
Coniurant Furiæ, crinitaq; ſontibus Hydris
Tiſiphone, quatiens infauſto lumine pinum
Armatos ad caſtra mouet pallentia manes.

Sterileſq; diu conſumeret annos.) Cælibem uitã nulla ſuſcepta prole tranſigeret. Impatiens *neſcire totum.) grauiter & iracunde ferens, quod uxoriam rem non eſſet expertus.* Nullaſq; *mariti illecebras.)* blandimẽta, *quibus uiri deliniuntur.* Atqui *multas in matrimonio moleſtias eſſe, cõmuni peruulgatoq; uitæ uſu compertum eſt. Sed hoc eius rei penitus imperito* Plutoni *conuenit. aut ideo poeta dixit, quia leues facileſq; toleratu ſunt, maioribuſq; emolumentis uoluptatibuſq; compenſantur. ut multis uerſibus apud* Gellium *diſputatur.* Et *dulce patris cognoſcere nomen.)* Nihil *æque nobis ac liberos natura conciliauit, ut in procemio* Saturnalium *ſcribit* Macrobius. Colo*rem poeta ſumpſit ex illo* Vergiliano. Nec *dulces natos,* Veneris *nec præmia noris. negandi uero particula. bis accipienda eſt.* Hoc *modo. & impatiens non cognoſcere. ut apud* Statium, *neq; enim uelocior ullas* Itq; *reditq; uias, coguataq; tartara mauult.* Alij *uaſtiore ſono nihil offenſi, nec emendant inerudite.* Quæcunq; *monſtra.)* Quæ *ſint ea* Verg. *& in* Hercule *furente recenſet* Seneca, *ſed & ipſe* Claudianus *in* Ruffinũ *pulcherrimis uerſibus quos adieci.* Concilium *deforme uocat, glomerantur in unum* Innumeræ *peſtes* Erebi, *quaſcunq; ſiniſtro* Nox *genuit fœtu nutrix* Diſcordia *belli,* Imperioſa *fames.* Leto *uicina ſenectus* Impatiẽſq; *ſui morbus.* Liuorq; *ſecundis* Anxius, *& ſciſſo mœrens uelamine luctus.* Et *timor & cæco præceps audacia uultu.* Et *luxus populator opum, cui ſemper adhærẽs* Infelix *humili greſſu comitatur egeſtas.* Fœdaq; *auariciæ complexæ pectora matris* Inſomnes *longo ueniunt examine curæ.* Monſtra.) *quæ præter naturam fiunt monſtra dicuntur. ut pedibus*

ingrediens anguis, aut cum quattuor alis uolucris, aut cum bruti capite natus infans. uel ſi iecur in coquendo diſtabuit. à monendo factum nomen, ut Aelio Stiloni placet, quaſi moneſtrũ. quod monſtret futurum, & moneat Deorum uoluntatem. conſentit Aſinius capito, Pompeiusq́;. Barathro.) imo Tartari fundo, tanta profunditate in præceps demerſo, quantus è terra in cœlum ſuſpectus eſt & altitudo. ut ait Homerus. C. Balbus argonauticon. ij. Inferni qualis ſub nocte Barathri. Nam Barathrum græci uocãt, quaqua uerſum præcipitem locum, unde emergi non poßit, Inſtar eius in quem rerum capitalium damnatos Athenienſes olim deturbabãt. inde Barathrum pro pernicie Demoſthenes uſurpauit. Hammonius ait Barathrus & Barathrum diſtant hoc: genere enim maſculino ſignat eum qui digna carcere patrauit. neutro locum in quem noxij conijciebantur. ut apud Lacedæmonios in hiatum quem Κιάδα *appellabant.*

Ferali.) *funeſto, lugubri, diro, mortifero. Nam feralia ſacrata dijs manibus erant feſta. quòd in ijs epulas & pecudes ferrẽt, auctor Verrius.* In turmas.) *equitum turmam, dictã quaſi Terinam Curiatius exiſtimat. quod terdeni equites ex tribus tribubus Titienſium, Rhamnium, Lucerum, legebantur. Itaque primi ſingularum decuriarum Decuriones appellati, ex eo quod ſingulis turmis præerant trini, quod etiam Varro tradit.* Coniurant.) *ergo erat tumultus. nam tria militiæ genera tradit Seruius, unã quæ legitima diceretur. quum ſinguli iurabant, pro Rep. ſe facturos, & non niſi completo legitimo tempore diſcedebant. Euocationem quum diuerſi conquiſitores ad cogendos exercitus mittebantur, & in ſumma trepidatione coniurationem, quum ſingulos interrogare non uacabat. Sed creatus Dux è capitolio, duobus ſignis elatis altero ceruleo, quod erat equitum, altero peditum roſeo, clara uoce dicebat. qui Rempub. ſaluam uult me ſequatur.* Furiæ.) *Furias tris Heſiodus & Epimenides easq́; è ſanguine pudendorum Saturni, quæ patri Iuppiter amputauit editas aiunt. Nocte genitas autumat Aeſchylus & Verg. Hunc mihi da propriũ uirgo ſata nocte laborem. Statius Acherontem patrem tribuit. Totidemq́; ſatis Acheronte nefaſto Virginibus.* Crinita hydris.) *primus Aeſchylus (ut refert Pauſanias) implicitos ſerpentibus crines furijs eſſe finxit. quem poſt alij gregatim ſecuti ſunt. & Tibullus. Tiſiphoneq́; impexa feros pro crinibus angues.* Sontibus.) *noxijs, & uenenoſis.* Tiſiphone.) παρὰ τὸ τίσειν τοὺς φονέας, *quoniam cædes ulciſcitur. ut placet ijs qui uerborum rationes, apud Græcos interpretando ſcrutantur.* Quatiens infauſto lumine pinum.) *uetuſtæ militiæ morem expreßit, nam ante uſum tubarum anteſignaui inſtructas acies præibant accenſis facibus, quibus utrinq; coniectis manus conſerebatur, ut le-*

ginus

ſex filios & totidem puellas Aeolum ſuſtuliſſe tradit, & ſingulis ſingulas matrimonio coniunxiſſe. Habet alios autores Naſo quos ſi unquam Domit. adijſſet. non commiſiſſet ut leuis (ne dicam petulans) in ſugillando tanto poeta, deprehenderetur. Soſtratus rerum Tuſcanicarum lib. ij. refert Aeolum Tuſcorum regem, ex Amphithea filias ſex & mares totidem ſuſcepiſſe. quorum Machareus, inquit, omnium natu minimus impatiens amoris, ſororem compreßit. ex eo conceptus infans rem prodidit, pater filiæ miſit enſem, quo puella mortem ſibi conſciuit eius paulopoſt exemplum Machareus ſecutus eſt. hiſtoriam recitat & Plutarchus. hoc argumẽtum ſcribendæ epiſtolæ dedit Ouidio. Nam Thuſcorum regem Soſtratus Aeolum dixit ab inſulis in mari Tuſco quibus imperauit. Poſtes.) quæ poſt oſtium ſunt, & inde dictæ. Verg. Belli ferratos rupit ſaturnia poſtes. Ahenos.) ferreos, æs enim pro ferro plerunq; ponitur, quod eius uſus antiquior quam ferri fuit. Heſiodus. Aere laborabant nondum noſcentia ferrum Secula. Quin & arma & tela ex ære uetuſtas habuit, ut eſt apud Homerum. quæ Combe puella in Eubœa primum inuenit, unde cognominata Chalcis eſt. Eandem numeroſæ prolis exemplũ nonnulli ex græcis adducunt, nã centies peperit, ut Ariſtus Salaminius in literarũ monumenta retulit. & Zenobius in collectaneis adagiorum. meminit & Ouid. in. viij. Meta. ut earũ uitanda ſit audacia, qui ueterẽ probamq; lectionẽ deprauãtes, Iambẽ pro Combe ſubſtituerũt. Vaneſcit.) cõprimitur & caſtus redditur. Impetus.) uis ac furor. Fractæ.) repulſæ. uel ingentis ſpiritus & ſonoræ. Maro. Fractaſq; ad littora uoces. placet prior expoſitio. Redeunt.) retruduntur. In clauſtra.) Ver. de uentis. circum clauſtra fremunt. Procellæ.) uiolenti ſpiritus. Sunt autem procellæ repentini quidam flatus, qui rupta & in pronum ſoluta nube gignuntur, & ſuperne demißi in terram cadunt, uehementes acreſq; quod ſcribit Plin. & ante eum Sene. in quæſt. Imperat acciri.) iubet accerſi. Maia genitum.) Mercurium Iouis & Maiæ filium quæ Plεiones & Atlantis filia fuit, ut apud Græcos Aratus, Vergilius, Higynuſq; è noſtris refert. huic & in urbe mercatores, menſe qui ab ea Maius eſt, olim rem diuinam faciebant. Cincius Maiam Vulcani uxorem dixit. Sed eam Maieſtam uocari non Maiam Piſo contendit. eandem cui menſe Maio ſacrificabant, terram Labeo Cornelius eſſe uult, hoc adeptam nomen à magnitudine. quæ Mercurij mater exiſtimatur, quia uox naſcenti homini terræ contactu datum, & uocis & ſermonis potens Mercurius eſt. Qui reportet.) referat Ioui. Feruida dicta.) iracunda, id eſt, qui denunciet. Cyllenius.) Mercurius. à Cyllene monte om-

nium qui ſunt in Arcadia altißimo, cui nomen impoſuit Elati filius Cyllenus, ut Pauſaniis. ut alij cum Stephano uolunt, nympha Cyllene, quæ illic educauit Mercurium aut ex Ioue peperit, ut ait Coruilius. Alij dictum tradunt (ut eſt apud Verrium) quod Sermo ſine manibus omnia tranſigat, quibus qui carent κυλλοί*, id eſt, trunci mutiliq́; nominantur. Idcirco quadratus effingi ſolitus eminente tantum capite, reliquo corpore non expreſſo, ſed rudi. Iuuenal. Nil niſi Cecropides, truncoq́; ſimillimus Hermæ. Euthydemus à genis appellatum putat eas* κύλλαλα *græci uocant, quibus præſit Mercurius autor ſomni. Aſtitit.` preſto fuit. & alluſit ad eius ſideris uelocitatem. Ales.) uolucer. autor obſcæni carminis. Sub tunica uirgam num Deus ales habet? item Statius. Et de menalia uolucer tegeaticus umbra. Virgam.) caduceũ, quem connexis utrinq; ſerpentibus figurabant. quod orationis Deus exiſtimatur cuius uis immanißimos quoſq; conciliat. ut refert etiam Macrobius. Idcirco ab exteris gentibus in pacis argumentum prætendebatur. autor Pli. Quin & pacem petentes legati caduceatores dicuntur. Cato caduceatori nemo homo nocet. eoſdem Varro uerbenarios à uerbenis, hoc eſt à ſagminibus quæ geſtabant appellauit. Somniferam.) qua dat & adimit ſomnos. ut ait Verg. & eo prior Orpheus in hymnis. Tectus galero.) Papin. de Mercurio. Obnubitq́; comas & temperat aſtra galero. Galerum Verg. maſculino genere dixit, Fuluosq́; lupi de pelle galeros. Cornelius item Seuerus, Flauo protexerat ora galero. C. autem Gracchus apud Cenſores neutro genere dixit Galere. ut Varro de actione Scænica ſecundo, hæc Galeria, unde galericula ſunt in uſu. Ipſe.) Pluton & emphaſim pronomẽ habet. Rudi.) inculto nec artificis manu polito. Verẽdus.) ſeuærus & ad terrorẽ uultu.*

Maieſtate ſedet. ſquallent immania fœdo
Sceptra ſitu, ſublime caput mœſtiſſima nubes
Aſperat, & diræ riget inclementia formæ.
Terrorem dolor augebat. tunc talia celſo
Ore tonat tremefacta ſilent dicente Tyranno
Atria, latratum triplicem compeſcuit ingens
Ianitor, & preſſo lachrymarum fonte reſedit
Coccytus, tacitis Acheron obmutuit undis,
Et Phlegethontææ requierunt murmura ripæ.
Atlantis tegeæe nepos commune profundis

Maieſtate.) regali quadã autoritate. quæ maieſtas à magnitudine dicitur, ut

ut placet Verrio. Nigra.)nam Pluton ater effingitur. Ouidius. Et pulſata nigri regia cœca Dei. qua ratione furuas huic Deo pecudes immolabant. Tibullus. Interea nigras pecudes promittite Diti. Squallent.)obſita iacent.

Fœdo ſitu.)turpi illuuiæ nam ſitus diutino humore collecta ſordes eſt.

Sceptra.)ſceptrum proprium Iouis eſt, & regum, qui Iouis perſonam uicemq́; ſuſtinent. ut canit in hymnis Callimachus. græci σκῆπτρον uocant, ut eſt apud Homerum. Immania.)magnæ molis & uaſta. Claudianus lib. ij. Trabali ſaxa ferit ſceptro. Sublime caput.)altitudo ſuggeſti, proceritasq́; Ditis exprimitur. Seneca de Plutone. Superbus, inqt, uultus, id eſt, elatus & celſus. Mœſtiſsima nubes.) à contrario declamauit. Nam Sol (ut ait Plinius) cœli triſtitiam diſcutit, ac etiam nubila humani animi ſerenat. Seneca de regia Plutonis. Quã grauib. umbris ſpiſſa caligo alligat. Aſperat.) atrociorem reddit. Papinius in Achilleide. facinusq́; relatum aſperat Iliacum.

Riget inclementia formæ.) Seneca. dira maieſtas Deo. Frons torua, fratrum quæ tamẽ ſpecimen gerat Gentisq́; tantæ, uultus eſt illi Iouis Sed fulminantis. Inclementia.)crudelitas, & atrocitas animi in exigendis pœnis. Verg. Inclementia diuum Has euertit opes. ut dijs inuidiam faciat. qui tametſi puniendi cauſam habuerint. non tamen modum ſeruarint. Dolor.)ira quã dolor antecedit. Seneca de clementia dolor inquit ab iniuria uenit. Medea apud tragicum Senecam. Ira pietatem fugat. iramq́; pietas, Cæde pietati dolor. Hircius de Caſsio lõgino. Nec diu moratur dolorem ſuum, quin eos interfici iubeat, neq́; ullum eſt animal, tam horrendum tam pernicioſum natura, ut non appareat in illo, ſi ira inuaſit, nouæ feritatis acceſsio. à contrario ſenſu Papinius in Achilleide. O quantum gaudia formæ adijciunt. Celſo ore.)clara uoce, quod irato maxime conuenit, ut eſt apud Gellium. uel ex alto loco. Tonat.)immane clamat & hoc inter irarum ſigna Plutarchus retulit. Tremefacta ſilent dicente Tyrãno Atria.)Papinius de Plutone lib. Theb. viij. Dixerat. atq́; illi iamdudum regia triſtis Attremit oranti. ſuaq́; & quæ deſuper urget Nutabat tellus. non fortius æthera uultu Torquet, & aſtriferos inclinat Iuppiter axes. Dicente Tyranno.) Loquente Plutone. Tyrannus antiquo nomine Rex appellabatur. Herodotus enim Crœſum Tyrannum dixit, & Ariſtophanes in Lemniadibus Thoantem Hypſipyles patrem, Verg. Pars mihi pacis erit dextram tetigiſſe Tyranni. Nomen autem Tyranni temporibus Archilochi in uſum uenit, ut Hippias autor eſt. quippe quod nec Heſiodus nec Homerus uſquam poſuit. Echetum enim quem atrocitate ſcelerum præſtitiſſe cæteris omnibus uideri uoluit, etiam regem dixit.

Ariſtotel.in Cumeorum Rep.*tradit eos qui tyranni nunc appellãtur Aeſymnetas antea uocitatos,idem ſignificante uocabulo ſed minus acerbo.nunc incubator imperij tantum dicitur,& qui crudeliter impotenterq́; dominatur.*

Ingens Ianitor.)*Cerberus Geryonæ filius &* Echidnæ,*frater hydræ ac* Orthi *Canis* Geryonis.*ut eſt apud* Heſiodũ. *qui pro foribus* Orci *cuſtos excubat,*Tibul.*Nunc niger in porta ſerpentum Cerberus ore Stridet & æratas excubat ante fores.* Triplicẽ latratum.)*nam triceps eſt.* Ingens.)*enormi corpore.* Ianitor.)*qui ueſtibulum ſeruat.* Compeſcuit.) *preßit.*

Coccytus.)*inferni palus à ſtyge manat ut* Homerus *in* Odyſſea.*alij fluuiũ uoluentem lachrymas aiunt.nam mœror* Styx *eſt,inde* Coccytus,*id eſt,gemitus deriuatur.in cuius ripis, luctiferi* Bubonis *gemitus,& aliarum dirarum auium turpißimos ululatus audiri* Theſeus *apud* Senecam *refert,*Palus *inertis fœda* Coccyti *iacet,hic uultur,hic luctifer bubo gemit.inde nonnulli* Coccyto *nomen datum uolunt,à* Coccyge *aue,quem uulgo cuculum uocant.ut eſt apud* Plinium,*Sed* Platonici *quidam* Philoſophi *per* Coccytum,*quicquid homines ad lachrymas compellit interpretantur.* Acheron.) Ad Heraclean Ponti *fluuius eſt ab* Acheronte Mariandynorum *rege dictus.ut* Telus Andro *refert.is poſtea* Soonautes *à* Megarenſibus *quibuſdam nautis uocatus eſt, qui tempeſtatem maris illuc euaſerunt,ut canit* Apollonius. *eiuſdem nominis alter apud inferos eſſe fingitur,ad exprimendum mœrorem,quo carißimos quoſq; uita functos efferimus.*Aliter Academici,*nam quicquid feciſſe dixiſſe'ue uſq; ad triſtitiam,humanæ uarietatis more nos pœnitet, in* Acheronte *ſignificari putauerunt.* Atlantis tegææ nepos.) Quatuor Mercurios *accepimus.*Vnum Iouis *&* Maiæ *filium.* Alterũ *cœli & diei.* Tertium Liberi *&* Proſerpinæ.Quartum Iouis *&* Cyllenes.*quem fama eſt ob* Argi *cædem profugum.literas* Aegyptijs *(ut* Coruilius *ait) oſtendiſſe, uerum omnes ad* Maiæ *filium referuntur.ut* Hercules *ad* Thebanum. Atlantis nepos.) Horatius.*Mercuri facunde nepos Atlantis.* Atlas *enim* Maiæ *pater fuit. à qua* Mercurius,*ut per initia* Lithiacon *canit* Orpheus. Tegeæe.)*Arcas. nam* Tegea Arcadiæ *oppidum eſt, ut ſcribit* Pauſanias. *eius meminit* Homerus. *unde mulicbri genere* Tegeatis,*maſculino* Tegeates *&* Tegeæus *apud* Propertium, *quin &* Tegeaticus. Papinius, Et de Mænalia *uolucer tegeaticus umbra.*Tegeæ *quod idem ſcribit* Pauſanias Aleæ Mineruæ *templum fuit. ab* Aleo Aphidantis *filio conditum, de quo* Statius, *templumq́; aleæ nemorale* Mineruæ.*quamuis in peruulgatis codicibus altæ librarij uitio ſcriptum ſit.*

Commune profun.& ſupe.nu.) *nam ſuperis & infernis dijs gratus eſt,*

ut

ut canit Flaccus, utrorumq́; nuncius & interpres, ut apud Lucianum legimus. qua ratione uetuſtas ei mixtum libabat, hoc eſt aqua dilutum uinum. quod alterum, ſcilicet merum, deorum ſuperum, alterum, ſcilicet aqua, deorum manium putabatur. Aſtrologiæ ratio eſt cur Mercurius, deorum ſuperum & manium miniſter exiſtimetur. Originibus enim nocturnis fauēt, Luna, Mars, Venus. Plus die poſſunt, Sol, Saturnus, Iuppiter. Mercurius uarie et quomodo conſenſit, aut uiſus eſt. Profundis.) infernis.

Et ſuperis numen, qui fas per limen utrunq́
Solus habes, geminoq́ facis commercia mundo,
I celer, & proſcinde notos, & iuſſa ſuperbo
Redde Ioui. tantum ne tibi ſæuiſsime fratrum
In me iuris habes? ſi nobis noxia uires
Cum cœlo fortuna tulit, non robur & arma
Perdidimus. ſi rapta dies, an forte iacentes
Ignauosq́ putas? quod non Cyclopea tela

Qui fas.) qui ius habes. Per limen utrunq́.) nam ſoli Mercurio tartarus, & cœlum patet, quod apud Papinium Pluton expoſtulat. Quid enim mihi nuncius ambas. Itq́; reditq́; domos. Facis commercia.) mutuam conſuetudinem. Eſt autem commercium libera commeandi contrahendiq́; facultas, ab ijs qui merces ultro citroq́; conuehunt appellata. Papi. in Achilleide. hæc geminæ commercia terræ. Celer.) propera. nam modus eſt imperandi ab eo is uerbo. Proſcinde notos.) auras, quas interſecant ij qui uolant, aut aerem per notos accipe. Papin. Claraq́; per Zephyros etiam num ſemita lucet. Superbo.) hoc ait ex affectu Plutonis. nam perturbati oratio tota eſt, & principium habet abruptum, à percontatione, & quidem figurata non enim interrogat ut ſciat, ſed ut ita acrius urgeat. Sæuiſſime fratrum.) Hemiſtichium Papin. conuerſioq́; ſermonis eſt ad Iouem quem crudelitatis incuſat, quod uxorem ſibi non dederit. Tātum ne tibi in me iuris habes.) Tanta ne animi licentia uteris, ut hoc etiam tibi permittas? Si nobis noxia uires cum cœ. for. tulit.) Si fatis, inquit, iniquis potior es, ideo ne tibi uideor idoneus quem tantopere negligas. Fortuna.) Sortitionis euentus. quippe fortuna, ſecundum Platonem mens eſt, & ipſius anima mundi. quem tum Deum, tum prudentiam, quandoq; neceſſitatem nuncupant, nōnunquam fortunam, quod efficiat multa improuiſa nec opinata nobis, propter obſcuritatem ignorationemq́; cauſarum. Eadem poſt Anaxagoram Stoici ſenſerunt,

adhibita diuiſione quod eorum quæ ſunt, quædã per ſe nulla externa ui fiant, nonnulla fato, pleraq; fortuna contingant. Extat & Luciani Samoſateni libellus. ubi ſimul hoc nomine, ſimul aliorum meritorũ, Iouem nõ parum debere fortunæ Mercurius affirmat. Noxia.) uel hoc iniqua, quod te potiorem fecit ac mihi prætulit. Vires quas in te tranſtulit.) nã Iuppiter (quod ſcribit Home.) Dijs omnibus uirtute longe præſtat, placet tamen ut opes intelligas. Tulit.) eripuit. aphereſis. Cum cœlo Iuppiter.) Neptunus. & Pluto fratres, inter ſe rerum ſummam ſortiti ſunt, ut eſt apud Home. & Ioui quidem cœlum, Neptuno Mare, Plutoni inferna ſedes obtigit. Terram uero & olympum communem ſedem reliquerunt. id quod Lactãtius ex Euhemeri monumentis, ad hiſtoriæ fidem referre conatus eſt. Sed Callimachus in hymnis ullam ſortitionẽ factam negat. Non perdidimus.) amiſimus, alij per interrogationem num? leguut, quod magis placet, nam breues interrogatiunculæ pathos mouent, ut illud Iunonis. apud Verg. Num ſigæis occumbere campis? num capti potuere capi? num incenſa cremauit Troia uiros? Robur & arma.) quibus duobus bella conijciuntur. & colorem traxit ex illo Iuue. Curandum imprimis ne magna iniuria fiat Fortibus & miſeris. tollas licet omne quod uſquam eſt Auri atq; argenti ſcutum gladiumq; relinques. Et iacula & galeam ſpoliatis arma ſuperſunt. Si rapta dies.) nam tenebras Orci Pluton colit. Iacentes.) abiectos. Ignauos.) ut nihil iniuria moueamur. Cyclopea tela.) fulmina quæ Ioui Cyclopes fabricant. Heſiodus tris memorat Aſteropem, Brontem, & Argem, & Cyclopas appellatos ait, quod unus ſingulis oculus & is in media fronte, circinatæ rotũdttatis eſſet. idem ſenſit & Hellanicus. Eoſdem circulares cœli uertigines repræſentare Zeno diſputat. Nos ex ipſis nominibus Aeris tempeſtates interpretamur. ut in noſtris originibus demonſtrabimus, & inde cœlo ac terra parentibus natos fingi, quod ex igne cœleſti terreq; uaporibus excitentur. Hos ſuis telis Apollo ſuſtulit, quod opifices fulminis extitiſſent, quo Iuppiter Aeſculapiũ necauit. ut ex fabula refert Hygi. ob quam cædem depoſito numine Phœbus Admeto famulari coactus eſt. ut in Alceſtide ſcribit Euripides. Callimachus uero canit Apollinem pauiſſe Admeti pecus, eius adoleſcentis forma inductũ. Callimachi uerſus (ne Græca uidear oſtentare) Lãtinos à nobis factos adiecimus. Te ſimul ex illo paſtorem Phœbe uocamus Tempore, quo Amphryſi duxti ſub prata iugales Pubeſcentis, adhuc Admeti captus amore. Meminit & Plutar. in Numa. & in artibus Naſo, Cynthius Admeti uaccas pauiſſe pheræas Fertur & in parua delituiſſe caſa, quem uerſum repetit in heroidibus.

bus. de hoc & longum Tibulli carmen extat. quod ex hac hiſtoria intelligendum illic diſceptabimus, ijs etiam cõfutatis qui ad Iſſen Macarei filiam perridicule referebant. Cyclopea.) à Cyclope Cyclopeus penultima contracta fit & diphthongo producta. Verg. uos & Cyclopea ſaxa. Euripides in Hercule furente. καὶ κυκλώπειαν πόλιν.

Stringimus aut uanas tonitru deludimus auras.
Nónne ſatis uiſum eſt? grati quod luminis expers
Tertia ſupremæ patior diſpendia ſortis?
Informeſq́ plagas? quum te letiſsimus ornet
Signifer, & uario cingant ſplendore Triones.
Sed thalamos etiam prohibes? Nereia Glauco
Neptunum gremio complectitur Amphitrite.
Te conſanguineo recipit poſt fulmina feſſum
Iuno ſinu. Quid enim narrem latonia furta?
Quid Cererem? Magnamq́ Themin, ubi tanta creãdi

Stringimus.) iaculamur. Superorum uero trium ſiderum ignes ſunt, qui decidui ad terras fulminum nomen habent, ſed maxime ex ijs medio loco ſiti, ideoq́; dictum Iouem fulmina iaculari. autor Plinius. fulminum plura genera, quum uoles apud Senecam leges in quæſtionibus. Vanas auras.) inane de quo Lucretius multa. Nonnulli tamen uano ſcribunt, & cum tonitru iungunt, quem uanum dici uolũt, quoniam deciduus in terras, ut fulmen non eſt & plaga caret. Tonitru.) Tonitrus (ut inquit Anaximander) eſt nubis ictæ ſonus. Tonitrua nos pluraliter tantum dicimus. antiqui tonitrum aut Tonum. quod Seneca legit apud Cecinnam facũdum uirum. qui habuiſſet aliquando in eloquentia nomen. niſi illũ Ciceronis umbra præceſsiſſet. Deludimus.) irrito fragore concutimus. Nam Pluton, Iouis numen eleuat. & conuicium mutuatur ab Iarba maronis. An te genitor quum fulmina torques Nequicquam horremus? cæciq́; in nubibus ignes Terrificant animos, & inania murmura miſcent? Nónne ſatis uiſum.) an ne parum ducis, ex illo Papi. Vſq́; adeo ne parum eſt? Expers.) orbatus. Tertia diſpendia. ſupremæ ſortis.) id eſt, ultima damna tertiæ ſortis. de hoc alibi plura dictabimus ex Callimacho. Informes plagas.) Regiones adeo fœdas, ut Achilles optet apud Home. potius eſſe in uita Serui uicarius, & quidem ruſtici, quam Manibus imperare. Sed hoc Homeri carmen, ut fortitudini contrarium Socrates apud Platonem damnat? Signifer.) obliquus circulus, per quem Sol iter

annuum

annuum conficit, is & Zodiacus appellatur, ab effigie animalium quæ ζῷα *græce dicuntur. Solus hic latitudinem ex omnibus circulis adeptus eſt, nam quomodo cæteri ſola longitudine cenſeantur, & patere non poßint. in Zodiaco latitudinem ſignorum capacitas exigebat, quæ duabus lineis & ecliptica definitur.* Lætißimus.) *aſpectu iucundus. quippe qui tot cœleſtium flammarum luminibus illuſtratur.* Cingant.) *utrinq; complectantur, & ambiant. nam cœleſtium* Deorum *ſedes geminis axibus intercluditur. Ouid. in* Ibin. *Dij maris & cœli quiq; meliora tenetis, Inter diuerſos cum Ioue regna* Polos. Triones,) *ita ruſtico quodam uerbo boues appellati ſunt, quaſi terriones, hoc eſt arandæ colendæq; terræ idonei, inde ſidus, quod figura ſituq; ſimile plauſtro uidetur:* ἅμαξαν *Græci dixerunt, noſtri* Septentriones *à iunctis bobus, id eſt. à ſeptem ſtellis ex quibus quaſi iuncti* Triones *effinguntur, ut exiſtimat* Aelius. Addit *præterea* Varro. *dubitare ſeſe, an ideo magis eæ ſeptem ſtellæ* Triones *uſurpentur, quod ita conſtitutæ ſunt ut ternæ proximæ quæq; ſtellæ, inter ſe faciant* Trigonas, *id eſt, triquetras ſpecies, ut* Gellius *interpretatur. id quod ſubtilius elegantiusq; plerisq; ueſtrũ. intuentibus enim in illud ita propemodum res eſt, ut triqueſtra forma uideatur.* Sed.) *antiqui ſedum dicebant. inde nouißima Syllabæ dempta parte* Sed *in uſu remanſit. ut ait* Soſipater. *hanc particulam* Palæmon *adiecit inter principales coniunctiones. & ſi quandoq; poſtponitur per* Anaſtrophen. Verg. Ipſa *ſed in ſomnis inhumati uenit imago Coniugis.* Prohibes thalamos?) *uxorem negas?* Amphitrite.) *hæc (ut canit* Heſiodus) *Nerei filia fuit &* Doridos *quæ cum ſeruare uirginitatem cuperet,* Neptuni *uim fugiens ad Atlantem uenit inter* Fabuloſa *poſtea* Delphine *expugnata, Deo nupſit. inde* Delphin *inter aſtra* Neptuni *beneficio receptus eſt.* Fabuloſa *de hoc* Higynus *perſequitur, ex* Eratoſthene. *meminit &* Ouid. *in faſtis.* Complectitur gre.) *ſinu fouet & uoluptatem qua procreamur intelligit.* Glauco ſinu.) Ceruleo. Iuno Iouis, *& quidem ex utroq; parente ſoror fuit,* Saturni *&* Opis *filia, quàm priuſquam duceret* Iupiter *furto cognouit, ut* Callimachus *indicat, eoq; prior* Homerus. *& utrunq; ſecutus in* Diris Maro. Iupiter *ante ſuiſemper mendacia furti* Cum Iunone *prius coniunx quàm dictus uterq; eſt* Gaudia *libauit dulcem furatus amorem.* Conſanguineo.) Sororio. nam conſanguinei fratres etiam dicuntur. Ver. Et cõſanguineus lethi ſopor. quippe ſomni ſoror mors eſt, ut canit Heſiodus. Et Seneca ad ſomnum. Frater duræ languide mortis, Sophocles in Aiace. ξύναιμον, *id eſt, conſanguineum dixit* Aiacis *fratrem* Teucrũ. Papin. Et *conſanguineo gliſcis regnare ſuperbus exule,*

id eſt,

id eſt,eiecto fratre. Poſt fulmina ſc.)amare molliciem corporis, & crudelitatem ſimul exprobrat,quaſi fulminibus ad laſſitudinem Iupiter ſæuiat,& ei muneri par non ſit,qui iaculando defatigetur. Quid enim matrem latonia furta?)honeſta dubitatio quæ crimen exaggerat,quid referã Latonæ ſtuprum?Ex hac enim Iuppiter Apollinem ſuſtulit.& Dianam,ſunt qui latitantia legant.ut Pluton dicat furtiuos Iouis concubitus æquari uerbis nõ poſſe.

Quid Cererem magnamq; Themin.)Iupiter tris habuit uxores,Iunonẽ, Cererem,Themin.à prima Curetas,à ſecunda Perſephonem,à tertia Mineruam ſuſcepit. autor Euhemerus. Themin.) cœli & terræ filia Themis fuit,hanc eius nuptias fugientem,Iupiter in Macedonia compreſſit, hinc & Ichnis oppido datum nomen,à puellæ ueſtigijs quæ ſequutus eſt & legit Iupiter quum eam perquireret,ut eſt apud Philetam.in eo Themis Ichdea colebatur,ut Strabo refert.meminit in hymnis Home.& Lycophron in Alexãdra. Vbi tanta creandi copia,)Themis ut ante diximus,& Mineruam Ioui peperit,& Nymphas,quas de nuptijs Iunonis decimo Pherecides ad Erydanum ſedes habuiſſe tradit,& Heſperidas de quibus commode plura referemus.etſi non me fugit ab Heſiodo Noctis eſſe filias affirmari.Quin & Horas Iouis ex Themide filias Orpheus in hymnis celebrat & ad Themin quidem referri nonnullis placet,quoniam Iupiter ex Cerere atque Iunone,ſingulos(ut aiunt) liberos procreauit.equidem non aſſentior in Iunone,ex qua præter Curetas,ut ex Euhemero recitauimus etiam Vulcanum ſuſtulit, ut ait Home.licet Heſiodus & eũ ſecuti,ex ſola Iunone ſine uiri accubitu natũ prodiderit.genuit & Heben,quæ nupſit Herculi,ut legimus apud Pauſaniã.

Copia,te felix natorum turba coronat,
Aſt ego deſerta mœrens inglorius aula
Implacidas nullo ſolabor pignore curas?
Non adeo toleranda quies,primordia teſtor
Noctis,& horrendæ ſtagna intemerata paludis.
Si dicto parere neges,patefacta ciebo
Tartara,Saturni ueteres laxabo catenas.
Obducam tenebris lucem,compage ſoluta
Lucidus umbroſo miſcebitur axis Auerno
Vix ea fatus erat iam nuncius aſtra tenebat,
Audierat mandata pater,ſecumq; uolutat

Natorum turba.)numeroſa ſoboles. Coronat.)& ſuperat te. adieci

autem felix,quoniam numeroſa proles in aduerſa fortuna,non iucunda, ſed oneri potius eſt.aut ex affectu Plutonis *intellige,qui filios optat,* & Iouem *beatum ducit,qui toties pater ſit.amplificat autem per comparationem, augetq́; fortunam* Iouis*,ut tanto deterior ipſe uideatur.* Deſerta.)*ſine liberis.alioqui nullus frequentior* Inferno *locus eſt.illuc enim commeant omnia.* Referatur & *hoc ad effectum.nam ſi quæ optamus abſunt,uel in media turba nobis ſoli uidemur.ut amans ille* Plautinus*,* & Dido*,de qua* Ver.*Sola domo mœret uacua,quum reginæ famulæ nunquam non appareant,ut etiam* Seruius *obſeruauit.à contrario ſenſu* Tibullus *ad amicam.Tu mihi curarum requies,tu nocte uel atra* Lumen*,* & *in ſolis tu mihi turba locis? aut certe* Deſertam Ditis *ſedem ut ſupra auernũ uacuum certo epitheto dixit.* Mœrens.*in luctu.* Inglorius.)*ſine nomine* Papi.*Cuſtosq́; inglorius aræ.* Solabor.)*leniam.* Curas implacidas.*) animi ſollicitudines.* Nullo pignore.)*nullo ſuſcepto filio.nam liberorum blanditiæ parentum triſtitiam plærunq́; diſcutiunt.* Tractauit *hunc locum* Papin.*ad eijciendas à tedio lachrymas,in morte* Alumni.*Quis tua colloquijs hilaris mulcebit amatis Pectora? quis curas mentisq́; arcana remittet? Accerſum quis bile feret? famulisq́; tumentem* Leniet*,ardentiq́; in ſe deflectet ab ira? pignora liberos appellamus, quod ij connubium quaſi fœdere quodam ſanciant* & *diuerti non ſinant.inde* Iuue.*in eos qui parum uiri nubebant. inſtat,inquit,ijs ingens tormentũ,* Quod *nequeunt parere,* & *partu retinere maritos.* Idem *queritur* & Eunuchus *apud* Clau.*quod antiquiſſimus ille uates* Olen *intelligi uoluit. ubi* Cupidinem *non ut alij)* Veneris *ſed* Ilithyiæ Lucinæq́; Filium *canit.inde* Proper. Omnis *amor magnus,ſed aperto in coniuge maior* Hanc Venus *ut uiuat uentilat ipſa facem.* Non adeo tol.quies. *non tanti pax eſt,ut hoc etiam feramus* Polybius *multis uerbis oſtendit,tanto ſtudio ſectãdam pacem non eſſe, ut aliquid contra dignitatem patiamur.* Primordia noctis.) Chaos & *inferni denſam caliginem,quæ nunquam luce diſcutitur.aut intelligit* Erebum *qui* & *ipſe teterrimus eſt,* & *noctis pater,ut dictauimus ex* Varrone. Stagna intemerata.)*quæ dij non uiolant.nam per ea iuratis nefas eſt fallere,ut ante eſt dictum.* Paludis.)*Stygiæ.de hac commode plura recitauimus,ex* Plin.Seneca & *alijs autoribus.* Horrendæ.)*quam uenerantur* & *timent ſuperi.de qua* Verg.*una ſuperſtitio ſuperis quæ reddita diuis.* Si dicto parere neg.)*Si imperata non feceris.* & *hoc liberius ut iratus agit* Pluton.

Patefacta cic.)*pandam ac in te ſollicitabo. ut illud* Maronis *animumq́; labantem impulit.* Tartara.)*Titanas* & *monſtra,quæ ſunt apud inferos.*

Laxabo

Laxabo ea.Sa.) Soluam,inquit,in te Saturnum. nam is in uinculis, apud inferos aſſeruatur,coniectus illuc à Ioue,quoniam filios deuoraſſet,ut ſcribit Plato.Ouid. Poſtquam Saturno tenebroſa in Tartara miſſo Sub Ioue mundus erat. Palladas epigrammatum Græcus autor ait. Iouem parricidiali in patrem odio Saturnũ de medio tollere uoluiſſe,ſed eius immortalitate prohibitum cum Titanibus in Tartarum conieciſſe. Sed hoc alij uulgatum putant, quod regno pulſus ad Ianum confugit,in ea Italiæ parte regnantem,quæ mari infero alluitur. eadem minatur Hercules apud Senecam: uincla Saturno exuam,Contraq; patris impij regnum impotens Auum reſoluam. & apud Papin. Pluton,habeo iam quaſſa gigantum Vincula, & Aethereum cupidos exire ſub axem Titanas,miſerumq; patrem. hoc eſt Saturnum, de quo Diodorus & Macrob. plura. Obducam tenebris lu. atra diem nocte inuoluã. Pluton apud Papin. pandam omnia regna,Si placet,& Stygio prætexam hyperiona cœlo. Soluta compage. Hemiſtichium Lucani. in eundẽ ſenſum Iuuenalis de Caligula. Ardebant cuncta & fracta compage ruebant Non aliter quaſi feciſſet Iuno maritum inſanum. Compago quæ compages etiam dicitur commiſſuram ſignificat. Verg. Laxis compagibus omnes accipiũt inimicum hymbrem. cuius nominis paternus caſus à pleriſq; compagis enunciatur. ab alijs etiam cõpaginis,quod Ouid. uſurpat,& Manilius,etiam ſi Probus & Seruius refragantur. Lucidus axis.) Aether. Verg. Aedibus in medijs. nudoq; ſub Aetheris axe. Papin. ſeu purior axis Amotumq; nefas. Male qui contra uetuſti codicis fidem,legunt Aer. nihil offenſi temporum ratione, quum græcum nominum ſit aer & apud eos per η ſcribatur. quæ ſemper apud Latinos,in e longũ transfertur, ut præcipit Martianus. Ouid. Lucidus hic aer,& quæ duo corpora reſtant. Luc. Aer & longi uoluent Titana labores. Miſcebitur.) confundetur. uel emiſſa inferna nebula perturbabitur. Verg. Interea magno miſceri murmure Pontum. Vix ea fatus erat.) hic ait quoniam uelociſſimum Mercurij ſidus eſt. fere dicto citius iter confecit.

Nuncius.) interpres,id eſt,Mercurius. Tenebat aſtra.) cœlum cõſcenderat. Mandata.) quæ Mercurius expoſuerat. Pater.) Iupiter. cui mores (ut inquit Diodo.) patris nomen dederunt. Alicarnaſſeus autem Dionyſius de pronuba ſcribens oratione. Iupiter,inquit, & Iuno poſt hominũ memoriam primi uirum & fœminam matrimonio coniunxerunt. unde & ille pater appellatus,& illa Iugaria dicta eſt. Aut pater,omnium cõditor & opifex Deus. unde Homerus & Maro Iouem hominum deorumq; patrẽ uocant, id eſt,humanarum diuinarumq; rerum, & omnium quæ ſunt. appellatione

enim humanorum mortalia accipimus, ut diuinorum res omnis æternas. Id *quod oſtendit* Plato. *qui* Philoſophiam *diffinit, humanarum diuinarumq́; rerum cognitionem.* Q*uum philoſophi non modo hominum* Deorumq́; *naturam ſed etiam brutorum plantarumq́; perquirant.* Volutat.) *frequentatiuum ductum à uoluo, id eſt, diu multumq́; ſecum tractat & cogitat.*

Diuerſos ducens animos, quæ tale ſequatur
Coniugium, Stygiosq́ uelit pro ſole receſſus.
Certa requirenti tandem ſententia ſedit.
Aetnææ cereri proles optata uirebat
Vnica, nec tribuit ſobolem lucina ſecundam,
Feſſaq́ poſt primos hæſerunt uiſcera partus.

Diuerſos ducens animos.) *uaria captans conſilia. quippe mens animus anima, & conſilium, idem ſunt, ut* Lucretius *opinatur* Papin. Theb. iij. *Incertusq́; animi. hoc autem ſumpſit ex illo* Vergiliano. *Atq; animũ nunc huc celerem, nunc diuidit illuc. In partesq́; rapit uarias perq́; omnia uerſat.* Stygios receſſus.) *Speluncas, & (ut* Lucretius *ait,)* Orci *lacunas. idem uerbum uſurpauit* Euripides *in* Polydoro. Requirenti.) *dum per omnia ducit animum. aut dubio nam qui dubius eſt requirit.* Gellius *adhuc, inquit, quæritur, id eſt, certum non eſt. placet intelligas alternãti ex ipſo* Marone. Sedit.) *placuit* Verg. *Si ſedet hoc animo.* Tandem.) *quia lõga deliberatione conſtituendum* Ioui *fuit, an* Ditis *uoluntati ſatis faceret.* Aetnææ Cereri.) *Aetna Siciliæ mons notiſsimus, ſortitus nomen ab Aetna* Briarei Cyclopis *filia, Sorore* Sicani, *qui nomen inſulæ dedit.* Simonides *ait* Vulcanum *cum* Cerere *de Siciliæ finibus contendiſſe, iisq́; extitiſſe Aetnam arbitram, quæ ſecundum* Cererem *litem dederit. Superiora ſcribit* Dion Callatianus. *Eſt & Siciliæ ciuitas Aetna, alio uerbo Adranium dicta, quàm fluuius eiuſdem nominis alluit, autor* Stephanus. Mella Pompo. *famam habet, inquit, ob* Cereris *templum, Aetna præcipua montium. Sed hic* Ennam *plæriq́; ſubſtituunt. ut diuerſa ſit ab Aetna cuius non multo poſt idem* Mella *meminerit. Affert & urbem* Strabo, *Ennam in edito colle ſitam, & delubro* Cereris *(ut ait) inſignem. unde quidam* Ennæam *apud* Silium Cererem *dici contendũt.* Ex Græcis *tamen nonnulli idipſum* Cereris *epitheton apud* Lycophronem *interpretantur, quod hæc (ut eorum uerbis utar)* ἐναία *, id eſt, humi* Dea *colitur quodque eius numinis tota uis in terra conſiſtit.* Equidem *quoniam* Strabonis, & M. T. *(ut alibi recitabimus) autoritate,* Ennam *montis & oppidi nomen*

eſſe

eſſe colligitur, ubi præcipuus honor Cereri deferebatur. Aetnamq́; præterea Stephanus urbem reddat, etiam Adranium nominatam, ad quam Proſerpina rapta eſt à Plutone. ut inter naturæ miracula refert Ariſt. & Alieuticon. iij. Oppianus, conſtitutum non habeo. hoc an illo modo potius ſcribi debeat. huc accedit quod & ipſe mons Aetna nō nihil ad Cererem facit, ex hiſtoria, quam narrauimus ex Dione, & in antiquis Pomponij codicibus Aetnā non Ennam ſcriptum adnotaui. ſicut in illo Valerij. Romani Sibyllinis moniti libris ut uetuſtiſsimā Cererem placarent. xv. uiros Aetnam, quoniam ſacra eius inde orta credebant ad eam propitiandam miſerunt. Proles optata.) *quàm mater unice diligebat. aut optata, quod omnibus eam uotis Ceres, priuſquam cōciperet, expetierat.* Virebat.) *alluſit ad nomen uirginis. quod à uiridi ætate tractum eſt, nam mulierē, Verg. & uirum paſſam Paſiphaen quæq; iam ter pepererat uirginem dixit eo uerſu. A uirgo infelix quæ te dementia cœpit. Quid ſi uirebat, à plantis ſumpta translatione, pro creſcebat accipias? nā uirere tum plantæ dicuntur quum lætæ proueniunt.* Vnica.) *uſurpauit Orphei uerbum qui Perſephonem* μουνογένειαν *dixit in hymnis. nullos enim præterea partus ex Ioue enixa eſt Ex Iaſio Dardani fratre, Philomelum & Plutum numen diuitiarum, de cuius nomine, priſcæ comœdiæ ſcriptor Ariſtophanes fabulam Græce dedit. eius meminit & Theocritus. & Ouid. in Ibin. quum dicit. Filius ut Cereris fruſtra tibi ſemper ametur. Imprecatur ut ad opes nunquam perueniat. ob eum concubitum fulmine extinctum Iaſium, multi prius Home. ſcripſerunt, Hermippus, ut refert Higy. ait à Philomelo iunctos in Creta boues, & primo plauſtrum fabricatum, quod & Petellides Cnoſius affirmauit, Cohæſit & Erinnydis ſpecies Neptuno in equi formam mutato, unde natus Arion eſt, ut legimus apud Lycophronem, hiſtoriam percurrit Ouid. in. vi. Meta. ad Neptunum conuerſo ſermone. Et te flaua comas frugum mitiſsima mater Senſit equum.* Lucina.) *Iunonis per epitheton nomen quod egerat, & partum prodat in lucem. ſiue quod oculis & luci præeſſe credebatur, ut ſentit Plin. inde ſupercilia quæ protegunt oculos, per quos luce fruimur, uetuſtas ei raſitabat. ut Varro ſcribit, & Feſtus. Eandem Iunonis filiam Diodo. autumat, quàm mulieres in doloribus inuocabant. & Ouid. à Iunone ſeorſum ſtatuit, ac Ilithyam græco nomine quandoq; nuncupat. Orat. Lucinam cum Diana confundit. ſiue Lucina probas uocari. porrò Diana cum Luna exiſtimatur, quæ proprio quodam munere diſtendit rimas, & uiam meatibus aperit. quod eſt accelerando partui ſalutare.* Non tribuit ſc. ſobo.) *non cōceſsit alteram filiam.* Feſſaq́;

poſt primos hæſerunt uiſc. par.) Mulierum aliæ in æternū ſteriles ſunt. aliæ mutatis coniugijs fœcundæ redduntur. nonnullæ tantum ſemel omnino pariunt, poſt annum quinquageſimū non gignunt, maiorq; pars. xl. profluuiū genitale ſiſtit. aliquæ tantum, ut inquit Ariſt. anno. lx. pepererunt. Hæſerunt feſſa.) Feſſa mulier eſt effœta, quæq; parere iam deſijt. Sene. declamationum. ij. ignoſcetis puto mulieri, ſi dixerit feſſa ſum. Martia Catonis apud Luca. Viſceribus laſſis partuq; exhauſta reuertor. & Lucre. Deſtitit ut mulier ſpacio defeſſa uetuſto. Probus in arte ſic habet. Fetigati an fatigati? melius fetigati. quod fetigo dicatur & feſſi. nam faſſi præterito tempore confeſſos non fetigatos ſignificat. Viſcera.) fœcunditatis & conceptus loca. quam uuluam dicit. nam quicquid ſub Corio eſt uiſcus appellari docet Seruius, & Plin. ait. Cæſari dictatori ſacrificanti bis in extis cor defuit. unde quæſtio magna de diuinatione argumentantibus, potuerit ne ſine illo uiſcere hoſtia uiuere? Cæſar hoc oſtentum facile reſpuit: omnibus enim conſternatis ait. Quid mirum ſi rationis expers animal cor non habet? hiſtoriam refert octauo Strategematôn Polianus.

Infœcunda quidem, ſed cunctis altior extat
Matribus, & numeri damnum Proſerpina penſat.
Hanc fouet, hanc ſequitur. uitulā non blandius ambit
Torua parens, pedibus quæ nondum proterit arua.
Nec noua lunatæ curuauit germina frontis.
Iam uicina toro, plenis adoleuerat annis
Virginitas, tenerum iam pronuba flamma pudorem
Sollicitat, mixtaq; tremit formidine uotum.
Perſonat aula procis. pariter pro uirgine certant
Mars clypeo melior, Phœbus præſtantior arcu.
Mars donat Rhodopen, Phœbus largitur Amyclas

Infœcunda.) quæ non ſæpe concepit. Extat.) eminet. Venus apud Papinium. Quantumq; egomet Nereidas exto. Numeri damnum.) numeroſæ prolis iacturam. nam quantum cæteris numero cedebat Proſerpina tantum præclara indole ſuperabat. Penſat.) rependit redimit. nam Ceres in una Proſerpina plures genuiſſe uidebatur. Fouet.) amplectitur, ab auibus ſumpta translatione, quæ fouere dicuntur oua, quibus ad excutiendum pullos incubant. aut fouet, nutrit ac prouehit. inde focus, fomenta, focillationes, foculi, fomites, id eſt, aduſtæ uites, ut Opilius interpretatur. aut aſſulæ ex arboribus.

boribus, dum cæduntur excuſſæ. Fouemus autem quæ ſuum robur non habent, & ſatis per ſe firma non ſunt. ut Ser. ait. Non blandius.) non maiori affectu. non indulgentius. Eſtq; prouerbium. Nam Tranquillus ait prouerbium dici debere, quod ante uerbum aduerbium quod poſt uerbum. Ambit.) aſſectatur & ſtudioſe comit. Torua parens.) uacca. nam præcipua frontis aſperitas apparet, in hoc pecore. unde Toruitas (ut quidam putant) quaſi taurorum acerbitas ducta eſt. & boues perpetuo Epitheto toruos poetæ uocant. Vitulam.) buculam Hylus ait. uitulam uocari Deam, quæ lætitiæ præſit. inde uitulari uerbum, quod eſt uoce lætari, & animal ex boum genere uitula, ab animi alacritate atq; laſciuia quæ maxime ſpectatur in uitulis. hoc autem exemplo poeta docet, quam cara Proſerpina matri fuerit.

Pedibus quæ nondũ proterit arua.) hoc ait. quod eius pecoris tota commi natio in prioribus pedibus ſtat, ira gliſcente alternos replicat, ſpargitq; in altũ harenam. Soliq; animaliũ tauri eo ſtimulo inardeſcũt. ut autor eſt Plin.

Germina frontis. Cornua quæ gemina à fronte prorumpunt uitulis. Lunatæ.) curuæ. nam Luna primo poſt coitũ tempore, quum ſolis radijs illuſtratur, ſpeciem cornuum repræſentat. ea tum Græce μηνοειδὴς appellatur. ut ait Capella. Naſo, Cornua quum Lunæ pleno ſemel orbe coiſſent. Iam uicina toro, plenis adol. an. Virginitas.) Maronis Aemulatio. Iam matura uiro iam plenis nubilis annis. Anno. xv. maturam uiro puellam credit Heſiodus. Ariſtoteles anno duodeuigeſimo, tempeſtiuius enim nuptas in primo partu periclitari. Vicina toro.) collocanda. Plenis annis.) integra ætate. Pronuba flamma.) ingenitus quidã ardor, qui ætate matura uirgines, ad nuptias prouocat. aut in ſtans connubij tempus, quod placet, quippe nouam nuptam, quinq; faces antiquo ritu præibant, ut ſcribit Plutar. in quæſtionibus. Sollicitat.) angit. Tenerum pudorem.) pudicum puellæ pectus, quæ ueneris adhuc expers eſt, & per ætatem rudis. & ut Papi. ait. ſubit ille ſupremus Virginitatis amor. Mixtaq; tremit formi. uo.) nam puellæ uirum, pariter cupiunt, & metuunt. Votum.) deſiderium. Martialis, Vota tui breuiter ſi uis cognoſcere Marci. Perſonat aula procis.) plures (inquit) ex dijs Proſerpinam ſibi iungere ſtudebant, ſed imprimis Mars & Apollo, magno ambitu puellæ nuptias affectabant. Perſonat.) nam proci ſemper in cantibus, aut tumultu ſunt, ut legimus apud Home. Græce μνηστῆρες à noſtris proci dicuntur, qui ſimul eandem poſcunt uxorem à procando, poſcendoq;, ut ſcribit Verrius. Aula.) prima pars domus atriũ. nam illic ferè diuerſabantur proci. ut innuit Home. in Odyſſea. Mars.) is à maribus,

bus,quibus in bello præeſſe creditur, appellatus eſt,ut docet Varro. Melior.)præſtantior. Clypeo.)ſcuto quo pedites utebantur.Clypeum neutro genere proferendum Caper præcipit. Titus præterea Liuius. identidẽ Clypea dicit. Trebellius. Clypeus,inquit, aureus,uel ut Grammatici loquuntur. Clypeum. Arcu.)iaculatione.nam Phœbus à Græcis Hecatebeletes, à noſtris Arcitenens,per epitheton appellatur. & ipſe Deus apud Ouid.arcus, ut propria tela,ſibi uendicat. Donat.)ex illo Nuptiarum ritu, quo uir et uxor inuicem ſe coemebant,ut ſcribit Seruius & Boetius in Topica Ciceronis.Maro.teq; ſibi generum Thetis emat omnibus undis. In Thracia ſedem Mars habet.ut Statius in Thebaide canit. Manilius. Thrace Martem ſortita colonum,quod ideo uulgatũ Vegetius exiſtimat,quod ea gens armorum ſtudioſiſſima ſemper extitit. Rhodopen, Rhodope Thraciæ mons dictus à Rhodope Strymonis amnis filia ex qua Neptunus Atho gigantem genuit, qui & ipſe monti nomẽ dedit. Ouidius ipſam Rhodopen in montem conuerſam tradit,quoniã Deos aſpernaretur. Eſt & Ioniæ ciuitas Rhodope,ut ſcribit Stephanus.ab utroq; Rhodopæus,& reſolutione diphthongi Rhodopeius enunciatur. Ouid. in epiſtolis. Hoſpita Demophoon tua te Rhodopeia Phyllis.cuius mentio nos admonet,ut aliud eiuſdem poetæ carmen explicemus.id eſt in remedijs. Vixiſſet Phyllis ſi me foret uſa magiſtro, Et per quod nouies ſæpius iſſet iter. Nouies enim nõ finitus eſt numerus pro infinito (quod grãmaticorum uulgus exiſtimat ſed ab hiſtoria,quàm refert interpres Lycophronis in Alexandra. Quippe phyllis Demophoontem, uel (ut ipſe nuncupat) Acamantem,ad uſq; nouem uias ſequuta eſt,ad amnem Strymonem quæ ciuitas Amphipolis appellata mox eſt ab Agnone duce Athenien. autores Antiphon & Androtion Atticorum.xij.Macedoq; Polyenus. viij. Stratagematôn,Pauſanias,Harpocration,& Suidas meminit, & Thucydides alijq; præterea nonnulli. Quumq; illic(ut pergit) Acamãtem diu fruſtra expectaſſet, Impar amori Phyllis,mortem ſibi conſciuit,ad quod alluſiſſe Naſonẽ conijcere licet,ex ijs eius uerſibus in arte. Nona terebatur miſeræ uia uideri,inquit. Et ſpectat Zonam pallida facta ſuam, & alibi. Quære nouem cur iſſe uias dicatur,& audi Depoſitis Syluas Phyllida fleſſe comis,ſic enim ſuperius hexametrum ſcribẽdum eſt,ex antiquis codicibus,non ut nunc paſſim legitur. Quære nouem uicibus cur iſſe feratur.etiam ſi ſuos & hoc habet aſſertores, ſed eos negligendos. Amyclas.)Ea Peloponeſi ciuitas una fuit ex ijs quas olim Lacedemonij centum tenuerunt. inſtitutis etiam cõmunibus ſacris pro ſingularum ſalute,quæ hecatombas ab earum numero memorabant. autor Euſtathius.

Euſtathius. Nomen Amyclas Lacedemonis filius indidit Hiacynthi pater & Daphnes puellæ, quorum matrem Diomedeñ interpres Nicandri nominat. Hiacynthum uero Phœbus in delitijs habuit, ut in eius ſororem Daphnē conceptos ignes quoquo modo leniret, hinc illud apud Martialem. Torquebat Phœbum Daphne fugitiua, ſed illas Oebalius flammas iuſsit abire puer. Amyclis ut in tota fere Laconia, ſumma ueneratione Apollo colebatur.

Et Delon Clarioſq; lares. hinc æmula Iuno,
Hinc poſcit Latona nurum, deſpexit utrunq;

Delon.) Delos. una Cycladum, ea poſt diluuium. quod Ogygium dicitur. quum nouem & amplius menſibus, interdiu noctis facies incubuiſſet, prima obtutibus reddita eſt, illuſtrāte Sole, & inde nomen ſortita, ut ait Solinus. eadem quandoq; Ortygia dicta eſt, ut inquit Phanodicus, ab eiuſdem nominis aue, in quam Latone ſoror Aſterie, uim Iouis fugiens, ex puella uerſa eſt. ut Lycophron, & Callimachus fabulantur. Nicander nomen datum putat, ab Ortygia oppido Aetoliæ, unde profecti coloni. Delon, & Omotermona paruam iuxta Syracuſas inſulam tenuerunt. Fama eſt Latonam cum Neptuno Delum permutaſſe, data Calauria inſula quæ Latonæ prius erat. idem de Pythone quæ Parnaſsi montis eſt, & promontorio Latoniæ Tænaro feciſſe creduntur, ut Euſtathius etiam refert. Ferunt Latonam ex longo errore & partu grauidam, & iam ad pariendum uicinam, temporibus exactis confugiſſe Delum, atq; ibi Apollinem Dianamq; peperiſſe. autor Cai. Plinius in ijs quæ de dubio ſermone ſcripſit. nullum nomen, inquit, apud Latinos on literis finitur. ideoq; Rhodum & Delum dicimus accuſandi caſu. Sed interdum poetæ græca forma proferunt. ut Hora. laudabunt alij claram Rhodon, aut Mitylenem. & Claudianus hic Delon. & ſi Delum quoq; legere poſſumus, ut apud Vergiliū. Delum maternā inuiſit Apollo. quod latina ratio comprobat. Clarioſq; lares.) Thebis à Therſandro Polynicis filio captis ex uoto captiuorum pars Apollini miſſa eſt & una Manto cum patre Tireſia, qui itineris labore cōtracta ſiti, cum ex Thelphuſia fonte bibiſſet, in Haliartia uita exceſsit, Apollo iuſsit ipſam Manto cum cæteris in Coloniam tranſcribi, Itaq; in altum progreſsi non procul ab Ionia inciderunt in claſſem Cretenſium cui præerat Rhacius, ad quem deducta Manto apud eum uxoris loco fuit, & Mopſum peperit. hiſtoriam refert Pauſanias in Achaicis & Philoſtephanus de ciuitatib. Aſiæ primo. qui Lacium per. L. appellat eum quem cæteri Rhacium, deq; eius patria quærit, alijs Argiuum fuiſſe tradētibus alijs Mycenæū,

nonnullis ex Rhodo *Lindium,Antiphemi fratrem,eius qui* Gelam *condidit in Sicilia.* Nearchus *autumat inditum* Claro *nomẽ,ex eo quod* Apollo Neptu*nus & Mars inter ſe de loco ſortiti ſunt. Alij,quod Apollini obtigerit per ſortem,quæ Græce* κλῆρος *eſt. Alij fabulãtur,ipſam* Manto *cum patriæ cladem lugeret,ubertim manante fletu fontem effeciſſe,&* ἀπὸ τῶν δακρύων *,id eſt, à lachrymis eius, immutatione literarũ, loco nomen manſiſſe.* Nam Colopho*nem conſtat à* Manto *conditam ,quum* Thebanum *uictores* Epigonos *eò fugiſſet,ut Mella refert.* Apollo *Clarius inde dictus eſt,ibiq; fanũ habuit,in quo reſponſa epota aqua reddebantur,ut autor eſt* Ariſt. *qui* Theologumena *græce compoſuit.* Quin *& Clari Mimallon à* Lycophrone *uocatur Caſſandra, quoniam uates & Apollinis ſacerdos erat. Clarius apud Ouid.poeta,non* Apollo*(ut quidam ſuſpicantur) ſed Antimachus intelligitur. is* Platonis *ætate* Colophonius *fuit,ut diſcimus ex Suida.* Clearchus *in* Eroticis *ait,duas fuiſſe* Lydas*.alteram, quam* Lamynthus Mileſius *amauit: alteram Antimachi amicam:utranq; ad famam perueniſſe.priorem carmine,cui* Lyde *titulus: poſteriorem elegijs celebratam.* Ex Lydæ *poemate teſtimoniũ citant interpretes* Apollonij. Clarios la.)*Clari mœnia.* Vetuſtas *enim* Deos *urbiũ præſides ædiumq; priuatarum cuſtodes,* Lares *exiſtimauit & coluit.quos indutos canum pellibus effingebant,adhibito ad pedes eiuſdem generis animali. argumento,quod ij pro domib.excubarẽt nõ ſecus ac canes.autor* Plutarch: Tibullus,Vos *patrij ſeruate* Lares. Aemula.)Nam Iuno *cum* Latona,*ceu pellice,ſimultates gerebat.nec illa inferior* Iunone *uideri uolebat, quum mater eſſet ex* Ioue*.an hic potius æmulæ,quæ* Proſerpinæ *connubium compete bant?* Aemulus *eiuſdẽ ſtudij ſectator eſt,cum uoto ſuperãdi.* Cicero *pro* Mar*cello : Illo æmulo atq; cõcitatore ſtudiorum meorum.*Corn.*Celſus* ἁπλῶς *in ſignificatione ſectatoris uſurpauit: Accedunt, inquit, Aſclepiadis æmuli, id eſt,qui medẽdi rationẽ ſequũtur,ab Aſclepiade traditam.* Iuno.)*Quæ* Martem *ſine uiro concepit,in campis* Olenijs *tacto flore, quem* Flora Zephyri *cõiunx indicauit:autor in faſtis* Ouid. Latona.)*Cœi filia,Phœbi mater.* Poſcit nurum.)*uxorem filio petit.nam filij mei coniunx mihi nurus eſt, ut* Iuris *ciuilis autor* Modeſtinus *ait.* Deſpexit utrunq;.)*Commode hic in* Cerere, *quæ non iniuria* Martis *&* Apollinis *affinitatem reiecit.nam ſolis æſtus & bellum,præſertim ſi diutius protrahatur,æque fruges & annonã lædit.inde grata* Cereri *pax eſt,ut canit* Orpheus. Quin *& ipſa dea* Pax *ita effingebatur,quaſi ſpicam frumẽto grauidã manu teneret:id quod in priſci æris nũmo ſpectamus,& innuit* Tibul. *Interea pax alma ueni,ſpicamq; teneto.*

Flaua.)

Flaua Ceres:raptusq́ timens (heu cæca futuri)
Commendat Siculis furtim ſua pignora terris.
Inſidis natam laribus commiſit alendam.
Aethera deſeruit, Siculasq́ relegat in oras,
Ingenio confiſa loci. Trinacria quondam
Italiæ pars una fuit:ſed Pontus & æſtus
Mutauere ſitum,rapuit confinia Nereus
Victor,& abſciſſos interluit æquore montes,
Paruaq́ cognatas prohibent diſcrimina terras.
Nunc illam ſociæ raptam tellure triſulca
Opponit natura mari,caput inde Pachyni
Reſpicit Ionias protentis rupibus iras.

Flaua.)Perpetuum Cereris eſt epitheton,à maturis frugibus,quæ flaueſcunt.Tibul.Flaua Ceres tibi ſit noſtro de rure corona Spicea. Ceres.)A gerẽdis frugibus appellata eſt,ut docet Cicero.prima litera immutata,imitatione Græcorum, apud quos Δήμητηρ *quaſi* γήμητηρ*, id eſt,terra mater eadem uocatur.. Heu cæca futuri.)improuida fati Ceres,quæ ultro incurrit in cladem,quam declinabat.Eſt autem acclamatio,per parentheſim. Commendat.)deponit.nam ſic id uerbum,Iuris ciuilis autor Vlpianus interpretatur.& lib.2.Ceres ad matrem: Leuiusq́; meum Trinacria celet Depoſitũ.*

Sua pignora.)Proſerpinam filiam. Furtim.)clam dijs,qui puellæ nuptias ambibant. Inſidis.)non reddituris depoſitum. Laribus.)Siciliæ regionibus,quarum genij ſunt Lares:de quibus ſuprà,& alibi ex Ouid.& alijs autoribus ſatis multa. Commiſit alendam.)educandæ Proſerpinæ curam credidit. Aethera deſer.Sicul.releg.in oras.)omiſſo atq́; repudiato cœlo,emandat in Siciliam mari circumfluam.nam oræ ſunt littora. Ingenio:)naturæ,quod eſſet inſula,& undiq́; mari cingeretur:quaq́; Italiæ propinqua eſt,rapido & æſtuanti freto. Trinacria quondam.) Sicilia Sicania à Thucydide dicta,Trinacria à pluribus,aut triquetra,à triangulari ſpecie. Lucretius:Inſula quem Triquetris terrarum geſsit in oris.Brutio agro quondam cohærens,mox interfuſo mari auulſa.ab hoc dehiſcendi argumento Græci Rhegyo dederunt nomen oppido in margine Italiæ ſito. totius ambitus inſulæ clauditur ſtadijs tribus milibus.hæc Strabo,Plinius,& Solinus. Sibylla canit, Neptuni filium Thrinacũ,Thrinacriæ nomen dediſſe. Sibyllæ

tu. Caput.) *uertex.* Pachyni.) *promontorij.quod ad ortum uergens Græciam ſpectat,ut ait Polybius,nomen habuit ab aeris craßitudine,ut placet Seruio.nam Græci,quod nos pingue,* παχὺ *appellant.Enunciatur & media correpta.Rhemnius Fannius in Dionyſium.Eminet ad Zephyrum lylibe,Pachynusq́; ſub ortum.* Iras ionias.) *fluctus & tempeſtates maris Ionij,de quo diximus.* Protentis ru.) *procurrentibus in mare ſcopulis.*

Hinc latrat gætula Thetis,Lilybæaq́ pulſat
Brachia conſurgens,hinc dedignata teneri
Concutit obiectum rabies Tyrrhena Pelorum.
In medio ſcopulis ſe porrigit Aetna peruſtis.
Aetna gigantæos nunquam tacitura triumphos.
Enceladi buſtum, qui ſaucia membra reuinctus
Spirat inexhauſtum flagranti pectore ſulphur.
Et quoties detrectat onus ceruice rebelli.

Hinc.ex aduerſo.) *ſcilicet à brumali ſolis occaſu.* Latrat.) *ex undarum conflictu ſonat. ab iratis canibus ſumpta translatione.* Thetis.) *Achillis mater. hic autem mare ſignificat.ut apud Statium.* Quum Thetis arentes aſſuetum ſtringere ripas Horruit ingenti uenientem Imenon aceruo. *ea* Nerei *filia fuit, ut* Heſiodus *canit, ut ſentit* Septimius Chironis. *qui* Nereus *in* Pelei *nuptijs & fi:æ dictus ſit.* Gætula.) *mare* Libycum *ſirtibus prætenditur,ut ſcribit* Strabo.*id nunc à* Gætulis Aphrycæ *populis,*Gætulum *dicit.quibus* Gætula Vulcani *fi!ia nomen dedit.*Eoſdem *non ut alij* γαιτύλας, *hoc eſt* Gætulos,*ſed* γαιτυλίους, *appellat* Artemidorus.Salluſt.*in* Iugur.Aphricā *ab initio hab:uere* Gætuli,*qui magis er:int ſub ſolibus haud longe ab ardoribus,aſperi incultiq́;,quis cibus erat* Caro *ferina,atque humi pabulum uti pecoribus.* Lilybæaq́; pul.br.) Lilybæum *promontorium quod* Aphricam *contuetur.& flexō littore brachia repræſentat. idem* Lilybe *fœminino genere dicitur. autor* Euſtathius *& apud nos* Rhemnius Fanius *ita protulit,imitatione* Dionyſij.Eminet *ad* Zephyrum Lilybe.*inde adiectiuum* Lilyb.eum.Diod.*eiuſdem nominis oppidum celebrat,& puteū. qui* Lilybæus *appellaretur.oppidi meminit.&* Macro.*in* Saturn.alibus.*eoq́; prior hiſtoriarum primo* Cælius Sempronius. Lilybæo Cælocem *in* Aphricam *mittit.* Rabies tyrrhena.) *inferi maris unde,quod à littoribus* Siculum,Liguſticum,Thuſcum,*&* Tyrrhenū *uocatur.à* Thuſcis *quos alluit.eoſdem* Tyrrhenos *à ſe* Tyrrhenus Atyos *filius appellauit,*Dux Coloniæ, *quā*

Lydi inopia frugum laborantes in Italiam miſerunt. hiſtoriam ſcribit Herodotus, *&* Dionyſius *Alicarnaſeus.* Rabies.) *Nam eius fluctus alterno curſu modo in Thuſcum, modo in* Ionium *pelagus ſe proripiunt, ingenti maris feruore. Eſt autem metaphora ſumpta à canibus, qui cum rabie tentantur, ſæuiunt maxime.* Pelorum.) *Is in Italiam uergit, Scyllæ aduerſus, ut canit* Fannius. *cauſa nominis gubernator* Annibalis, *qui profugus ex* Aphrica, *ac per ea loca* Syriam *petens, quia procul intuenti uidebantur littora eſſe continua, & non peruium pelagus, proditum ſe arbitratus,* Pelorum *illic occidit & condidit: ut* Mella Pomponius, *& eo prior Salluſtius autor eſt. Peloria uero Paleſtinæ ciuitas eſt, ut ſcribit* Stephanus, *à Pelore terrigena, de quo dicemus.* In medio.) *Hic locus eſt, unde plæriq; contēdunt, Ennā apud* Ciceronē *ſcribi non oportere, ſed (ut hic) Aetnam: quod ipſe quoq;* Tullius *eiuſdem nemus in media inſula collocet, qui umbilicus Siciliæ nominetur. Equidem, ut initio teſtatus ſum, nihil ſtatuo.* Se porrigit.) *attollitur, & altius creſcit. Aetna mons appellatus ab Aetna Cœli & terræ filia, uel à loci genio cognomine, quod ſcribit* Caſtor. Dion Callatianus *ab Aetna nympha Cereris et* Vulcani *diſceptatrice, cui* Briareus *pater fuit, unus Cyclopum. Vnde ſuſpicari licet,* Maronem *Cyclopas ipſos Aetnæos fratres dixiſſe. quanquam nec abſurde dictos ab ipſo monte uideri poteſt. Eiuſdem nominis Oceani filia fuit, quæ* Palicos Vulcano *celebres in Sicilia deos peperit: ut* Silenus *in. 2. refert. Sed* Aeſchylus Palicorum *matrem* Thaliam, *non Aetnam uocat: ut patrē non* Vulcanum, *ſed* Iouem. Peruſtis ſcopulis.) *exeſis incēdio rupibus. In eius enim uertice hiatus duo ſunt, Crateres nominati, per quos eructatus erumpit uapor, præmiſſo prius fremitu per æſtuantes cauernarum latebras. longo mugitu intra terræ uiſcera diu uoluitur: nec antea ſe flammarum globi attollūt, quàm interni ſtrepitus antecedāt. hæc* Strabo, Pli. *&* Solinus. Aetna.) *Anadyploſis, id eſt iteratio. ea fit (ut* Plutarch. *docet) quoties una plures'ue partes orationis, à principio medio'ue reddūtur: in qua frequens* Homer. *eſt, &* Verg. *Tris notus abreptas in ſaxa latentia torquet, Saxa uocant* Itali, *medijs quæ in fluctibus aras.* Nunquam tacitura.) *quæ perpetuo teſtabitur.*

Triumphos Giganteos.) *deorum uictoriā de Gigantibus. Triumphus græca uox eſt, ut* Varro *putat, à* θριάμβῳ Liberi *patris apud illos cognomine, qui primus triumphaſſe creditur, ut eſt apud* Plin. Enceladi buſtum.) Perite. *nam buſtum locus eſt, ubi cadauera cremantur, ut placet* Verrio. *Culinas autem uocabāt, inopum funeribus deſtinata loca in ſuburbijs: ut in cōtrouerſijs agrorum tradit* Agenius Vrbicus. *Inuenitur & eadem forma* Buſtar, *qua*

calcar,

calcar, exſtarq́;, & ſimilia: ſi Chariſio credimus. Exſtar autem θεατρικόν ἀργύριον *ſignificat, id eſt, argentum theatrale. Enceladum uero Aetnæ ſuppoſitum canit Quintus, & Verg. Gurgite Trinacrio morientem Iupiter Aetna Obruit Enceladum, uaſti qui pondere montis Aeſtuat, & patulis expirat faucibus ignes. Spirat.) efflat. Inexhauſtum.) inconſumptum, quod tot ſeculis durat. Sulphur.) Notiſſimum terræ genus, ignem uel interuallo corripiens. in inſulis Aeolijs præſtantiſſimum naſcitur, inter Siciliam & Italiã, quod Plin. tradit: ſed in Campaniæ collibus, qui Leucogæi uocantur, id ẽ cuniculis effoſſum igne perficitur. Pectore flagrãti.) ardẽti. Legitur & Gutture: quod placet. ut referas ad illud Maronis: Et patulis expirat faucibus ignes. Et quoties detrectat onus.) Fabuloſa ratio. ſed aliàs paulopoſt à philoſophis mutuatas adducet. Detrectat.) conatur excutere. Significat autẽ refugere. Tibullus: Detrecto non ego uincla pedum. Onus.) iniectum montem. Ceruice rebelli.) reluctãtibus humeris. Vergilius: Ergo age chare pater, ceruici imponere noſtræ. Id uerbum ſingulari numero primus Hortenſius enunciauit, ut Varro prodit. nam ante eius ætatem tantũ pluraliter uſurpabant: etiam ſi ſecus eſt apud Seruium.*

In dextrum læuumq́ latus. tunc inſula fundo
Vellitur, & dubiæ nutant cum mœnibus urbes.
Aetnæos apices ſolo cognoſcere uiſu,
Non aditu tentare licet. pars cætera frondet
Arboribus, teritur nullo cultore cacumen.
Nunc mouet indigenas nymbos, piceaq́ grauatum
Fœdat nube diem, nunc motibus aſtra laceſsit
Terrificis, damniſq́ ſuis incendia nutrit.
Sed quamuis nimio feruens exuberet æſtu,
Scit niuibus ſeruare fidem, pariterq́ fauillis
Dureſcit glacies, tanti ſecura uaporis,
Arcano defenſa gelu, fumoq́ fideli,
Lambit contiguas innoxia flamma pruinas.
Quæ ſcopulos tormenta rotent, quæ tanta cauernas

In dextrum læuumq́; latus. Verg. Aeneid. 3. Et feſſum quoties mutat latus. ſic enim Claudianus legiſſe uidetur, nõ ut Seruius, & eum ſecuti, Motat. Accedit Claudiano Statius: Quantus Tyrrheni gemitus ſalis, aut ubi tentat

Enceladus

Enceladus mutare latus &. C. Balbus argonanticon. ij. Pariter tunc omnis anhelat Trinacria, iniectam feſſo dum pectore molem. Commouet experiẽs, genituq; reponit inani. Fundo.) ab imo ſolo. Vrbes.) mœnia ab urbo quod aratri curuaturam ſignificat, id in condendis urbibus adhibebant ex ære. quod iuris ciuilis autor Pompo. teſtatur & ſcribẽs de Italia Carminius lib. ij. Aetnæos apices.) Aetnæ cacumen. apex appellatur inſigne ueterum ſacerdotum, ij uirgam geſtabant in ſummo pileo, quæ uinculo comprehendebatur, id quod apere priſci dicebant, inde nomen Apicis, ut Feſto placet. in eius extremitate lanæ floccus extabat. quod Aſcanius inſtituit apud Albam unde Flamines etiam dicti ſunt. autor Seruius. Licet.) datur. Cognoſcere.) diſcere ac explorare. Solo uiſu.) tantum oculis. Qu. Serenus. ſumma boni eſt alacres homini contingere uiſus. Non aditu.) non acceſſu. candentis fauillæ periculo, qua Pli. extinctus eſt, dum inuiſeret Veſeuum Campaniæ montem, qui & ipſe ignes eructabat. Ouid. in Aetnæ deſcriptione. Non homini facilis non adeunda feræ. Tentare.) experiri, Pars cætera.) montis ſcilicet ima latera. Frondet.) arboribus uiret. Cacumen.) uertex & ſumma pars. Teritur nullo cultore.) uacuum cultoribus eſt, & deſertũ.

Nunc.) interdum. Mouet.) emittit. Nymbos.) fumi globos, quos uehemens ſpiritus pellit, & ſequitur, id quod atram nubem Verg. dixit. Indigenas.) ipſius Aetnæ ſuos quoſq; ipſa procreat. indigenæ uero ſunt, qui nõ aliunde quoquam ueniunt, ſed in iiſdem patrijs ſedibus ſemper manent. quos Græci uocant autochthonas. Eœdat grauatum.) obfuſcat & grauat.

Nube picea.) obſcura caligine, & fumo. Diem.) ſolis radios & lucem, id eſt, inter diu noctis faciem reddit. Aetna aliquando multo igne abũdauit. ingentem uim harenæ urentis effudit. inuolutus eſt dies puluere, populoſq; ſubita nox exterruit. ut eſt apud Senecam. Sunt qui molibus legunt, & ad punices referunt. Laceſſit aſtra.) cœlum petit. Damniſq; ſuis incen. nu.) Aetnam conſumi, & ſubſidere ex hoc quidam colligunt. quod aliquando nauigantibus ſolebat oſtendi. poteſt hoc accidere. non quia montis altitudo deſcendit, ſed quia ignis euanuit, & minus uehemens ac largus effertur, ob eandem cauſam fumo quoq; per diem ſegnior. Neutrum autem incredibile eſt. nec montem qui deuoretur Cottidie minui, nec manere eundem, quia nõ ipſe ex ſe eſt, ſed in aliqua inferna conceptus ualle ignis exæſtuat, & alias paſcitur, in ipſo monte non alimentum habet ſed uiam. Nutrit incendia.) paſcit ignes. Suis damnis.) nam cottidie decreſcit. Sed quãuis.) ſed in illa feruẽtis naturæ peruicacia, mixtas ignibus niues perfert, & licet uaſtis exũdet

incendijs,

incendijs, à picis canicie perpetua brumalem detinet faciē: ita inuicta in utroq; uiolentia, nec calor frigore mitigatur, nec frigus calore diſſoluitur. Strabo, Seneca, Plinius & Solinus autores. Exuberet.) *exundet.* Scit ſer. fidem ni.) *quodam quaſi fœdere uicinas niues non lædit.* Fidem.) *pacem. Seneca: Pax ante fida niuibus & flammis erit.* Pariter fa.) *inter calidos cineres. alioqui non eſſet miraculum.* Dureſcit glac.) *nix in glaciē coit.*

Secura.) *nunc tuta. ſed in periculo Securus etiā dici poteſt.* Tanti ua.) *incēdij.* Defenſa.) *ſeruata. Defendere tectis frigus, arcere. Papin. Theb. primo: Haud paßi ſocijs defendere noctē Culminibus. & in Syluis: Frondibus & patula defēdimus arbore ſoles. inde Naſonis Oenone: Defenſa eſt humili cana pruina caſa. Et ita nos quidem emendauimus, quum prius nullo, uel ineptißimo ſenſu, Depreſſa legeretur.* Arcano gelu.) *intimo & ingenito frigore.* Fumo fideli.) *qui ſœdus & pacem non uiolat.* Lambit.) *Vſurpauit Vergilij uerbum: Attollitq; globos flammarum & ſidera lambit.*

Innoxia.) *uicinis niuibus. Verg. Aenei. 5. Rurſusq; innoxius imo Succeßit tumulo: id eſt, ſine iniuria ac maleficio. nam Noxa damnum quoq; ſignificat. Ouid. Luce nocent potæ, ſine noxa nocte bibuntur.* Pruinas.) *hic niues. eſt autem pruina, gelidus & concretior ros, à perurendo dictus, ut placet Verrio.* Quæ ſcop. tor. ro.) *Honeſta dubitatio, quæ carmen excitat, & auditorē recreat feſſum, ſimul rei magnitudinē exprimit. Quid hoc eſſe dicā? quod moles & enormia ſaxa, non ſecus ac excuſſa neruis balliſta iaculetur? nam tormenta in uſu caſtrorū ſunt, quæ machinato pulſu magna ui tela contorquent. Papin. in Achilleide: Murorum tormenta pilos. Emittebant etiam ſagittas, ut eſt apud Senecam de Ira. lib. primo. & molares, ut docet Liuius ab urbe condita, lib. xxiiij.* Scopulos.) *uaſtos lapides.* Cauernas.) *antra, & ſubterraneos meatus.*

Vis glomeret? quo fonte ruat Vulcanius ignis?
Siue quod obijcibus diſcurrens uentus opertis,
Offenſo per ſaxa furit rimoſa meatu,
Dum ſcrutatur iter, libertatemq; repoſcens,
Putrida multiuagis populatur flatibus antra.
Seu mare ſulphurei ductum per uiſcera montis
Oppreſsis igneſcit aquis, & pondera librat.
Hic ubi ſeruandum mater fidiſsima pignus
Abdidit, ad Phrygios tendit ſecura penates,

Turrigeramq́ petit Cybelem, ſinuoſa draconum

Quo fonte.)quia non ipſe ex ſe eſt,ſed in aliqua inferna conceptus ualle ignis exæſtuat:ut putat Seneca. Ignis Vulcanius.) *quo Vulcanus exercet officinam. nam Vulcanus deorum faber eſt, Iunonis filius,à matre propter deformitatem deiectus,ut eſt apud Pauſaniam. An ignis Vulcanius, cuius autor Vulcanus extitit? is enim primus ignis uſum mortalibus indicauit,ut refert etiam Diodorus. in cuius beneficij memoriam,ſolenni die, quem Lampadon appellabant,Athenienſes accenſis à foco Veſtæ facibus,per urbem currebant.autor Iſter, Atticorum primo:& Polemon, in libro de Propylæorũ tabulis.ubi affert & alias huius feſti cauſas,quæ non conueniunt huic loco.Placet prior ſententia.nam Aetna alio nomine Mulciber,ab eius Dei ſede etiam num uulgo appellatur.* Siue quod.) *Altiores cauſas à Philoſophiæ penetralibus eruit.Intrat in terram ſpiritus ex circumfuſo aëre,qui quãdiu habet exitum,ſine iniuria labitur.Si offendat aliquid, & incidat quod uiam claudat, tunc oneratur,primo infundente ſe à tergo aëre:deinde per aliquam rimam maligne fugit: & hoc acrius fertur, quo anguſtius.id ſine pugna non poteſt fieri,nec pugna ſine motu. At ſi nec rimam quidẽ, per quam effluat,inuenit, conglobatus illic furit,& huc atq; illuc circumagit,concalfactaq; uis ſpiritus in ignem uertitur, et fulmini ſimilis cum magna ſtrage obſtãtium fertur.*

Ventus diſcur.) *Siue uentus in obuia occurrit,exitum quærens,diuellitq; repugnãtia, donec per anguſtum aut nactus eſt uiam,aut ui ac iniuria fecit.*

Furit.) *eluctatur.* Per ſaxari.) *fiſtuloſa. pumicis ac tophi periphraſis.* Dum ſcrutatur iter.) *exitum quærit.* Libertatemq; rep.) *dum contendit egredi.* Populatur.) *diripit,ac uehementi ſpiritu differt.* Putrida antra.) *liquefactas igne ſpeluncas, & in modum calcis excoctas.* Seu mare ſulphu.) *Nũc aliam cauſam reddit,etiam naturalem. Terra multis in locis perforata eſt.per eius interualla ſpiramentaq;,quæ complent aquæ,ſubit ſpiritus:quem ſi intercludit mare & adegit,tum ille ſimul exitu redituq; præcluſo uolutatur,& ignem creat: in ipſo præſertim Campaniæ Siciliæq; tractu,qui totus etiam ſub imo maris fundo ſulphure ſtratus eſt,ut ſcribit Strabo.* Ductum.) *actum.* Per ui.) *pœnitiſſimas Aetnæ ſpecus.nam ſic intimas montium partes uiſcera dicimus,ut ſummas interdum uerticẽ, medias latera, ſupremas etiam pedes,à noſtro corpore tracta ſimilitudine.*

Montis ſul.) *qui ſulphure ſtratus eſt.* Igneſcit.) *flammas cõcipit,atq; incenditur.* Oppreſſis aquis.) *colluctantibus & illiſis,unde procreatur incendium.uel intercluſis, & tãdiu ſuffocatis,donec in ignem mutẽtur.Nihil*

enim

enim prohibet, ignem ex humore educi. Nam fuerunt (ut refert Seneca) qui negarent in ignem quicquam poſſe mutari, priuſquã mutatum eſſet in aquã.

Põdera librat.) Moras ſuas arripit, atq; eiectat. Nam librare eſt aliquando torquere, & certum teli ictũ dirigere. Verg. Et telum quod mißile libro.

Pondera.) molares, id eſt, magni ponderis ſaxa. Vbi.) poſtquam. A digreßione redit ad inſtitutum. Quum Ceres in Sicilia tuto (ut putabat) filiam depoſuiſſet, ipſa ad matrem Rheam ſalutandam profecta eſt in Phrygiam.

Abdidit.) occuluit. Seruandum pignus.) cuſtodiendam natam. Secura.) nihil ſollicita, neq; ſuſpecta. Tendit.) iter arripit, & curſum tenet.

Phrygios.) Phrygia pars eſt Aſiæ, ſortita nomen à Phrygio oppido Macedoniæ, ſiue Brygio, ut gẽtili Macedonum lingua nominatur. unde colonos profectos aiunt in Phrygiam. Sophocles in Athamante, tradit Phrygios à Phryxo dictos, immutatione literarum, quaſi Phryxios: quod is illuc primũ delatus ab ariete fuerit. Penates. ſedes, quarum tutelares dij, Penates exiſtimantur, eoſdem Lares etiam uocabant, ut ante eſt dictum. Penatum uero mentio facta commodißime hic eſt. nam Caßius Hemina, Romanorum penates interpretatur, quos alio uerbo μεγάλους θεοὺς, id eſt, magnos Deos indigitabant. Et Cybelem de numero penatum eſſe non dubitabit, qui uel primum Varronis librũ de lingua Latina legit, uel eam dici Magnam matrẽ non ignorat. Longa Dionyſij Alicarnaſei, Nigidij, Varronis, & Macrobij de dijs penatibus diſceptatio. Sunt autem, per quos penitus ſpiramus, per quos habemus corpus, & animi rationem. Deos penates teſtatur apud Verg. Sino, quum ait: Vos æterni ignes, &c. Nam ſe penatum offenſam uereri ſimulat, ſi patriæ ſecreta hoſtibus prodat, cuius Dijs penatibus credita cura eſt. unde Dij patrij quoq; dicti ſunt, ut tradit Higynus, & Maro: Dij patrij ſeruate domum, ſeruate nepotem. Porrò penates æternum ignem etiam alibi Verg. appellauit: Aeternumq; adytis effert penetralibus ignem. quãquam ſunt qui uelint, præſentes Veſtæ focos à Sinone teſtari. Metropolim uero Claud. intelligit, urbem Phrygiæ Magnæ matris, id eſt, Berecynthiæ regiã, & domicilium, unde Metropolis dicta eſt, ut Polyhiſtor Alexander autumat. Petit Cybelem.) ad Deam matrem concedit. Eadem Cybele dicta eſt, temporibus & dimenſu anapæſti, à Græco uerbo κυβιστᾶν, quod eius miniſtri Galli per furorem caput rotãtes, oracula edebãt. autor ante Ser. Põpeius. Capella tamen ait, Cybele nomen datum ἀπὸ τοῦ κύβου, id eſt à cubo, qui ſit eius numini dicatus. Eſt autem cubus, quum omne latus eiuſdem numeri æqualiter in ſeſe ſoluitur: ut quum ter terna ducuntur, & idem ipſe numerus triplicatur. Ipſam

ipſam uero Tellurem, Magnam matrem dicebant. in qua Tympanum orbem terræ ſignificabat. quod in capite turres habebat & oppida, quodq; circa eã ſedes fingebantur, intelligi uoluerunt, quum omnia moueantur, ipſam non moueri. quod eidẽ Galli miniſtrabant, hoc argumentũ eſſe Varro dicit, eos qui ſemine indigent, terram ſequi oportere. in ea quippe omnia reperiri. Quod ſe apud eam iactant, præcipitur (inquit) qui terram colunt, ne ſedeãt. Semper enim eſſe quod agant. Cymbalorum ſonitus exiſtimat eſſe motus & iactationes manuum, crepitumq; ferramentorum, qui in agro colendo fit. Eaq; ferramenta ideo erant ex ære, quod terram antiqui colebant ære, antequam ferrũ eſſet inuentũ. Euripides in Helena Cybelem cum Cerere confundit, & utranqueunam uidetur accipere. Turrigeram.) quæ coronam turribus inſignem geſtat. nam ſic eam uetuſtas effinxit, quod eadem tellus credebatur, quæ turribus munitas urbes ſuſtinet. Lucret. de Rerum natu. lib. 2. Muraliq; caput ſummum cinxere corona, Eximijs munita locis, quod ſuſtinet urbes. Quo nunc inſigni per magnas prædita terras, Horrifice fertur diuinæ matris imago. Sinuoſa.) in orbes contracta. nam ſinus etiam uolumen, & in anguibus flexus eſt. Expreſſit autem illud Maronis: Sinuatq; immenſa uolumine terga. Draconum.) quos eius Deæ currum trahere canit Orpheus. is uero rumor ſubortus eſt, ex quo inuſitatæ magnitudinis ſerpens, qui Salaminem uaſtabat, ab Eurylocho eiectus, ad Cererem confugit Eleuſinem, inq; Deæ miniſterio permanſit: ut Heſiodus autor eſt. eum ſerpentem nymphæ Salaminos ac Neptuni filius Cychreus educauerat, à quo iuxta Salaminẽ pagus Cychreus etiam dictus eſt, à Sophocle memoratus in Teucro. Cychrei meminit Lycophron & Arrhianus. Euſtathius in Dionyſium refert, ipſum Cychreum ſerpentis habuiſſe nomen, eo quod anguſtis inſulæ ſpacijs includeretur: indeq; ab Eurylocho pulſum, ut demonſtrauimus.

Membra regens, uolucriq; per auia nubila tractu
Signant, & placidis humectant fræna uenenis.
Frontem criſta tegit, pingunt maculoſa uirentes
Terga notæ, rutilum ſquammis intermicat aurum.
Nunc ſpiris Zephyros tranant, nunc arua uolatu
Inferiore ſecant, cano rota puluere labens

Per nubila.) per aerem. quem dixit auium, non quod imperuius & inacceſſus animãtibus ſit: ſed ubi trita ſemita nuſquam apparet. nam neq; pedũ, neq; rotarum ſigna impreſſa retinet, Stat. Thebaid. 5. Sonat auius æther.

aut Auius, hominibus inacceſſus. Alij perauia legunt, cõpoſita dictione, quod non diſplicet. Signant.) *Aut auia nubila, quaſi ueſtigium ſui curſus in aëre reliquerint: aut certe ſignant & mandunt fræna, quibus dentium notæ adhærent ex morſu iugalium.* Tractu uolucri.) *celeri lapſu.* Stat. *Tractuq́; ſoluto* Immanem *ſeſe uehit. Volucre eſt, quodcũq; pennis auſertur: cuius contrarium, inuolucre* Gellius *enunciauit.* Pulli *etiam tunc inuolucres erant: id eſt, plumabant iam, ſed uolare nondum poterant.* Humectant.) *aſpergũt, & madefaciunt.* Frena.) Hic *orias intellige, ut cum præcedenti uerbo conueniat. eæ faucibus inſertæ, ſingulos equos aut iugales cohercent.* Venenis.) Venenũ, *quod pharmacon* Græci *uocant, indifferẽs nomen eſt, & ſignificatum à coniunctis accipit. nam bonum & malum uenenũ dici poteſt. utq́; nos uenena, ſic illi pharmaca, tam quæ potu necant, quàm medicamenta uocant, ut apud* Iureconſultos Caius *ait.* Placidis.) *innocuis.* Frontẽ criſta tegit.) Philoſtratus *in uita* Apollonij, *negat è draconum genere criſtatos eſſe angues, & eos qui degunt in aquis.* Itaque *prudenter ab* Homero *fontis accolam draconem purpureo tantum tergo fuiſſe deſcribi: parum perite ab alijs angui* Nemeæo, *qui necauit* Archemorum, *tribui criſtam, qua terreſtres ſolummodo ſerpentes inſignes eſſe contendit.* Hanc *publicam multorum opinionem* Papinius *ſecutus eſt, ubi de dracone* Nemeæo *ſic ait:* Auratæ *crudelis gloria frontis* Prominet. Pingunt.) *uerſicoloribus guttis inficiunt.* Intermicat ſquammis.) *per ipſa ſquammarum interualla, ſubinde fulgent quædam quaſi ſcintillæ, quales in harenis aduerſo ſole cernimus, quas à re micas appellant.* Nunc.) *interdum.* Zephyros.) *auras. ſpecies pro genere.* Et *ita dixit, ut* Maro: Defer *mea iuſſa per auras.* Zephyrus *autem, qui latine* Fauonius *appellatur, ab occidua plaga ſpirat,* Euro *contrarius: ut* Vitruuius & Strabo *ſcribit.* Spiris.) *ſinuoſo lapſu.* Secant.) *radũt.* Arua.) *terram.* Verg. Iamq́; *arua tenebant.* Sũt *uero* Arua, *culti ſoli ſpacia.* Saluſt. Pabulo *magis quàm aruo ſtudent. ab arando dicta, ut* Varro *docet.* Inferiore.) *terræ propiori.* Sed *hoc totum iter ad naturæ rationes accommodatur.* Nam *ſerpẽtes ad nubes apte referri poſſunt, unde deciduus hymber humum fœcundat, èt procreãdis frugibus aptam reddit.* Vernas *autem pluuias omniũ maximas eſſe, teſtatur etiã* Verg. Quum *ruit hymbriferum uer.* Eodem *tempore* Fauonius *ſpirat, ut paulopoſt oſtẽdemus: cuius hic à poeta mentio prætermiſſa non eſt, cum genitalis mundi ſpiritus ſit, ut ſcribit* Plin. & Cereris *munus adiuuet. intellexit & hoc in nubibus* Vetuſtas, *quæ cum deabus* Eleuſinis *eas coluit, ut indicat* Ariſtophanes & Herodotus. Cano.)

flauo. ſed & hoc etiã perite. nam uetus & ruſticũ carmen, quo pater de agricultura filio præcipit: Verrius hoc affert, hyberno puluere, uerno Luto, grãdia farra Camille metes. inde Verg. Humida ſolſtitia, atque hyemes optatæ ſerenas Agricolæ, hyberno lætiſſima puluere farra. in hac enim temperie fructus optime proueniunt, ut ait Macrobius. Camillus (ſi quis & hoc) ingenuus puer, patrimus & matrimus appellatur, id eſt, cui parentes ſuperſunt.

Sulcatam fœcundat humum, flaueſcit ariſtis
Orbita, ſurgentes ſcindunt ueſtigia fruges.
Veſtit iter comitata ſeges. Iam linquitur Aetna,
Totaq́; decreſcit refugo Trinacria uiſu.
Heu quoties præſaga mali, uiolauit oborto
Rore genas, quoties oculos ad tecta retorſit,
Talia uoce mouens: Salue gratiſſima Tellus,
Quam nos prætulimus cœlo. tibi gaudia noſtri
Sanguinis, & charos uteri commendo labores.
Præmia digna manent: nullos patiere ligones,

Humum ſulcatã.) Communi epitheto uſus eſt, & impreſſionis rotarum, & terræ cultus, ut interpretandæ fabulæ manum porrigeret. Nam licet in rectum quoquo modo proſciſſa tellus, proprie tamen ab aratro ſulcata dicitur. Flaueſcit ariſtis.) matura ſegete. Orbita.) rotæ ueſtigium. quin & ipſam quoq; rotam ſignificat: autor Aſconius. Veſtigia plantæ.) Vergi. Veſtigia nuda ſiniſtri Inſtituere pedis. Surgentes.) creſcentes. Idem: Et ſpes ſurgentis Iuli. Fruges.) Commune nomen eſt omnium quæ terra gignit, quæq́; in alimoniam uerti poſſunt: ut iuris ciuilis autor Iulianus interpretatur: eorum damnata ſententia, qui cuncta quibus homo ueſcitur, ita uocari putabant. nam carnes, aut aues, aut feras, aut deniq; poma, fruges haud recte dici. Sed in pomis Iuliano conſenſus eruditorum non accedit. nam Plin. indicem dedit de arboribus frugiferis. Idemq́; uerbũ longe prior Liuius uſurparat: Nõ arbore frugifera, non ſatis in ſpem relictis. Veſtit iter comitata ſeges.) quacunq; Dea currus agit, ſubito ſuboriens ſeges occupat. Eſt autẽ ſeges eorum ſeminum, ex quibus conficitur panis nondum demeſſa. Totaq́; decreſcit refugo Trinacria uiſu.) Percurrit rem naturalem. nam quo longius è conſpectu Ceres abſcedebat, eo minor inſula uidebatur. Refugo uiſu.) Nam Sicilia recedentis ſpeciem mentiebatur. Heu quoties.) Acclamatio, qua ſuboſcure poëta ſignificat, inſitam mẽtibus futurorum præſenſionẽ.

&

& ingruentes calamitates manifeſtis interdum ſignis oſtendi, ſed à nobis per negligẽtiã non obſeruari. Præſaga.) Sagire, quod in Diuinatione ſcribit Cicero, eſt acute ſentire. inde Sagæ, anus quæ multa ſcire uolunt: & ſagaces dicti canes. is igitur qui ante ſagit, quàm oblata res eſt, dicitur præſagire, id eſt futura ante ſentire. ab hoc ergo Præſaga. Mali.) cladis, quam paulo poſt erat acceptura. Violauit.) Hoc dicit: quoniã dijs (ut eſt apud Ouid.) nefas eſt flere. alij ſyllabæ ratione nihil offenſi, Rigare ſcribunt inerudite.

Oborto rore.) prorumpẽtibus ultro lachrymis. Ad tecta.) ad ſedes, ubi filiam relinquebat. quod portẽdebat, ea non ita multo poſt orbatum iri. nam quæ deſideraturi proxime ſumus, eorum conſpectu animũ oculosq; uix explere poſſumus, eademq; à nobis inuiti dimittimus. Salue.) Et hoc triſte omen eſt. nam mortuos ita uetuſto more ſalutabant: Salue & uale. non quod ij ualere aut ſalui eſſe iam poſſent, ſed quod ab eis ſemel recedebant, quos amplius uiſuri non erant. hæc in libris, quos Logiſtoricos inſcripſit Varro. Aue, matutina ſalutatio eſt: Salue, ueſpertina, autor Dion in Hadriano. Claudianus hunc locum ſumpſit ex Statio, apud quem Thetis Achilleidos primo Scyron inſulam ſic alloquitur: Chara mihi tellus, magnæ cui pignora curæ, Depoſitumq; ingens timido commiſimus aſtu, Sis felix, taceasq; precor, quo more tacebat Creta Rheæ: te longus honos æternaq; cingent Templa, &c.

Gratiſſima tellus.) Siciliam totam eſſe Cereri ac Libero cõſecratam, uetuſtas adeo credidit, ut & natas eſſe in iſs locis deas, & fruges in ea terra primum repertas arbitrarentur: ut refert Cicero. quod inter naturæ miracula non prætermiſit Ariſtoteles. Eandem Plutarchus raptæ Proſerpinæ datam ſcribit in dotem. Contẽdit & de finibus eius inſulæ cum Vulcano Ceres, ut recitauimus ex Simonide. Aetnaq; diſceptatrix ſecundum Cererem litem dedit. idq; fingitur: quoniam totus Siciliæ tractus, quamuis incendia multis in locis proferat, frugum tamen copia longe præſtat. Prætulimus cœlo.) Nam relicta cœleſti ſede, Proſerpinã illuc aſportauerat. ſupra Claud. Aethera deſeruit, Siculasq; relegat in oras. Gaudia noſtri ſanguinis.) filiam, ex qua una uoluptatem capio. Sanguinis.) Hoc dicit, quoniam Medici putãt humanum ſemen puriſſimum eſſe ſanguinem, & maxime tenuem. Iuuenalis in eum qui ſectabatur anus, & ad opes à coitu peruenerat: Accipiat ſanè mercedem ſanguinis, & ſic Palleat, ut nudis preſsit qui calcibus anguem. Sequitur Epicuri ſententiam Claudianus, & Anaxagoræ, qui procreari liberos ex utriusq; parentis ſemine prodiderunt. idẽ ſenſit Parmenides & Empedocles. Vteri labores.) Mire dixit, ut filiã cũ dolore peperiſſe uideatur.

Et hæc

Et hac atteſtatione chariorem ſibi puellam uult indicare. Labores.) *in geſtando nixuq́;,* Papin. Theb. 3. *Mihi quippe malorũ Cauſa labor.* Euripides, ὠδίνων πόνον, *id eſt, laborem partus.* Et *uterum dixit exquiſite. nam uẽter is totus appellatur, qui ſubiectus eſt oculis:* Aluus *interior eius pars, qua cibus commeat:* Vterus *autem, quo mulier geſtat partum. hæc* Probus. Commendo.) *tuæ fidei credo.* Præmia digna manent.) *aſſequêris, inquit, ex hoc mercedem meritis parem.* Manent.) *tibi repoſita ſunt in futurũ.* Iuuenal. *Præmia quanta bonos maneant. quæ ſint ea, ſtatim declarat.* Nullos patiere ligones.) *non feres ictus raſtrorum. nam ferrum ligo eſt, uulgo notũ, quo terra foditur.*

Et nullo rigidi uerſabere uomeris ictu.
Sponte tuus florebit ager, ceſſante iuuenco,
Ditior oblatas mirabitur incola meſſes.
Sic ait, & fuluis ſerpentibus attigit Idam.
Hic ædes anguſta deæ, templiq́ colendi.

Nullo rigidi uerſab. uom. ictu.) Hoc ait, *quoniam tellus aratione lædi fingitur. id quod ipſa cum Ioue expoſtulat apud* Ouidium: *Adunci uulnera aratri* Raſtrorumq́; *fero, totoq́; exerceor anno.* Ictu.) *plaga.* Vomeris.) *Huius nominis rectus* Vomer *ac* uomis *enũciatur. ferreus eſt aratri dens, appellatus, quod terram uomat.* Verſabere.) Frequẽtatiuum, *à uerto ductũ. Verti uero terra tum dicitur, quum ligonibus aut aratro renouatur.* Sponte.) *ultro, abſq; aliquo cultu.* Florebit.) *germinabit frugibus. nam florere dicuntur etiam ſegetes, priuſquam ad maturitatem coaluerint.* Ceſſante iuuenco.) *abſq; bouis uſu. & ita dixit, ut* Maro: *Armato milite complẽt: pro militibus. Ceſſant ij, quibus à laboribus ocium eſt: ut hic. ſed &, quorum officium deſideratur.* Gellius: *Amici iſti, inquit, magnam in partem ceſſatores ſunt.* Incola.) Incola *dicitur, qui peregre nouas ſedes captauit, & in aliquam regionem domicilium ſuum transtulit, ut* Pompo. *iuris ciuilis autor affirmat. &* Cicero: *Peregrini & incolæ officium eſt, nihil præter ſuum negocium agere, nec eſſe in aliena republica curioſum. Sed* ἁπλῶς *interdum cultorem ſignificat.* Hircius *in rebus* Cæſaris: *Aut iniuriam faceret cuipiam incolæ. pro colono uidetur accipere* Claudian. *ut* Naſo: *Incola captiuo quæ boue uictor arat.* Meſſes.) *maturas fruges.* Vergilius: *Ante focum ſi frigus erit, ſi meſsis in umbra.* Oblatas.) *quaſi diuinitus.* Et *hoc ex hiſtoria* Diodori, *quam ſuprà percurrimus, & alibi referemus.* Fuluis ſerpentibus.)

Quia

Quia ſuprà dixit, ſquammis intermicat aurum: quod frequenter fuluum poëtæ uocant. Tibullus. Diuitias alius fuluo ſibi congerat auro. an cæruleos intelligi uoluit? id autem commune ſerpentibus & mari epitheton eſt. de ſerpente, Vergilius. & cærula colla tumentem. nam Claudianus fuluum mare appellabit huius operis calce. fuluis adnatat umbra fretis. ut fuluus color & cæruleus idem ſit, ex rubro nigroq; concretus. Idam.) *Phrygiæ montē in Troade, qui nomē ſortitus eſt, ab Ida loci regina, ut de rebus Græcorum li. ſcribit Charax: uel ut Vergi. ab Ida Cretenſi, unde profectus Teucer Scamandri et Idææ Nymphæ filius, eam Phrygiæ regionem cultoribus uacuam occupauit, & à ſe Teucriam dixit. Eodem paulopòſt Dardanus ex Samothracia delatus, Ariſben Teucri filiam uxorem duxit, ut Cephalo Gergythius: aut Batæan, ut Hellanicus & Mnaſæas uocant: ut mirer Seruium ſcribere, Teucrum de Creta ueniſſe poſt Dardanū. Sunt qui Dardani ſepulchrum innui ſuſpicentur ab Ouidio. 7. metamorph. eo carmine. Quaq; pater Coryti parua tumulatus harena &c. quòd is (ut quidam prodiderunt) ex oppido Tuſciæ Corytot in Phrygiam migrarit. Nos autem tumulum Paridis intelligimus, qui in Cebrina Troadis urbe uiſebatur, ut ſcribit Scepſius, & Strabo. Nam Paris ex Oenone ſuſcepit Corytum, quem mater (à Paride repudiata) euntibus in Troiā Græcis itineris ducem dedit, quod apud Lycophronem fore Caſſandra uaticinatur. Ex Græcis etiā nonnulli, Corytum Paridis & Helenæ filium fuiſſe tradunt, Buniti ac Idææ puellæ et quidem ex utroq; parente fratrē. Sed & hoc illo modo, pater Coryti Paris accipiendus eſt: itaq; ſenſus Ouidiani uerſus abſoluitur, qui cæteris ante nos inexplicabilior Gordiano nodo uiſus eſt. Homerus Idam πολυπίδακα καὶ μητέρα θηρῶν in hymnis appellat, irriguā ſcilicet & ferarum parentem. inde Verg. ait Ida uenatrix: etiā ſi Seruius aliter. Idæa uero Dardani Scytharum regis filia fuit, quam deſtituta Cleopatra Boreæ et Orithyiæ Phineus ſuperduxit, ut Dionyſius in Argonautico canit, in eius etiam gratiam Orytho et Carambi, quos ex Cleopatra ſuſtulerat oculos effodit: ut Tragœdiarū poëta Sophocles autor eſt. inde uiciſſitudinis in amore ſumpſit exemplum Naſo in remedijs. Ceſſit ab Idæa coniuge uicta prior, id eſt, Cleopatra, quæ prior in matrimonio Phinei fuit, cui pòſt exactæ noua coniunx Idæa ſucceſſit.*

Hic.) *in Ida. unde et mater Idæa dicta Cybele Lucretio, Liuio, Tibullo, cæteris.* Aedes.) *Templū. quidam codices habent Sedes, lubrica menda: quæ apud Tibullum quoq; inualuit. Sic ueteres ſedes incoluiſtis aui. quom ædes ſcribendum ſit, quamuis utrobiq;, ſedes etiam legi poſſit, niſi carminis*

carmen latinum nos ita fecimus. ait enim in mentione Siciliæ. quam condidit heros Thrinacus æquorei regis Neptunia proles. in quo nos illud non fugiat, huius nominis primam ſyllabam ſtatilem protuliſſe, & abſq; r̄ ultimā. ex Græcis etiam nonnulli Thrinacian dixerunt, id quod Euſtathius obſeruauit. Pontus & æſtus,) ἰνδίαλλο, id eſt, ponti & maris æſtus. hoc eſt atrox & torrens fretum, nec ſolū citato impetu, uerum etiam ſæuo, neq; experientibus modo terribile, ſed etiam uiſentibus. undarum porrò in ſe concurrentiū tanta pugna eſt, ut alias ueluti terga dantes in imum deſidere, alias quaſi uictrices in ſublime ferri uideas. nunc hic fremitum feruentis æſtus. nunc illic gemitum in uoraginem deſidentis exaudias. Hæc ex Polycreto, qui res Siculas cecinit, inter naturæ miracula recitat Ariſto. inde Verg. Aeneid. iij. Et gemitum ingentem Pelagi, pulſataq́; ſaxa Audimus longe, fractasq́; ad littora uoces. & paulopoſt. Tollimur in cœlum curuato gurgite, & ijdem Subducta ad manes imos deſcendimus unda. Mutauere ſitum.) arguit Ariſtoteles eſſe rerum motum continuum, futurumq́; ſpacio temporis, ut locum mare monteſq́; cōmutent. Id quod apud Ouidiū Pythagoras affirmat. Nereus.) Sicilia anguſtis olim faucibus Italiæ cohærebat, direptaq́; uelut à corpore, maiore impetu ſuperioris maris eſt. quod toto undarum onere illuc uehitur, ut Trogus ait. Saluſtius autumat medium ſpacium aut propter humilitatem obrutum, aut propter auguſtias abſciſſum. Dionyſius autem Punicus canit Neptunum tridentis ictu inſulam diremiſſe, non Nereum. Addit Euſtathius id à Neptuno factum, quo tutior ab inſidijs Aeoli filius Acaſtus eſſet, is ut ſcribit Diodorus Rhegyum tenuit idcirco Callimachus Acaſti urbem Rhegyum dixit. ſed & Nereus pro Neptuno quandoq; ponitur, & indifferenter utrūque pro mari. Nam Tritonem Nereo patre genitum prodit Lycophron, quē plures poſt Aceſandrum Neptuno. Stat. Aegæo premitur circunflua Nereo lemnos, id eſt, mari. in quo ſenſu Claud. accepit. Victor.) ſuperatis montibus quos abruptos uolebat. nā uoti compos, & effector propoſiti uictor eſt. Abſciſſos montes.) abruptos & nunc ab utroq; littore, gemella quadam altitudine oppoſita promontoria traditæ de ſe famæ patrocinantur. Interluit.) influit. eadem Verg. Aeneid. iij. Parua diſcrimina.) breuis intercapedo. quippe à Columna regia, ubi minimum, mille & quingētis paſsibus ſeparatur, ut tradit Polybius. Terras co.) olim continuas. Sociæ ra.) ab Italia auulſam. Tellure tri.) nam tribus Promontorijs in diuerſa procurrens, græcæ literæ imaginem. quæ Deltha dicitur efficit. autor Mella. Opponit mari.) nam undiq; fluctibus cingitur. Inde.) ſcilicet ab exortu.

tu. Caput.) uertex. Pachyni.) promontorij. quod ad ortum uergens Græciam ſpectat, ut ait Polybius, nomen habuit ab aeris craßitudine, ut placet Seruio. nam Græci, quod nos pingue, παχὺ appellant. Enunciatur & media correpta. Rhemnius Fannius in Dionyſium. Eminet ad Zephyrum lylibe, Pachynusq; ſub ortum. Iras ionias.) fluctus & tempeſtates maris Ionij, de quo diximus. Protentis ru.) procurrentibus in mare ſcopulis.

Hinc latrat gætula Thetis, Lilybæaq; pulſat
Brachia conſurgens. hinc dedignata teneri
Concutit obiectum rabies Tyrrhena Pelorum.
In medio ſcopulis ſe porrigit Aetna peruſtis.
Aetna gigantæos nunquam tacitura triumphos.
Enceladi buſtum, qui ſaucia membra reuinctus
Spirat inexhauſtum flagranti pectore ſulphur.
Et quoties detrectat onus ceruice rebelli.

Hinc. ex aduerſo.) ſcilicet à brumali ſolis occaſu. Latrat.) ex undarum conflictu ſonat. ab iratis canibus ſumpta translatione. Thetis.) Achillis mater. hic autem mare ſignificat. ut apud Statium. Quum Thetis arentes aſſuetum ſtringere ripas Horruit ingenti uenientem Imenon aceruo. ea Nerei filia fuit, ut Heſiodus canit, ut ſentit Septimius Chironis. qui Nereus in Pelei nuptijs & fi:æ dictus ſit. Gætula.) mare Libycum ſirtibus prætenditur, ut ſcribit Strabo. id nunc à Gætulis Aphrycæ populis, Gætulum dicit. quibus Gætula Vulcani filia nomen dedit. Eoſdem non ut alij γαιτόλυς, hoc eſt Gætulos, ſed γαιτυλίς, appellat Artemidorus. Saluſt. in Iugur. Aphricã ab initio habuere Gætuli, qui magis erant ſub ſolibus haud longe ab ardoribus, aſperi incultiq;, quis cibus erat Caro ferina, atque humi pabulum uti pecoribus. Lilybæaq; pul. br.) Lilybæum promontorium quod Aphricam contuetur. & flexo littore brachia repræſentat. idem Lilybe fœminino genere dicitur. autor Euſtathius & apud nos Rhemnius Fanius ita protulit, imitatione Dionyſij. Eminet ad Zephyrum Lilybe. inde adiectiuum Lilybæum. Diod. eiuſdem nominis oppidum celebrat, & puteũ. qui Lilybæus appellaretur. oppidi meminit. & Macro. in Saturnalibus. ecq; prior hiſtoriarum primo Cælius Sempronius. Lilybæo Celocem in Aphricam mittit. Rabies tyrrhena.) inferi maris unde, quod à littoribus Siculum, Liguſticum, Thuſcum, & Tyrrhenũ uocatur. à Thuſcis quos alluit. eoſdem Tyrrhenos à ſe Tyrrhenus Atyos filius appellauit, Dux Coloniæ, quã

Lydi inopia frugum laborantes in Italiam miſerunt. hiſtoriam ſcribit Herodotus, & Dionyſius Alicarnaſeus. Rabies.) *Nam eius fluctus alterno curſu modo in Thuſcum, modo in Ionium pelagus ſe proripiunt, ingenti maris feruore. Eſt autem metaphora ſumpta à canibus, qui cum rabie tentantur, ſæuiunt maxime.* Pelorum.) *Is in Italiam uergit, Scyllæ aduerſus, ut canit* Fannius. *cauſa nominis gubernator Annibalis, qui profugus ex Aphrica, ac per ea loca Syriam petens, quia procul intuenti uidebantur littora eſſe continua, & non peruium pelagus, proditum ſe arbitratus,* Pelorum *illic occidit & condidit: ut* Mella Pomponius, *& eo prior* Salluſtius *autor eſt. Peloria uero* Paleſtinæ *ciuitas eſt, ut ſcribit Stephanus, à* Pelore *terrigena, de quo dicemus.* In medio.) *Hic locus eſt, unde pleriq; contēdunt, Ennā apud Ciceronē ſcribi non oportere, ſed (ut hic) Aetnam: quod ipſe quoq; Tullius eiuſdem nemus in media inſula collocet, qui umbilicus Siciliæ nominetur. Equidem, ut initio teſtatus ſum, nihil ſtatuo.* Se porrigit.) *attollitur, & altius creſcit. Aetna mons appellatus ab Aetna Cœli & terræ filia, uel à loci genio cognomine, quod ſcribit* Caſtor. *Dion Callatianus ab Aetna nympha Cereris et Vulcani diſceptatrice, cui Briareus pater fuit, unus Cyclopum. Vnde ſuſpicari licet, Maronem Cyclopas ipſos Aetnæos fratres dixiſſe. quanquam nec abſurde dictos ab ipſo monte uideri poteſt. Eiuſdem nominis Oceani filia fuit, quæ Palicos Vulcano celebres in Sicilia deos peperit: ut Silenus in. 2. refert. Sed Aeſchylus Palicorum matrem Thaliam non Aetnam uocat: ut patrē non Vulcanum, ſed Iouem.* Peruſtis ſcopulis.) *exeſis incēdio rupibus. In eius enim uertice hiatus duo ſunt, Crateres nominati, per quos eructatus erumpit uapor, præmiſſo prius fremitu per æſtuantes cauernarum latebras. longo mugitu intra terræ uiſcera diu uoluitur: nec antea ſe flammarum globi attollūt, quàm interni ſtrepitus antecedāt. hæc* Strabo, Pli. & Solinus. Aetna.) *Anadyploſis, id eſt iteratio. ea fit (ut* Plutarch. *docet) quoties una plures'ue partes orationis, à principio medio'ue reddūtur: in qua frequens* Homer. *eſt, &* Verg. *Tris notus abreptas in ſaxa latentia torquet, Saxa uocant Itali, medijs quæ in fluctibus aras.* Nunquam tacitura.) *quæ perpetuo teſtabitur.*

Triumphos Giganteos.) *deorum uictoriā de Gigantibus. Triumphus græca uox eſt, ut Varro putat, à* θριάμβω *Liberi patris apud illos cognomine, qui primus triumphaſſe creditur, ut eſt apud Plin.* Enceladi buſtum.) *Perite. nam buſtum locus eſt, ubi cadauera cremantur, ut placet* Verrio. *Culinas autem uocabāt, inopum funeribus deſtinata loca in ſuburbijs: ut in cōtrouerſijs agrorum tradit* Agenius Vrbicus. *Inuenitur & eadem forma* Buſtar, *qua*

calcar,

calcar, exſtarq́;, & ſimilia: ſi Chariſio credimus. Exſtar autem θεατρικὸν ἀργύριον ſignificat, id eſt, argentum theatrale. Enceladum uero Aetnæ ſuppoſitum canit Quintus, & Verg. Gurgite Trinacrio morientem Iupiter Aetna Obruit Enceladum, uaſti qui pondere montis Aeſtuat, & patulis expirat faucibus ignes. Spirat.) efflat. Inexhauſtum.) inconſumptum, quod tot ſeculis durat. Sulphur.) Notiſsimum terræ genus, ignem uel interuallo corripiens. in inſulis Aeolijs præſtantiſsimum naſcitur, inter Siciliam & Italiã, quod Plin. tradit: ſed in Campaniæ collibus, qui Leucogæi uocantur, id ė cuniculis effoſſum igne perficitur. Pectore flagrãti.) ardẽti. Legitur & Gutture: quod placet. ut referas ad illud Maronis: Et patulis expirat faucibus ignes. Et quoties detrectat onus.) Fabuloſa ratio. ſed aliàs paulopoſt à philoſophis mutuatas adducet. Detrectat.) conatur excutere. Significat autẽ refugere. Tibullus: Detrecto non ego uincla pedum. Onus.) iniectum montem. Ceruice rebelli.) reluctãtibus humeris. Vergilius: Ergo age chare pater, ceruici imponere noſtræ. Id uerbum ſingulari numero primus Hortenſius enunciauit, ut Varro prodit. nam ante eius ætatem tantũ pluraliter uſurpabant: etiam ſi ſecus eſt apud Seruium.

In dextrum læuumq́; latus. tunc inſula fundo
Vellitur, & dubiæ nutant cum mœnibus urbes.
Aetnæos apices ſolo cognoſcere uiſu,
Non aditu tentare licet. pars cætera frondet
Arboribus, teritur nullo cultore cacumen.
Nunc mouet indigenas nymbos, piceaq́; grauatum
Fœdat nube diem, nunc motibus aſtra laceſsit
Terrificis, damniſq́; ſuis incendia nutrit.
Sed quamuis nimio feruens exuberet æſtu,
Scit niuibus ſeruare fidem, pariterq́; fauillis
Dureſcit glacies, tanti ſecura uaporis,
Arcano defenſa gelu, fumoq́; fideli,
Lambit contiguas innoxia flamma pruinas.
Quæ ſcopulos tormenta rotent, quæ tanta cauernas

In dextrum læuumq́; latus. Verg. Aeneid. 3. Et feſſum quoties mutat latus. ſic enim Claudianus legiſſe uidetur, nõ ut Seruius, & eum ſecuti, Motat. Accedit Claudiano Statius: Quantus Tyrrheni gemitus ſalis, aut ubi tentat

Enceladus mutare latus & C.Balbus argonanticon. ij. Pariter tunc omnis anhelat Trinacria,iniectam feſſo dum pectore molem.Commouet experiẽs, genituq; reponit inani. Fundo.) ab imo ſolo. Vrbes.) mœnia ab urbo quod aratri curuaturam ſignificat,id in condendis urbibus adhibebant ex ære.quod iuris ciuilis autor Pompo.teſtatur & ſcribẽs de Italia Carminius lib.ij. Aetnæos apices.) Aetnæ cacumen.apex appellatur inſigne ueterum ſacerdotum,ij uirgam geſtabant in ſummo pileo, quæ uinculo comprehendebatur,id quod apere priſci dicebant,inde nomen Apicis,ut Feſto placet. in eius extremitate lanæ floccus extabat.quod Aſcanius inſtituit apud Albam unde Flamines etiam dicti ſunt.autor Seruius. Licet.) datur. Cognoſcere.) diſcere ac explorare. Solo uiſu.) tantum oculis. Qu. Serenus. ſumma boni eſt alacres homini contingere uiſus. Non aditu.) non acceſſu.candentis fauillæ periculo,qua Pli.extinctus eſt,dum inuiſeret Veſeuum Campaniæ montem,qui & ipſe ignes eructabat.Ouid.in Aetnæ deſcriptione.Non homini facilis non adeunda feræ. Tentare.) experiri, Pars cætera.) montis ſcilicet ima latera. Frondet.) arboribus uiret. Cacumen.) uertex & ſumma pars. Teritur nullo cultore.) uacuum cultoribus eſt,& deſertũ.

Nunc.) interdum. Mouet.) emittit. Nymbos.) fumi globos, quos uehemens ſpiritus pellit,& ſequitur,id quod atram nubem Verg.dixit. Indigenas.) ipſius Aetnæ ſuos quoſq; ipſa procreat.indigenæ uero ſunt,qui nõ aliunde quoquam ueniunt,ſed in iiſdem patrijs ſedibus ſemper manent.quos Græci uocant autochthonas. Fœdat grauatum.) obfuſcat & grauat.

Nube picea.) obſcura caligine,& fumo. Diem.) ſolis radios & lucem, id eſt,inter diu noctis faciem reddit.Aetna aliquando multo igne abũdauit. ingentem uim harenæ urentis effudit.inuolutus eſt dies puluere, populoſq; ſubita nox exterruit.ut eſt apud Senecam.Sunt qui molibus legunt,& ad punices referunt. Laceſſit aſtra.) cœlum petit. Damniſq; ſuis incen.nu.) Aetnam conſumi,& ſubſidere ex hoc quidam colligunt. quod aliquando nauigantibus ſolebat oſtendi.poteſt hoc accidere .non quia montis altitudo deſcendit,ſed quia ignis euanuit,& minus uehemens ac largus effertur,ob eandem cauſam fumo quoq; per diem ſegnior. Neutrum autem incredibile eſt. nec montem qui deuoretur Cottidie minui,nec manere eundem, quia nõ ipſe ex ſe eſt.ſed in aliqua inferna conceptus ualle ignis exæſtuat, & alias paſcitur,in ipſo monte non alimentum habet ſed uiam. Nutrit incendia.) paſcit ignes. Suis damnis.) nam cottidie decreſcit. Sed quãuis.) ſed in illa feruẽtis naturæ peruicacia,mixtas ignibus niues perfert,& licet uaſtis exũdet incendijs,

incendijs, à picis canicie perpetua brumalem detinet faciē: ita inuicta in utroq; uiolentia, nec calor frigore mitigatur, nec frigus calore diſſoluitur. Strabo, Seneca, Plinius & Solinus autores. Exuberet.) exundet. Scit ſer. fidem ni.) quodam quaſi fœdere uicinas niues non lædit. Fidem.) pacem. Seneca: Pax ante fida niuibus & flammis erit. Pariter fa.) inter calidos cineres. alioqui non eſſet miraculum. Dureſcit glac.) nix in glaciē coit.

Secura.) nunc tuta. ſed in periculo Securus etiā dici poteſt. Tanti ua.) incēdij. Defenſa.) ſeruata. Defendere tectis frigus, arcere. Papin. Theb. primo: Haud paßi ſocijs defendere noctē Culminibus. & in Syluis: Frondibus & patula defēdimus arbore ſoles. inde Naſonis Oenone: Defenſa eſt humili cana pruina caſa. Et ita nos quidem emendauimus, quum prius nullo, uel ineptißimo ſenſu, Depreſſa legeretur. Arcano gelu.) intimo & ingenito frigore. Fumo fideli.) qui ſœdus & pacem non uiolat. Lambit.) Vſurpauit Vergilij uerbum: Attollitq; globos flammarum & ſidera lambit.

Innoxia.) uicinis niuibus. Verg. Aenei. 5. Rurſusq; innoxius imo Succeßit tumulo: id eſt, ſine iniuria ac maleficio. nam Noxa damnum quoq; ſignificat. Ouid. Luce nocent potæ, ſine noxa nocte bibuntur. Pruinas.) hic niues. eſt autem pruina, gelidus & concretior ros, à perurendo dictus, ut placet Verrio. Quæ ſcop. tor. ro.) Honeſta dubitatio, quæ carmen excitat, & auditorē recreat feſſum, ſimul rei magnitudinē exprimit. Quid hoc eſſe dicā? quod moles & enormia ſaxa, non ſecus ac excuſſa neruis balliſta iaculetur? nam tormenta in uſu caſtrorū ſunt, quæ machinato pulſu magna ui tela contorquent. Papin. in Achilleide: Murorum tormenta pilos. Emittebant etiam ſagittas, ut eſt apud Senecam de Ira. lib. primo. & molares, ut docet Liuius ab urbe condita, lib. xxiiij. Scopulos.) uaſtos lapides. Cauernas.) antra, & ſubterraneos meatus.

Vis glomeret? quo fonte ruat Vulcanius ignis?
Siue quod obijcibus diſcurrens uentus opertis,
Offenſo per ſaxa furit rimoſa meatu,
Dum ſcrutatur iter, libertatemq; repoſcens,
Putrida multiuagis populatur flatibus antra.
Seu mare ſulphurei ductum per uiſcera montis
Oppreſsis igneſcit aquis, & pondera librat.
Hic ubi ſeruandum mater fidiſsima pignus
Abdidit, ad Phrygios tendit ſecura penates,

enim prohibet,ignem ex humore educi.Nam fuerunt (ut refert Seneca) qui negarent in ignem quicquam poſſe mutari,priuſquā mutatum eſſet in aquā.

Pōdera librat.)Moras ſuas arripit,atq; eiectat. Nam librare eſt aliquan do torquere,& certum teli ictū dirigere.Verg.Et telum quod miſſile libro.

Pondera.)molares,id eſt,magni ponderis ſaxa. Vbi.) poſtquam.A di greſſione redit ad inſtitutum.Quum Ceres in Sicilia tuto(ut putabat) filiam depoſuiſſet,ipſa ad matrem Rheam ſalutandam profecta eſt in Phrygiam.

Abdidit.)occuluit. Seruandum pignus.)cuſtodiendam natam. Secura.)nihil ſollicita,neq; ſuſpecta. Tendit.)iter arripit,& curſum tenet.

Phrygios.)Phrygia pars eſt Aſiæ, ſortita nomen à Phrygio oppido Macedoniæ,ſiue Brygio,ut gētili Macedonum lingua nominatur. unde colonos profectos aiunt in Phrygiam. Sophocles in Athamante, tradit Phrygios à Phryxo dictos,immutatione literarum,quaſi Phryxios:quod is illuc primū delatus ab ariete fuerit. Penates. ſedes,quarum tutelares dij,Penates exiſtimantur.eoſdem Lares etiam uocabant,ut ante eſt dictum. Penatum uero mentio facta commodiſſime hic eſt.nam Caſſius Hemina, Romanorum penates interpretatur,quos alio uerbo μεγάλους θεοὺς *,id eſt,magnos Deos indigitabant.Et Cybelem de numero penatum eſſe non dubitabit,qui uel primum Varronis librū de lingua Latina legit,uel eam dici Magnam matrē non ignorat.Longa Dionyſij Alicarnaſei,Nigidij,Varronis,& Macrobij de dijs penatibus diſceptatio. Sunt autem,per quos penitus ſpiramus, per quos habemus corpus, & animi rationem. Deos penates teſtatur apud Verg. Sinon, quum ait:Vos æterni ignes,&c.Nam ſe penatum offenſam uereri ſimulat, ſi patriæ ſecreta hoſtibus prodat,cuius Dijs penatibus credita cura eſt. unde Dij patrij quoq; dicti ſunt,ut tradit Higynus,& Maro:Dij patrij ſeruate domum,ſeruate nepotem.Porrò penates æternum ignem etiam alibi Verg. appellauit: Aeternumq; adytis effert penetralibus ignem.quāquam ſunt qui uelint,præſentes Veſtæ focos à Sinone teſtari.Metropolim uero Claud. intelligit,urbem Phrygiæ Magnæ matris, id eſt, Berecynthiæ regiā,& domicilium,unde Metropolis dicta eſt,ut Polyhiſtor Alexander autumat. Petit Cybelem.) ad Deam matrem concedit. Eadem Cybele dicta eſt,temporibus & dimenſu anapæſti, à Græco uerbo* κυβεσᾶν*, quod eius miniſtri Galli per furorem caput rotātes,oracula edebāt.autor ante Ser. Pōpeius.Capella tamen ait,Cybele nomen datum* ἀπὸ τοῦ κυβοῦ*,id eſt à cubo,qui ſit eius numini dicatus.Eſt autem cubus,quum omne latus eiuſdem numeri æqualiter in ſeſe ſoluitur:ut quum ter terna ducuntur, & idem ipſe numerus triplicatur. Ipſam*

ipſam uero Tellurem, Magnam matrem dicebant. in qua Tympanum orbem terræ ſignificabat. quod in capite turres habebat & oppida, quodq́; circa eã ſedes figebantur, intelligi uoluerunt, quum omnia moueantur, ipſam non moueri. quod eidẽ Galli miniſtrabant, hoc argumentũ eſſe Varro dicit, eos qui ſemine indigent, terram ſequi oportere. in ea quippe omnia reperiri. Quod ſe apud eam iactant, præcipitur (inquit) qui terram colunt, ne ſedeãt. Semper enim eſſe quod agant. Cymbalorum ſonitus exiſtimat eſſe motus & iactationes manuum, crepitumq́; ferramentorum, qui in agro colendo fit. Eaq́; ferramenta ideo erant ex ære, quod terram antiqui colebant ære, antequam ferrũ eſſet inuentũ. Euripides in Helena Cybelem cum Cerere confundit, & utranque unam uidetur accipere. Turrigeram.) *quæ coronam turribus inſignem geſtat. nam ſic eam uetuſtas effinxit, quod eadem tellus credebatur, quæ turribus munitas urbes ſuſtinet.* Lucret. de Rerum natu. lib. 2. *Muraliq́; caput ſummum cinxere corona, Eximijs munita locis, quod ſuſtinet urbes. Quo nunc inſigni per magnas prædita terras,* Horrifice fertur diuinæ matris imago. Sinuoſa.) *in orbes contracta. nam ſinus etiam uolumen, & in anguibus flexus eſt.* Expreßit autem illud Maronis: *Sinuatq́; immenſa uolumine terga.* Draconum.) *quos eius* Deæ *currum trahere canit* Orpheus. *is uero rumor ſubortus eſt, ex quo inuſitatæ magnitudinis ſerpens, qui Salaminem uaſtabat, ab* Eurylocho *eiectus, ad* Cererem *confugit* Eleuſinem, *inq́;* Deæ *miniſterio permanſit: ut* Heſiodus *autor eſt. eum ſerpentem nymphæ* Salaminos *ac* Neptuni *filius* Cychreus *educauerat, à quo iuxta* Salaminẽ *pagus* Cychreus *etiam dictus eſt, à* Sophocle *memoratus in* Teucro. Cychrei *meminit* Lycophron & Arrhianus. Euſtathius *in* Dionyſium *refert, ipſum* Cychreum *ſerpentis habuiſſe nomen, eo quod anguſtis inſulæ ſpacijs includeretur: indeq́; ab* Eurylocho *pulſum, ut demonſtrauimus.*

Membra regens, uolucriq́; per auia nubila tractu
Signant, & placidis humectant fræna uenenis.
Frontem criſta tegit, pingunt maculoſa uirentes
Terga notæ, rutilum ſquammis intermicat aurum.
Nunc ſpiris Zephyros tranant, nunc arua uolatu
Inferiore ſecant. cano rota puluere labens

Per nubila.) *per aerem. quem dixit auium, non quod imperuius & inacceſſus animãtibus ſit: ſed ubi trita ſemita nuſquam apparet. nam neq́; pedũ, neq́; rotarum ſigna impreſſa retinet. Stat. Thebaid. 5. Sonat auius æther.*

aut

aut Auius,hominibus inacceſſus.Alij perauia legunt,cōpoſita dictione,quod non diſplicet. Signant.) Aut auia nubila,quaſi ueſtigium ſui curſus in aëre reliquerint:aut certe ſignant & mandunt fræna,quibus dentium notæ adhærent ex morſu iugalium. Tractu uolucri.) celeri lapſu.Stat. Tractuq; ſoluto Immanem ſeſe uehit. Volucre eſt, quodcūq; pennis auſertur:cuius contrarium,inuolucre Gellius enunciauit.Pulli etiam tunc inuolucres erant : id eſt,plumabant iam,ſed uolare nondum poterant. Humectant.) aſpergūt & madefaciunt. Frena.) Hic orias intellige,ut cum præcedenti uerbo conueniat.eæ faucibus inſertæ,ſingulos equos aut iugales cohercent. Venenis.) Venenū,quod pharmacon Græci uocant,indifferēs nomen eſt,& ſignificatum à coniunctis accipit.nam bonum & malum uenenū dici poteſt. utq; nos uenena,ſic illi pharmaca,tam quæ potu necant, quàm medicamenta uocant,ut apud Iureconſultos Caius ait. Placidis.) innocuis. Frontē criſta tegit.)Philoſtratus in uita Apollonij,negat è draconum genere criſtatos eſſe angues,& eos qui degunt in aquis. Itaque prudenter ab Homero fontis accolam draconem purpureo tantum tergo fuiſſe deſcribi:parum perite ab alijs angui Nemeæo,qui necauit Archemorum,tribui criſtam, qua terreſtres ſolummodo ſerpentes inſignes eſſe contendit.Hanc publicam multorum opinionem Papinius ſecutus eſt,ubi de dracone Nemeæo ſic ait: Auratæ crudelis gloria frontis Prominet. Pingunt.)uerſicoloribus guttis inficiunt. Intermicat ſquammis.) per ipſa ſquammarum interualla,ſubinde fulgent quædam quaſi ſcintillæ, quales in harenis aduerſo ſole cernimus,quas à re micas appellant. Nunc.)interdum. Zephyros.) auras.ſpecies pro genere.Et ita dixit,ut Maro:Defer mea iuſſa per auras. Zephyrus autem,qui Latine Fauonius appellatur,ab occidua plaga ſpirat,Euro contrarius:ut Vitruuius & Strabo ſcribit. Spiris.) ſinuoſo lapſu. Secant.)radūt. Arua.)terram.Verg.Iamq; arua tenebant.Sūt uero Arua,culti ſoli ſpacia.Salluſt.Pabulo magis quàm aruo ſtudent.ab arando dicta,ut Varro docet. Inferiore.) terræ propiori.Sed hoc totum iter ad naturæ rationes accommodatur.Nam ſerpētes ad nubes apte referri poſſunt, unde deciduus hymber humum fœcundat,et procreādis frugibus aptam reddit.Vernas autem pluuias omniū maximas eſſe, teſtatur etiā Verg.Quum ruit hymbriferum uer.Eodem tempore Fauonius ſpirat,ut paulopoſt oſtēdemus:cuius hic à poeta mentio prætermiſſa non eſt, cum genitalis mundi ſpiritus ſit,ut ſcribit Plin.& Cereris munus adiuuet.intellexit & hoc in nubibus Vetuſtas,quæ cum deabus Eleuſinis eas coluit,ut indicat Ariſtophanes & Herodotus. Cano.)

flauo.ſed & hoc etiã perite.nam uetus & ruſticũ carmen, quo pater de agricultura filio præcipit: Verrius hoc affert.hyberno puluere,uerno Luto,grãdia farra Camille metes.inde Verg.Humida ſolſtitia, atque hyemes optatæ ſerenas Agricolæ,hyberno lætiſsima puluere farra.in hac enim temperie fructus optime proueniunt,ut ait Macrobius.Camillus (ſi quis & hoc)ingenuus puer,patrimus & matrimus appellatur,id eſt,cui parentes ſuperſunt.

Sulcatam fœcundat humum,flaueſcit ariſtis
Orbita,ſurgentes ſcindunt ueſtigia fruges,
Veſtit iter comitata ſeges.Iam linquitur Aetna,
Totaq; decreſcit refugo Trinacria uiſu.
Heu quoties præſaga mali,uiolauit oborto
Rore genas, quoties oculos ad tecta retorſit,
Talia uoce mouens: Salue grátiſsima Tellus,
Quam nos prætulimus cœlo.tibi gaudia noſtri
Sanguinis,& charos uteri commendo labores.
Præmia digna manent:nullos patiere ligones,

Humum ſulcatã.)Communi epitheto uſus eſt,& impreſsionis rotarum, & terræ cultus, ut interpretandæ fabulæ manum porrigeret. Nam licet in rectum quoquo modo proſciſſa tellus,proprie tamen ab aratro ſulcata dicitur. Flaueſcit ariſtis.) matura ſegete. Orbita.) rotæ ueſtigium. quin & ipſam quoq; rotam ſignificat:autor Aſconius. Veſtigia plantæ.)Vergi.Veſtigia nuda ſiniſtri Inſtituere pedis. Surgentes.) creſcentes.Idem:Et ſpes ſurgentis Iuli. Fruges.)Commune nomen eſt omnium quæ terra gignit,quæq; in alimoniam uerti poſſunt: ut iuris ciuilis autor Iulianus interpretatur:eorum damnata ſententia,qui cuncta quibus homo ueſcitur,ita uocari putabant. nam carnes,aut aues,aut feras,aut deniq; poma, fruges haud recte dici.Sed in pomis Iuliano conſenſus eruditorum non accedit. nam Plin. indicem dedit de arboribus frugiferis.Idemq; uerbũ longe prior Liuius uſurparat:Nõ arbore frugifera,non ſatis in ſpem relictis. Veſtit iter comitata ſeges.)quacunq; Dea currus agit,ſubito ſuboriens ſeges occupat.Eſt autẽ ſeges eorum ſeminum,ex quibus conficitur panis nondum demeſſa. Totaq; decreſcit refugo Trinacria uiſu.)Percurrit rem naturalem.nam quo longius è conſpectu Ceres abſcedebat, eo minor inſula uidebatur. Refugo uiſu.)Nam Sicilia recedentis ſpeciem mentiebatur. Heu quoties.)Acclamatio,qua ſuboſcure poëta ſignificat, inſitam mẽtibus futurorum præſenſionẽ,

&

& ingruentes calamitates manifeſtis interdum ſignis oſtendi, ſed à nobis per neglig ētiā non obſeruari. Præſaga.) Sagire, quod in Diuinatione ſcribit Cicero, eſt acute ſentire. inde Sagæ, anus quæ multa ſcire uolunt: & ſagaces dicti canes. is igitur qui ante ſagit, quàm oblata res eſt, dicitur præſagire, id eſt futura ante ſentire. ab hoc ergo Præſaga. Mali.) cladis, quam paulo poſt erat acceptura. Violauit.) Hoc dicit: quoniā dijs (ut eſt apud Ouid.) nefas eſt flere. alij ſyllabæ ratione nihil offenſi, Rigare ſcribunt inerudite.

Obórto rore.) prorumpētibus ultro lachrymis. Ad tecta.) ad ſedes, ubi filiam relinquebat. quod portēdebat, ea non ita multo poſt orbatum iri. nam quæ deſideraturi proxime ſumus, eorum conſpectu animū oculosq; uix explere poſſumus, eademq; à nobis inuiti dimittimus. Salue.) Et hoc triſte omen eſt. nam mortuos ita uetuſto more ſalutabant: Salue & uale. non quod ij ualere aut ſalui eſſe iam poſſent, ſed quod ab eis ſemel recedebant, quos amplius uiſuri non erant. hæc in libris, quos Logiſtoricos inſcripſit Varro. Aue, matutina ſalutatio eſt: Salue, ueſpertina. autor Dion in Hadriano. Claudianus hunc locum ſumpſit ex Statio, apud quem Thetis Achilleidos primo Scyron inſulam ſic alloquitur: *Chara mihi tellus, magnæ cui pignora curæ, Depoſitumq; ingens timido commiſimus aſtu, Sis fœlix, taceasq; precor, quo more tacebat Creta Rheæ: te longus honos æternaq; cingent Templa, &c.*

Gratiſsima tellus.) Siciliam totam eſſe Cereri ac Libero cōſecratam, uetuſtas adeo credidit, ut & natas eſſe in ijs locis deas, & fruges in ea terra primum repertas arbitrarentur: ut refert Cicero. quod inter naturæ miracula non prætermiſit Ariſtoteles. Eandem Plutarchus raptæ Proſerpinæ datam ſcribit in dotem. Contēdit & de finibus eius inſulæ cum Vulcano Ceres, ut recitauimus ex Simonide. Aetnaq; diſceptatrix ſecundum Cererem litem dedit. idq; fingitur: quoniam totus Siciliæ tractus, quamuis incendia multis in locis proferat, frugum tamen copia longe præſtat. Prætulimus cœlo.) Nam relicta cœleſti ſede, Proſerpinā illuc aſportauerat. ſupra Claud. *Aethera deſeruit, Siculasq; relegat in oras.* Gaudia noſtri ſanguinis.) filiam, ex qua una uoluptatem capio. Sanguinis.) Hoc dicit, quoniam Medici putāt humanum ſemen puriſsimum eſſe ſanguinem, & maxime tenuem. Iuuenalis in eum qui ſectabatur anus, & ad opes à coitu peruenerat: *Accipiat ſanè mercedem ſanguinis, & ſic Palleat, ut nudis preſsit qui calcibus anguem.* Sequitur Epicuri ſententiam Claudianus, & Anaxagoræ, qui procreari liberos ex utriusq; parentis ſemine prodiderunt. idē ſenſit Parmenides & Empedocles. Vteri labores.) Mire dixit, ut filiā cū dolore peperiſſe uideatur.

Et hæc

Et hac atteſtatione chariorem ſibi puellam uult indicare. Labores.)*in geſtando nixuq́;,*Papin.Theb.3. *Mihi quippe malorũ* Cauſa labor. Euripides, ὠδίνων πόνον, *id eſt,laborem* partus. Et *uterum dixit exquiſite. nam uēter is totus appellatur,qui ſubiectus eſt oculis:*Aluus interior eius pars,*qua cibus commeat:*Vterus *autem,quo mulier geſtat* partum.hæc Probus. Commendo.)*tuæ fidei credo.* Præmia digna manent.)*aſſequêris,*inquit,*ex hoc mercedem meritis parem.* Manent.)*tibi repoſita ſunt in futurũ.* Iuuenal. *Præmia quanta bonos maneant.quæ ſint ea,ſtatim declarat.* Nullos patiere ligones.)*non feres ictus raſtrorum.nam ferrum ligo eſt,uulgo notũ, quo terra foditur.*

Et nullo rigidi uerſabere uomeris ictu.
Sponte tuus florebit ager,ceſſante iuuenco,
Ditior oblatas mirabitur incola meſſes.
Sic ait,& fuluis ſerpentibus attigit Idam.
Hic ædes anguſta deæ,templiq́; colendi.

Nullo rigidi uerſab.uom.ictu.) Hoc *ait, quoniam tellus aratione lædi fingitur.id quod ipſa cum Ioue expoſtulat apud* Ouidium: *Adunci uulnera aratri* Raſtrorumq́; *fero,totoq́; exerceor anno.* Ictu.)*plaga.* Vomeris.) *Huius nominis rectus* Vomer *ac* uomis *enũciatur. ferreus eſt aratri dens,appellatus,quod terram uomat.* Verſabere.)*Frequētatiuum,à uerto ductũ. Verti uero terra tum dicitur,quum ligonibus aut aratro renouatur.* Sponte.)*ultro,abſq; aliquo cultu.* Florebit.)*germinabit frugibus.nam florere dicuntur etiam ſegetes,priuſquam ad maturitatem coaluerint.* Ceſſante iuuenco.)*abſq; bouis uſu.* & *ita dixit,ut* Maro:*Armato milite complēt: pro militibus.*Ceſſant *ij, quibus à laboribus ocium eſt:ut hic.ſed* &*,quorum officium deſideratur.*Gellius: *Amici iſti, inquit, magnam in partem ceſſatores ſunt.* Incola.)*Incola dicitur,qui peregre nouas ſedes captauit,*& *in aliquam regionem domicilium ſuum tranſtulit,ut* Pompo. *iuris ciuilis autor affirmat.*& Cicero:*Peregrini* & *incolæ officium eſt,nihil præter ſuum negocium agere,nec eſſe in aliena republica curioſum.* Sed ἁπλῶς *interdum cultorem ſignificat.* Hircius *in rebus* Cæſaris:*Aut iniuriam faceret cuipiam incolæ.pro colono uidetur accipere*Claudian.*ut* Naſo:*Incola captiuo quæ boue uictor arat.* Meſſes.)*maturas fruges.* Vergilius:*Ante focum ſi frigus erit,ſi meſsis in umbra.* Oblatas.)*quaſi diuinitus.*Et *hoc ex hiſtoria* Diodori, *quam ſuprà percurrimus,*& *alibi referemus.* Fuluis ſerpentibus.)

Quia

Quia ſuprà dixit, ſquammis intermicat aurum: quod frequenter fuluum poëtæ uocant. Tibullus. Diuitias alius fuluo ſibi congerat auro. an cæruleos intelligi uoluit? id autem commune ſerpentibus & mari epitheton eſt. de ſerpente, Vergilius. & cærula colla tumentem. nam Claudianus fuluum mare appellabit huius operis calce. fuluis adnatat umbra fretis. ut fuluus color & cæruleus idem ſit, ex rubro nigroq́; concretus. Idam.) *Phrygiæ montẽ in Troade, qui nomẽ ſortitus eſt, ab Ida loci regina, ut de rebus Græcorum li. ſcribit Charax: uel ut Vergi. ab Ida Cretenſi, unde profectus Teucer Scamandri et Idææ Nymphæ filius, eam Phrygiæ regionem cultoribus uacuam occupauit, & à ſe Teucriam dixit. Eodem paulopòſt Dardanus ex Samothracia delatus, Ariſben Teucri filiam uxorem duxit, ut Cephalo Gergythius: aut Batæan, ut Hellanicus & Mnaſæas uocant: ut mirer Seruium ſcribere, Teucrum de Creta ueniſſe poſt Dardanũ. Sunt qui Dardani ſepulchrum innui ſuſpicentur ab Ouidio. 7. metamorph. eo carmine. Quaq́; pater Coryti parua tumulatus harena &c. quòd is (ut quidam prodiderunt) ex oppido Tuſciæ Corytotin Phrygiam migrarit. Nos autem tumulum Paridis intelligimus, qui in Cebrina Troadis urbe uiſebatur, ut ſcribit Scepſius, & Strabo. Nam Paris ex Oenone ſuſcepit Corytum, quem mater (à Paride repudiata) euntibus in Troiã Græcis itineris ducem dedit, quod apud Lycophronem fore Caſſandra uaticinatur. Ex Græcis etiã nonnulli, Corytum Paridis & Helenæ filium fuiſſe tradunt, Buniti ac Idææ puellæ et quidem ex utroq; parente fratrẽ. Sed & hoc illo modo, pater Coryti Paris accipiendus eſt: itaq́; ſenſus Ouidiani uerſus abſoluitur, qui cæteris ante nos inexplicabilior Gordiano nodo uiſus eſt. Homerus Idam* πολυπίδακα καὶ μητέρα θηρῶν *in hymnis appellat, irriguã ſcilicet & ferarum parentem. inde Verg. ait Ida uenatrix: etiã ſi Seruius aliter. Idæa uero Dardani Scytharum regis filia fuit, quam deſtituta Cleopatra Boreæ et Orithyiæ Phineus ſuperduxit, ut Dionyſius in Argonautico canit, in eius etiam gratiam Orytho et Carambi, quos ex Cleopatra ſuſtulerat oculos effodit: ut Tragœdiarũ poëta Sophocles autor eſt. inde uiciſsitudinis in amore ſumpſit exemplum Naſo in remedijs. Ceſsit ab Idæa coniuge uicta prior, id eſt, Cleopatra, quæ prior in matrimonio Phinei fuit, cui pòſt exactæ noua coniunx Idæa ſucceſsit.*

Hic.) *in Ida. unde et mater Idæa dicta Cybele Lucretio, Liuio, Tibullo, cæteris.* Aedes.) *Templũ. quidam codices habent Sedes, lubrica menda: quæ apud Tibullum quoq; inualuit. Sic ueteres ſedes incoluiſtis aui. quom ædes ſcribendum ſit, quamuis utrobiq́;, ſedes etiam legi poſsit, niſi carminis*

ſibilus aures offenderet. Anguſta.) parua. pro illis tunc moribus, qui ſynceritate quadam animi potiùs quàm opum luxu Deos litabant: ac ut Tibullus ait. Stabat in exigua ligneus æde Deus. an magis Auguſta legendum? quippe ſancta patres auguſta uocant, ut in Faſtis canit Ouidius, id eſt, loca religioſa, & ubi quid auguratò conſecratur, ab auium geſtu guſtú ue: quod Ennij carmen indicat, Auguſto augurio poſtquam inclyta condita Roma eſt. auctor Sueto. & Pompe. Relligioſa ſilex.) Effigiem Deum matris intelligit, quæ cælitus lapſa Peſinunti nomen oppido dedit, ut Herodianus in Cõmodo refert. Quid? ſi quis lapidem eum accipiat? qui teres ac cylindri forma, in Phrygiæ monte Sipylo naſci traditur, eundem ſi compertũ aduleſcentes ad Idææ matris ædem deferant, erga parentes ex illo pietatem, quàm qui maxime colunt, etiam ſi quandoq; pulſauerit: id quod inter naturæ miracula memorat Ariſtoteles. Placet ſuperior ſententia. nam Liuius undetrigeſimo ſcribit, Idæam matrem deportatam eſſe Romam à Peſinunte oppido Phrygiæ, carmine in libris Sibyllinis inuento, pelli Italia alienigenam hoſtem poſſe, ſi mater Idæa deportata Romam eſſet: traditum eſſe Romanis per Attalum regem Aſiæ, lapidem fuiſſe, quem matrem Deum incolæ dicebant. Inſectatur et hoc noſtræ religionis Poëta Prudentius. Nudare plantas ante carpentum ſcio proceres togatos matris Idææ ſacris: Lapis nigellus euehendus eſſedo muliebris oris clauſus argento ſedet. Euphorion ait matris Idææ ſimulachrum fuiſſe uitigineum, quod æquè ſacra ſibi uitis ac Libero patri foret.

Relligioſa ſilex, denſis quam pinus obumbrat
Frondibus, & nulla lucos agitante procella,
Stridula coniferis modulantur carmina ramis.

Silex marmorea.) Cybeles ſtatua. Nã ſilex lapidis genus eſt ita dictus, quòd ignem intra ſe ſilentem habeat, unde Pyrodes Cilicis filius ignem prius excuſſit. Religioſa.) uenerationis ac maieſtatis plena. Siquidem M. Tullius aliter tẽpla religioſa dicit, aliter dies religioſos, triſti ſcilicet omine infames impeditoſq;, in quibus et res diuinas facere, & rem nouã quanpiã exordiri temperandum eſt, quos imperitum uulgus, perperam nefaſtos uocat, ut Gellius ait. Nigidius, religioſus inquit, appellabatur, q nimia religione & ſuperſtitione ſeſe alligauerat, eaq; res uitio aſſignabatur. nam hoc inclinamentum ſemper huiuſmodi uerborum, ut uinoſus, mulieroſus, religioſus, ſignificat copiam quandam immodicam rei ſuper qua dicitur. Maſſuri

us uerò Sabinus, religioſum inquit eſt, quod propter ſanctitatem aliquã remotum, ac ſepoſitum à nobis eſt, uerbum à relinquendo dictum, tanquam cerimoniæ à carendo. Carminum ſcriptores in religioſo numeris obſequuti liquidam geminant, ut in relliquijs. Verg. Troas relliquias Danaum. & alibi. perq; domos & religioſe Deorũ Templa. Quam.) ſilicem, eodem genere Verg. enunciauit, alij maſculino. Papinius in iiij. ſyluarum. Quis duri ſilicis grauiſq; ferri. Pinus.) arbor Deum matri dicat. cauſam refert Ouid. ſiquidem Cybeleius Attis Exuit hac hominem, truncóq; induruit illo. Pinea nux apud Martialem. poma ſumus Cybeles, ea primũ in agro Mileſio Cariæ uiſa eſt. & inde Pytiuſſæ nomen Mileto datum. nam pytis Græce pinus appellatur, è cuius ramis in peruigilio Cereris lectiſternia Mileſij inſtituerunt, inq; omnibus eiuſdem Deæ ſacris apud eos uerbenarum uſum pinus exhibebat ad oſtentandam generis uetuſtatem: quod in Sympoſiaco ſcribit Didymus. Alij noctibus initiorum coniza ſolũ ſternebant, quòd eius herbæ uis eſt, ut uenerẽ comprimat, ut Nicandri ſcribit interpres. Apollodorus in tertio de Dijs ait, Idææ matri quercũ dicatam, quòd prima tectũ mortalibus & uictum ſuppeditarit. Idam pinetis confertam Vergili. indicat, qui multo carmine celebrat Aeneæ naues ex Idæa pinu cõſtructas, in gratiam Cybeles ab incendio ſeruatas Nereidibus acceßiſſe. Statius. Pergame pinifera multum felicior Ida. Obumbrat.) undiq; uerſum tegit. Ob enim circum ſignificat, ut quom dicimus urbem obſideri, obſignare, obuallare, obequitare. Lucos) à Græcis ἄλσος, apud nos lucus, à ſenſu cõtrario dictus, quòd non luceat, ut Seruio placet: aut certe ab ignibus & luce ſacrificiorum, quæ illic fiebant. nam nullum erat templum ſine luco, ut Strab. docet. Nulla procella.) nullo ſpiritu. uult enim poëta Cybeles lucum nulla interna ui, ſed per ſe leni quodã motu impelli diuinitus: aut id certe dicit in gratiam numinis procellas, & tempeſtatis iniuriam non ſentire. Str. con. mod. ca. ramis.) Muſicæ rationis eſt hoc. Nã ut quæq; procerior arbor eſt, & in altũ tendit, eo magis uento pulſa acutum reddit ſonum, quæcunq; uero quàm minimum ab radice abſunt, grauius et rauco murmure quatiuntur, auctor Capella. meminit & Auſonius. Eſt & harundineis modulatio muſica ripis, Atq; arguta ſuis loquitur coma pinea uentis Incubuit folijs quoties leuis eurus acutis. Seneca in quæſtionibus ait. Ventus qui circa arborem funditur ſibilat, non tonat. Eumolpus apud Arbitrũ. Non uerno perſona cantu Mollia diſcordi ſtrepitu uirgulta loquuntur. Modulantur.) in numerum concinunt. Carmina ſtridula.) acuta propter altitudinem.

Coniferis, nuces ferentibus, quas κώνους Græci uocant. Alij de Cypariſsis intelligunt, quibus Idam Plinius abundare ſcribat. earum namq; fructus (ut eſt apud Columellam) Coni dicuntur. Atqui pinum coniferam Catullus appellauit: aut coniferam ſudanti cortice pinum. Suidas item Græcè, ſed ad hanc ſententiam. pinus inquit, ex arborum coniferarum genere. Sed & ille editus aura uentoq; ſibilus pini proprius eſt. Papinius Syluarum. 5. Qualiter alta comam ſyluarũ gloria pinus, Seu Iouis igne malo, ſeu iam radice ſoluta Deficit, & nulli ſpoliata remurmurat auræ. Cornel. Seuerus. Pinea frondoſi coma murmurat Apennini. Septimius in re agraria. Pinea brachia quom trepidant, audio canticulum zephyri. Nemeſianus æcloga prima. nobis ne uento garrula pinus Obſtrepat, has ulmos potius fagosq; petamus. Accedit & Græca fabula, quæ tradit arborem pinum gemere, quoties à Borea perflatur, eius necis autore. Pitys enim præſtanti forma puella fuit: hanc eodem tempore Pan et Boreas amabant. Illa pronior in Pana mortem ſibi maturauit, impetu Boreæ ſaxis illiſa, ſed terræ beneficio in arborem uerſa pini, nunc Fauno grata eſt in uſu coronæ.

Terribiles intus Thyaſi, ueſanaq; mixto
Concentu delubra gemunt: ululatibus Ida
Bacchatur: timidas inclinant Gargara ſyluas.
Poſtquam uiſa Ceres mugitum tympana frænant.

Terribiles intus Thyaſi.) Sacra Deum matris ex Samothracia Dardanus in Phrygiam tranſtulit per ipſum Deucalionis diluuium. quippe tum Dardanus obruta ab aquis inſula, ſpiritu diſtentum utrem pectori admouit, atq; ita in proximum littus enatauit, id quod in Caſſandra ſuboſcurè Lycophron innuit. Iniciabantur in Samothracia Cabiris, ut ait Mnaſeas, ij quatuor erant numero, Axieros, id eſt Ceres: Axiocerſa, quæ Perſephone: et Caſmilos, quem Dionyſiodorus interpretatur Mercurium. Athenion ait Iaſium & Dardanum fratres Cabiros appellatos à Cabiris Phrygiæ montibus, ubi diuerſati diu ſunt. Alij tantum duos extitiſſe Cabiros æſtimant, ex ijs grandem natu Iouem: minorem Dionyſium. Thyaſi.) Bacchantium choreæ παρὰ τὸ θύω, quod eſt impetum facio. inde etiam Thyadas appellatas quibuſdam placet: Pauſanias tamen ait Thyadum nomen Bacchi miniſtris hæſiſſe à Thya puella, quæ prima Liberi ſacris initiata ſit. Intus.) ſub tecto. Terribiles.) horrore quodam ſanctitatis, qui tacitè ſpectantium ſubit animos. Lucretius. Horrificè fertur diuinæ matris imago. aut hoc

ait propter Gallos,qui cultris ſua brachia cedebant. Delubra.) *templa.* Veſana.) *fanaticorũ clamore frementia. Ve particula cũ intentionẽ ſignificat ut uetus,uehemens,uegrande,ueiouis:et ueſanus,qui conſtituta mente nõ eſt.inde uepenis apud Martialẽ,parua mẽtula:*Drauci Nata *ſui uocat uepenem,Collatus cui Gallus eſt priapus.Nam iocatur in* Natam *poëta,quòd ſubactoris ſui membrum uirile,* & *quidem uaſtum diminutiuo nomine uepenem blandiens appellabat.qui uero bipennem,aut pipinam ante nos legerunt,ad ſales poëtæ non aſpirant.Superiora* Gellius,& Macrobius. *Concentu.*) *Quanquã multorum uocibus chorus conſtat,unus tamen ex omnibus ſonus redditur,aliqua illic acuta,aliqua grauis,aliqua media: accedunt uiris fœminæ, interponuntur tibiæ,ſingulorum illic latent uoces,omnium apparent,fit concentus ex diſſonis,hæc* Macrobius,*eoq́; prior* Seneca. *Auſon.*Dindymaq́; *Idæo reſpõdent cantica luco.*Terẽtianus *de Carmine Galliambo.Sonat hoc ſubinde metro Cybeleium nemus.*Nomenq́; *Galliambis memoratur hinc datum.Conſentit* & Hephæſtion,*is ait Galliambum carmen alio nomine* Metroacum *uocari,quòd eo matris* Idææ *laudes canerentur.* Vlulatibus.) *luporum, qui cum leonibus* Opis *currum ſequebantur,ut innuit* Homerus *in hymnis: aut ſacerdotum,de quibus* Lucanus.*Crinemq́; rotantes Sanguinei populis ulularunt triſtia Galli.* & *huius operis lib.2.Clau.ululantia* Dindyma Gallis.Mœcenas *in Galliambicis.Ades ò Cybelle montiũ Dea, Ades et ſonante tympano,Qua te flexibile caput Latus horreat flagello,Comitũ chorus ululet.* Bacchatur.) *à fanaticis per furorem quatitur.* & *paſſiuè dixit ut* Maro:Bacchatamq́; *iugis* Naxon.*ubi per epitheton nominis rationẽ poëta expreſſit ex* Euphorionis *ſententia, qui* Naxon *dictam tradit à uerbo* νάξαι, *quod eſt bacchari,atq; rem diuinam facere.quamuis alij nomen inſulæ datum uelint ab* Endymionis *filio* Naxo, *uel ab eiuſdem nominis altero duce* Carum. *Sunt qui bacchatam* Vergilio Naxon ἁπλῶς *dictam putent, eo quòd in ea* Liberi patris *origo celebrarentur:eadẽ ratione,qua* Cytheron *à* Papinio 4.Thebaidos:*et te bacchate* Cytheron. Gargara.) *Montis* Idæ *uertex in* Myſia, *numero multitudinis, ut docet* Epaphroditus.*ibidem* Gargaros *urbs olim fuit, quam fœminino genere Lyrici carminis ſcriptor* Alcman *enunciauit:huic Iouis ex* Theſſalia Gargarus *nomen dedit. Alij dictam uolunt ab aquarum copia* ἀπὸ τοῦ γαργαρίζειν *uerbo Græco, quod eſt humectare in cottidiano medicorum ſermone,quomodo iubent gargarizare,* & *guttur aqua colluere, ut eſt apud* Celſum & Plinium.*Clau.apertè totum deſignat* Idam:*ſicut* Homerus Ilia

dos nono. Nam mons Ida tribus iugis attollitur, Lecto, Phalacris, & Gargaro. Oppidum Gargaron Aeolicen Hecatæus & Strabo uocant. Ephorus tamen, et Phileas de Aſia ſcribẽs Gargara pluraliter uſurparunt. Aratus de Diotimo quodam poëta ſic ait. αἰάζω Διότιμον ὃ ἐν πέτρῃσι κάθηται Γαιοὶ γὰρ γαρίων βῆτα καὶ ἄλφα λέγων. *quos uerſus (ut ingenuè fatear) quaſi parergon adiecimus, quòd eos in omnibus Macrobij codicibus deſiderari deprendimus. hoc etiam in loco tanta frugum copia fuit, ut non modo fertilitatis exemplum Verg. inde ſumpſerit, ſed quicunq; magnum cuiuſq; rei numerum uellet exprimere Gargara nominaret. Inclinant ſyluas timidas.) ſubmittunt arbores fanaticorum terrore. Papinius. paueto omnis ager, reſperſaq; cultris Arbor. Aſſurgunt inquit, & arbores, ipſis Gallis in Ida Bacchantibus. Poſtquã uiſa Ceres.) ſimulac apparuit: dat autem numini auctoritatem, cuius conſpectum fanatici reuerentur. Tympana.) Tympanum inſtrumentum eſt ex una parte planum, membrana clauſum, intus uacuum, quod digitis aut bacillo pulſatur, id in ſacris Idææ ſignificat orbem terræ, ut ſentit Varro. Suidas ait. Terra Deum mater eſt, ea cum tympano fingitur, eo quòd in ſe uentos habet incluſos. Lucretius. Tympana tenta ſonant palmis, & cymbala circum Concaua. Mugitum.) alluſit ad bouis tergus, unde fiebant. An Aeſchyli uerbum uſurpauit? is enim Cotytia, quæ tantum nomine diſtant à Berecyntijs, ut Strabo refert, ita deſcribit: hic manibus tornatam bombycam tenens digitis tactilem modulos, cõplet ſonum allectorem furoris, ille æneis urceolis tinnit. et paulopòſt. Modulus editur: mugiunt ex occulto tauriſoni mimi: grauis tympani ſonitus, quaſi tonitru ſubterraneum fertur. plura leges apud Strabonem. Frenant.) cohibent. translatio ſumpta ab aurigis.*

Conticuere chori: Corybas non impulit enſem.
Non buxus: non æra ſonant, blandiq; leones.

Conticuere chori) hemiſtichium Papi. Conticuere chori, dapidus ludóq; licenti Fit modus. id eſt, choris numerus perſonarum definitus non eſt. nam iunctim loqui debent omnes, quaſi uoce confuſa, & concentum in unam uocem reformantes, ut ait Diomedes. inde ſuprà Claud. ueſanaq; mixto concentu Delubra tonant. Chorus ἀπὸ τῆς χαρᾶς, *id eſt, à lætitia dictus eſt, ut ſentit Plato. Corybas.) Corybantes, Idæos, Dactylos, & Curetas eoſdem plæriq; putant. Nonnulli puſillum quoddam diſcrimen adhibent, ut longa diſceptatione Strabo diſputat. is Corybantes appellatos arbitratur* ἀπὸ τοῦ κορυβαντεῖν.

κορυβαντίῳ, id eſt, à capitis rotatione. Diodorus ait, Corybantum Iaſij matriſq; Idææ filium fuiſſe, ac ſimul cũ Dardano ſacra Cybeles in Phrygiam detuliſſe: quiq; in ſacrificijs eius Deæ uoluerunt incumbere, Corybantes à ſe dixiſſe. Idæos autem Dactylos alij quinq; et uiginti: Pherecydes duos & quinquaginta recenſet, ex ijs duos & triginta, quos læuos uocat, faſcinatores extitiſſe: uiginti reliquos, qui dexteri dicerentur, cõtrariã habuiſſe uim, ut qui maleficia diſſoluerent, idem ſenſit Hellanicus. Mnaſæas ſcribens de Aſia libro pri. Dactylos à patre Dactylo ſic appellatos ait, ut ab Ida matre Idæos. ij primi poſt hominum memoriam ferrum fabricauerunt, ut canit qui Phoronida Græcè ſcripſit, quos Opis Deæ miniſtros è Phrygia fuiſſe dicit, & ijs nominibus. Celmes, Damnameneuſq; ingens, Acmonq; ſuperbus. Libet hoc loco ambigere de Clemente Sidonio, Euſebio' que, qui Celmetem & Damnameneum Iudæos uidentur aſtruere, & in Cypro ferrum conficere primos docuiſſe: niſi (quæ lubrica menda eſt) Idæos ipſi ſcripſerunt, & librarij negligentia Iudæos inuertit. Equidem uereor ne dum Iudæorum gloriæ, quos omnibus ante ferre mortalibus obnixè contendunt, auidius uterque ſtudet, prudenter in hoc offenderint. Arbitrium penes alios eſto, nos de tam ſanctis & præclaris ingenio uiris temerè nihil affirmamus. Illud unum monemus in Latinis Euſebij codicibus Selmentem pro Celmente corruptè legi. Nam quod is Celmes dicatur, præter auctorem Phoronidos, unde carmen à nobis expreſſum pauloantè recitauimus, Sophocles in Satyris fabula teſtis eſt, qui Celmetem tradit in duriſſimum ferri genus mutatum, quom Cybeles indignationem meruiſſet. hiſtoriam percurrit & Naſo metamorphoſeon. 4. Te quoq; nunc adama quondam fidiſſime cuſtos Celme Ioui. Magnus error Domitij, qui Celmum Iouis puerum ſuſpicatur, ac priorem formam amiſiſſe, quòd amanti Statillo, neſcio cui ſuas delitias denegaſſet. Apud Diomedẽ quoq; Grammaticum de pedibus orationis agentem, in omnibus exemplaribus perperam ſcriptũ adnotaui, Damimamentinus, Aſtæus, Pyrrichius: pro Damnameneus, Acmõ, et Celmus. nã Celmes & Celmus indifferẽter enunciatur. Nõ impulit) nõ uibrauit Corybas. Enſem) cultrũ, quo ſua brachia ſauciabat. Papinius in Theb. Sic Phryga terrificis genitrix Idæa cruentũ Elicit ex adytis, cõſumptaq; brachia ferro Scire uetat. Aurelius Prudẽtius. Cultrũ in lacertos exerit fanaticus Sectiſq; matrẽ brachijs placat Deũ. ea uero omnia cõpoſita ſunt, ut uulgus religione teneretur. Lucretius. Telaq; præportãt uiolẽti ſigna furoris, Ingratos animos, atq; impia pectora uolgi Cõterrere metu quæ poſſint numine Diuæ.

Buxus.) Tibia matris Deum, perite. Nam buxo primum Phryges in tibijs uſi ſunt, ut refert Pollux. inde Papinius. tũ plurima buxus, Aeraq́; taurinos ſonitu uincentia pulſus. et alibi. Moderata ſonum uario ſpiramine buxus, id eſt, Phrygia tibia, quã Celenæus Marſyas inuenit, ut eſt apud Pauſaniam. Lucret. Et Phrygio ſtimulat numero caua tibia mentis. Diodorus ait, Hyperionis uxorem Baſilæam, quæ & Rhea dicitur, orbatam uiro, Soleq́; & Luna liberis, arripuiſſe puellæ crepundia, atq; ita per orbem terrarum uagatam, quomq́; repente coorto hymbre nuſquam comparuiſſet, in cœlũ relatam, inſtitutis ſacris, quæ ſonitu tympanorum, cymbalorumq́; illius errorem repræſentarent. Aera.) Berecyntiæ ſacerdotes urceolis tinniebãt æneis, ut Aeſchyli teſtimonio demonſtrauimus, ut repreſentarent Curetas, qui ne Saturnus uagitum Iouis exciperet, æra quatiebant. Lucretius. Luduntq́;, in numerumq́; exultant ſanguine freti, Terrificas capitum quatientes numine criſtas, Dictæos referunt Curetas, qui Iouis illum Vagitum in Creta quondam occultaſſe feruntur. Quom pueri circum puerum pernice chorea Armati in numerum ſtarent pernice chorea Armati in numerum pulſarent æribus æra, Ne Saturnus eum malis mandêret adeptus. idem faciebant in Bacchanalibus. Statius in Theb. Gemina æra ſonant Idæaq́; terga. Ex omnibus inanimatis æs habere uocem creditur, hinc Homerus χαλκὸν appellat ἤνοπα, id eſt uocalem. Pythagorici tradunt æs afflatis omnibus & lymphatis admodum conſonare: propterea Cymbala fiebant ex ære. Stat. in Achilleide. paulumq́; exercita pulſu Aera tacent. Leones.) Mater Idæa leonibus uehitur, ualidis impetu atq; feruore animalibus, quæ natura cœli eſt, cuius ambitu aër cõtinetur, qui uehit terram, quam ſub hoc nomine intelligi uetuſtas uoluit, autor Lucre. et ab eo Macrobius in Satur. Diodorus autumat à leonibus Idææ currum trahi, quòd ab ijs nutrita ſit. Varro dicit. Leonem adiungunt ſolutum atq; manſuetum, ut oſtendant nullum terræ genus eſſe tam remotum ferumq́;, quod ſubigi coliq́; non conueniat. Blandi.) compreſſa cauda ludibundi, quaſi uenienti aſſurgerent. nam crebrior caudæ motus animi atq; iræ index in leonibus eſt, ut poſt Ariſtotelem ſcribit Plinius.

Submiſere iubas, adytis gauiſa Cybelle,
Exilit, & pronas intendit ad oſcula turres.
Viderat hæc dudum ſumma ſpeculatus ab arce
Iuppiter, & Veneri mentis penetralia monſtrat:

Curarum

Curarum ſecreta tibi Cytheræa fatebor.
Candida Tartareo nuptum Proſerpina regi
Iam dudum decreta dari ſic Atropos urguet.
Sic cecinit longæua Themis: nunc matre remota

Iubas.) ceruices & armos ſubmiſerunt. nam leoni præcipua generoſitas eſt (ut refert Plin.) quom colla armosq́; ueſtiunt iubæ. Cybelle.) *Bacchius pes eſt ex prima breui & duabus ultimis longis. nam Cybella Phrygiæ ciuitas: & Cybellum Phrygiæ mons, ubi Mæonis & Dindymenæ filiam, quam parentes expoſuerant, aluerunt feræ, ut refert Diodorus. unde Deum mater Cybelle: et Cybellis nominatiuus apud Piſandrum legitur. caſtigandus eſt & Pompeij codex, in quo bis anapæſti dimenſione per ſimplex l ſcribit quomodo in altero geminanda liquida ſit, ne uir ille doctiſsimus falſa præcipere uideatur.* Gauiſa.) *aduentu filiæ.* Exilit.) *foras ſe proripit, in quo nimius matris affectus apparet, ut Dea quam nunquam moueri credidit antiquitas, ut Varro refert, unde ſedes circum eam figebantur, aduentu filiæ præceps eruperit.* Adytis.) *Adyta Græci uocant occulta et remota templa, quò præter ſacerdotes adire fas non eſt. auctor Cæſar. Verg. Aeneid. 2. Suſpenſi Eurypylum ſcitatum oracula Phœbi Mittimus: isq́; adytis hæc triſtia dicta reportat.* Intendit ad oſcula) *porrigit, & geſtum proni ad amplexus exprimit.* Turres.) *quibus Deæ uertex inſignis erat, ut ante diximus, cauſam reddit Oui. Quod primis turres urbibus ipſa dedit. nā ante fabricæ uſum mortales in editis natura locis ſe cōtinebant, & iјs pro turribus utebantur. Varro. quòd in capite turres habet, oppida ſignificat.* Viderat hæc.) *ſuperiora dedit Oeconomiæ, ut abſente matre, rapiendæ Proſerpinæ detur occaſio.* Speculatus.) *rectè. nā ſpeculari eſt ex occultò callidè quid obſeruare. cornix apud Oui. Abdita frōde leui, ſumma ſpeculabar ab ulmo.* A ſumma arce.) *ab æthere, qui ſublimior cœli pars eſt apud poëtas. Quin & editiſsimis quibusq́; urbium locis inſidens Iuppiter dicta factaq́; hominum, ſed imprimis regum ſpeculatur, ut canit in Iouis hymno Callimachus.* Monſtrat.) *aperit.* Mentis penetralia.) *receſſus, & intimas animi cogitationes, atq; ita explet heroici carminis legem, quom ad Deorum colloquia ſeſe attollit.* Curarum ſecreta tibi.) *Oratio Iouis ad Venerem, cuius initio beneuolentiam captat, quom dicit uni ſibi uel arcanos ſenſus committere: eiusq́; numen extollit.* Curarum ſecreta.) *ſollicitudines animi, quæ me torquent, quasq́; cæteros omnes*

neſ(præter te) cælatos uelim. Cytheræa. *Venus, à Cytheris inſula quinq; paſſuum millibus à* Malæa *diſtante.* Cytherus *ei Phœnicis filius nomen dedit, quom* Porphyris *antea diceretur, à præſtantia purpurarum, quarum illic erat captura.* Orta *mari primum Venus huc appulit, unde Cythereæ cognomen tulit. auctor* Solinus *&* Euſtathius. Fatebor.) *ingenue referam.* Verg. *namq; fatebor enim, quando hec te cura remordet.* Candida.) *pulchra.* Iamdudum. *à conditis ſeculis. quando præfinita ſunt hominum* Deorũq; *fata.* Papinius. *manet hæc ob origine mundi* Fixa dies. Ideo *quærunt* Philoſophi *liceat'ne* Deo *hodie decernere, & ex lege fatorum aliquid derogare: an maieſtatis diminutio ſit, & confeßio erroris, mutanda feciſſe.* Neceſſe *eſt enim ei eadem placere, cui niſi optima placere non poteſt, neq; propterea minus liber & potens eſt, ut inquit* Seneca. Ipſe *enim eſt neceßitas ſua.* Decreta.) *deſtinata, ut ita dicam.* Dari nuptum.) *iungi connubio.* Tartareo regi.) Plutoni. *Sic.) ut* Proſerpinam Pluton *ducat.*

Vrguet.) *inſuperabili quadã ui cogit. id eſt, neceßitate, quam ne Dij quidem ſuperant, ut ait* Lentulus *apud* Liuium. Fata *enim rata & fixa ſunt, et magna atq; æterna neceßitate ducuntur. idem* Plato, Platonicæq; *familiæ* Plotinus: Parcas Neceßitatis *filias eſſe ſcribunt, &* Mercurius *ille termaximus ait.* Fatum *rerum omnium parit initia:* Neceßitas *aũt cogit ad effectũ.*

Atropos.) *una* Parcarum, *quæ* Fati *neceßitatem ſignificat ab effectu* Græci *nominis, ut antè diximus, quia mutari non poteſt. inducit aũt* Iouem *arcana fatorũ prodere, quòd ea uetuſtas huic uni tantum* Deo *patere credidit. hoc argumento* Theocoſmus, & Phidias Iouis *ſimulacro, quod uterq;* Megarenſibus *elaborauit, ſupra caput* Parcas *adiecit, ut eſt apud* Pauſania. Panomphæus *etiam* Iuppiter *ab* Homero *uocatur &* Oui. *quaſi diuinationis auctor unicus. nam quicunq; uaticinabantur, & reſponſa reddebant ſiue* Dij, *ſiue mortales à* Ioue *futura diſcebant, & quidem uerè atq; ex fide. unde* Panomphæus. ὀμφὴ *namq; eſt fama, quæ nihil uani nunciat.* Alij Iouẽ *tradunt eſſe aërem diciq;* Panomphæum, *quòd aëre icto fit uox, quam* ὀμφὴν, Græci *uocant.* Cecinit.) *uaticinata eſt fore.* Themis.) *eruditè* Themin *ex hiſtoria dixit. Nam* Muſæus Antiphæmi F. *in eo poëmate, cui titulus eſt* Olympia *canit initio oraculum* Delphicum *penes* Tellurem Neptunumq; *fuiſſe, & cõmunibus auſpicijs pariq; poteſtate ab utroq; poſſeſſum: ipſamq;* Tellurem *per ſe reſponſa dare ſolitam,* Neptunum *uerò* Pythona *quendam ſtatuiſſe, qui uicem ſuam præſtaret, & ſortes ederet: deinde* Tellurem *ſua portione* Themidi *ceßiſſe, longè pòſt* Apollinẽ Neptuno

ſucceßiſſe

ſucceßiſſe, facta permutatione Pythonis, id eſt Delphorum Caluriæq́;. Sed Orpheus in hymnis ait. ipſam Themidem poſt hominum memoriam primã mortalibus oraculum demonſtraſſe, atq; ex antro Delphico uaticinari ſolitam, ab eaq́; Apollinem didiciſſe diuinationem. Themis itaq; nõ Apollo Deucalioni ſortem dedit, ut canit Ouid. in pri. met. in quo diſcedit à Philocoro. is enim tradit Themin in ipſo Deucalionis diluuio aſcenſo bouis tergo in Epirũ auectã, ac loco quo primũ appulſa eſt, Bucheta nomen dediſſe: uel (ut alij codices habent) Buchera, quod in Epiroticis Philoſtephanus affirmat.

Longæua.) *annoſa. nam cœli ac terræ filia per orbis initia redditur ab Heſiodo. Commendat autem perſonam Themidis Iupiter ab ætate, quo maior illi fides adhibeatur. nam ut ait Naſo. ſeris uenit uſus ab annis. aut annoſam certè dixit, ut ab altera Themide diſtingueret Euandri matre, quæ longè pòſt fuit, Carmentis alio uerbo dicta, ut apud Plutarchum.* Matre remota.) *abſente Cerere.* Inuade.) *occupa.* Fines Sicanos.) *Sicania Siciliæ quædam pars in finibus Agrigentinis: & amnis in ea Sicanus olim fuit, ut refert Apollodorus. Sed & inſula quandoque tota Sicania dicta eſt, à Briarei Cyclopis filio Sicano, Aetnæ fratre, ut teſtimonio Callatiani Dionis oſtendimus. Solinus tamen in Polyhiſtore. Sicaniæ inquit, diu ante Troiana bella, Sicanus rex aduectus cum amplißima Iberorum manu, nomen dedit.*

(Rem peragit tempus) fines inuade Sicanos:
Et Cereris prolem patulis illudere campis,
Craſtina Puniceos quom lux detexerit ortus,
Coge tuis armata dolis, quibus urere cuncta,
Me quoq; ſæpe ſoles, cur ultima regna quieſcunt?
Nulla ſit immunis regio nullumq; ſub umbris
Pectus inacceſſum Veneri. iam triſtis Erinnys
Sentiat ardores: Acheron, Ditiſq; ſeueri
Ferrea laſciuis molleſcant corda ſagittis.
Accelerat præcepta Venus: iuſſuq; parentis
Pallas, & inflexo quæ terret Mænala cornu,

Rem peragit tempus.) *Papinius. tempus agit rem. Sed uterq; uariauit illud Maronis: nunc tempus agi res. ex ſententia Stoicorum, qui locum actionis, opportunitatem temporis eſſe dicunt. tempus actionis opportunũ Græcè εὐκαιρία, Latinè uocatur occaſio, ut docet Cicero. Sed Ion Chius appellat*

καιρὸν, & nouiſſimum Iouis filium fuiſſe canit, id eſt, ſupremũ ſummumq́; Terent. Tempus rerum omnium eſt primum. Nam ſic nouiſſimum poſuit Ion, ut Vergili. ultimum. tu ſanguinis ultimus auctor. Ennius. occaſus iuuat res, id eſt, opportunitas tẽporis, ut Pompeius interpretatur. Illudere campis.) præpoſitionem nomini detractam uerbo dedit. Patulis.) diffuſis.

Craſtina lux.) inſequens dies. Detexerit.) aperuerit. Puniceos.) purpureos, à purpura, quæ prima commendatione Tyri tinguebatur apud Phœnicas, mutatis ſyllabis Pœnos appellamus: unde Punicus & Puniceus deriuatur. Phœnices aũt παρὰ τὸ φονᾶν, dicti ſunt, quòd initio cuiuſcunq́; generis appulſos homines pro uictimis ſtriebãt, inter naturæ miracula narrat Ariſtoteles. inde qui Phœnicibus proximi colunt Pherrhæbi, uulgò Phœniſſare, dicunt cede maculare. Sed Euſebius in temporibus, Phœniceus inquit, color, & una mutata litera Puniceus ab inuentore nomen ſortitus eſt, qui Bythiniam condidit, & Phœnicibus elementorum notas dedit. Coge.) nam quid non cogit amor? ut Verg. ait, & repetit Martialis. Armata.) inſtructa. nam dolos etiam Verg. arma dixit. et quærere conſcius arma. Dolis.) artibus. Tuis.) emphaticos, quaſi dicat pellacibus, ut illud Didonis apud Verg. Dum mea me uictam doceat fortuna dolere. nam ex eius ſtatu quæ loquitur, aduerſam ſignificat. Me quoq; ſæpe ſoles) ingenue de ſe fatetur. amator enim maximus fuit, ut eſt apud Plautum. Propertius. Iupiter ignoro priſtina furta tua. Vltima regna.) Tartara. Immunis.) Munus, onus etiam dicitur, id quom remittitur, uacationem præſtat, quæ inde immunitas appellatur. Hæc iuris ciuilis auctor Paulus. Sub umbris.) apud inferos. Inaceſſum Veneri.) præcluſum tibi. ſcribitur et inaccenſum. Erinnys.) Furiæ Verg. condita Erinnys Inuiſum numen terras cœlumq́; leuabat. Sentiat ardores.) amoris flammas. Acheron.) Inferni fluuius, de quo alibi ſatis multa, hunc aũt potiſſimum nominauit, ut indicaret, ne triſtitia quidẽ cõtracta pectora Veneris ictibus eſſe imperuia. aut certè, quòd unus Acheron ex Inferni fluuijs amaſſe dicitur, atq; ex Orphne Nympha Aſcalaphũ genuiſſe, ut eſt apud Oui. Alij ſic ordinãt, iã triſtis Erinnys Sentiat ardores: & Acheron, & Ditis pectora molleſcant tuis ſagittis. Eſtq; non minor amplificatio. nam Furiæ perpetuam uirginitatem ſeruauerunt. Sophocles. καλῶ δ' ἀεὶ παρθένους ἐρίννυς, id eſt, ſemper innuptas inuoco ſeueras Erinnydas. Papi. totidemq́; ſatis Acheronte nefaſto Virginibus iubet eſſe focos. Verg. Hunc mihi da propriũ uirgo ſata nocte laborem. quod ideo fingitur, quoniam nullis improborum donis emi poſſunt, ut ignoſcant.

ſcant. Seueri.) *dura.nam uulgò creditur hominum mores ex habitu cordis informari.& Ariſtomenis Andanei, qui toties Lacedæmonios bello fudit,execti cor ſetis obſitum,Herodotus inuentum tradit: quod etiam Plutar.& Arrian. affirmant.inde Tibul.Flebis,non tua ſunt duro præcordia ferro Vincta,nec in tenero ſtat tibi corde ſilex.* Molleſcant.) *duriciam deponant.* Laſciuis ſagittis.) *Amoris, cuius tela ſagittæ ſunt & faces,ut canit Tibullus.* Accelerat præcepta Venus.) *non reſpondet,ut numen inferius,ſed feſtinat,et ſtudioſe facit imperata.* Iuſſu parentis.) *Iouis imperio aliter abſurdum uideri poſſet uirgines & pudicas Deas Veneri comites acceßiſſe.quod in 3.Ceres obijciet. tantum mutata uoluntas: Iam Veneri & ſocijs iunctæ raptoribus itis.* Pallas.) *Mineruæ cognomẽ,* ἀπὸ τοῦ πάλλειν *id eſt,à uibrando.nam de ſummo Iouis capite concutiens arma proſiluit,ut canit Luca.ex fabula.uel ut Clemens Sidonius auctor eſt,quoniam Liberi patris à Titanibus diſcerpti cor palpitans Ioui detulit. alij Palladis appellationem ſortitam uolunt, quòd in Deorum tumultu Pallas ab ea Gigas extinctus eſt,cuius Actius in Eriphyla meminit. Pallas bicorpor anguiũ ſpiras trahit.aut ipſius Deæ pater Pallas,qui quom uolucer eſſet uitiare filiam contendebat,eius occiſi cute pro lorica uſa dicitur,atq́; in talaria pennas tranſtuliſſe.* Inflexo quæ ter. mæ. cor.) *Dianæ periphraſis, quæ frequenter in Mænalo uenatus exercet.Mænalus Arcadiæ mons eſt, et fluuius à Mænalo Lycaonis filio,ut ſcribit Stephanus.montis nomen numero multitudinis genus mutat,ut Taygetus Pangæus,& pleraq́;.* Terret.) *exturbat.*

Cornu.) *arcu,qui fit è cornu.Claudianus. eripuit trucibus Cortynia capris Cornua,ſubiectis eadem lenteſcere cogunt Ignibus, intendunt taurino mißile neruo. Diſcedit hic ab Ouidio Claud.is enim arcum dat aureũ Dianæ: corneũ Nymphæ, quom de Syringe ſcribens ait: poſſet credi Latonia ſi non Corneus huic arcus,ſi non foret aureus illi.*

Addunt ſe comites.Diuino ſemita greſſu
Claruit: augurium qualis laturus in orbem,
Præceps ſanguineo delabitur igne Cometes
Prodigiale rubens non illum nauita tutò:
Non impune uident populi,ſed crine minaci
Nunciat aut ratibus uentos,aut nubibus ignes.
Deuenere locum,Cereris quà tecta nitebant,
Cyclopum firmata manu, ſtant ardua ferro

Mœnia: ferrati poſtes: immenſaq́ nectit
Clauſtra Chalybs. nunquã tanto ſudore Pyracmon,
Nec Steropes conſtruxit opus: nec talibus unquam
Spirauere notis animæ: nec flumine tanto
Incoctum maduit laſſa ceruice metallum.

Addunt ſe comites.) hemiſtichium Maronis eſt. Diuino ſe. gre. Claruit.) nam quom Dij cœlitus aliquò ſe demittunt, manifeſta lucis ueſtigia poſt ſe relinquunt ſtellarũ modo, quæ longo tractu per aërem feriuntur, ut ait Lucre. Nonnulli nubem intelligunt, qua numina circumfunduntur, ne mortalibus oculis pateant. Oui. de Cerere. Egrediens nubem trahit. Prior tamen ſententia caſtigatior: ab Homero locus eſt, apud quem Pallas ab Olympo deſilijt, inſtar cometæ. eadem comparatione uſus eſt Apollonius Argonauticon. iij. Semita.) qualem Verg. expreſſit Aeneid. ij. tum longo limite ſulcus Dat lucem. Diuino greſſu.) quà Deæ curſum tenebant. Claruit.) effulſit. Stat. de Libero patre. Mitis iter longæ clarauit limite flammæ. et alibi Ipſe olim in terris, cœlo ueſtigia durant Claraq́ per zephyros etiamnum ſemita lucet. Cometes.) Græcè dixit: Latini crinitam uocant, horrentem crine ſanguineo, et comarum modo in uertice hiſpidam. Terrificum magna èx parte ſidus, atq́ non leuiter expiatum. nam magnarum cladium præuncium ſæpe fuit, ut ſcribit Plinius. Plura leges in naturalibus Senecæ quæſtionibus. Præceps.) qui lapſu uelociſſimo rapitur. Manilius de Cometis. Præcipites ſtellæ paſſimq́ uolare uidentur. Igne ſanguineo.) Cometæ multi uarijq́ ſunt, diſpares magnitudine, diſſimiles colore: alijs rubor eſt ſine ulla luce: alijs candor, et purũ liquidumq́ lumen: alijs flamma, et hæc nõ ſincera nec tenuis, ſed multum circa ſe uoluens fumidi ardoris. cruenti quidam minacesq́, qui omen poſt ſe futuri ſanguinis ferunt, ut ſentit Seneca. Laturus augurium fatalis.) nam ferè ſemper ingentia portendit mala, ut Diogenes opinatur, & infinitis propè documentis compertum eſt. Prodigiale.) nomen pro aduerbio. Tutò.) citra periculum. Impune.) ſine noxa. Crine minaci.) lugubri flamma, quæ mala portendit. Nunciat.) fore ſignificat. Aut rati. uen. aut nu. ignes.) Ventos ab ijs graues æſtusq́ ſignificari tradit Ariſtotel. nonnulli tamen ex antiquis codicibus habent: aut urbibus hoſtes. in quam lectionem tranſuerſus eo magis agor, quo nobis iſta prodentibus, Italia bellis atteritur, quæ multo ante ingruere cometæ portenderunt. & Papinius ait. Bella quibus populis quæ mutent ſceptra cometæ.

metæ. Manlius. Quin & bella canunt ignes, ſubitosq; tumultus. Quà.) ubi. particula Papinio familiaris. Tecta.) ſedes. à parte totum. Firmata.) legitur & fundata. utrunq; conuenit. Manu.) arte. Verg. Artificumq; manus. Cyclopes (ut antè diximus) famuli Vulcani fuerunt, ad quos omnia fabrilia opera quæ admirata uetuſtas eſt, retulit. Ita ab ijs Argiua mœnia constructa canit Papi. Chytum Cizyci portũ, Rhodius Apollonius. Theſſali generis homines fuerũt, ut ait Dellochus ἐγχειρογάστορας, ut eſt apud Strabonem, quia uentri uictum manu quærebant, appellati. Stant.) erecta ſunt, ut apud Verg. Marcellus interpretatur, & Ser. Clauſtra.) Camillus ærata oſtia habuit in domo, ut ſcribit Plinius. & ita Romanorum mores in Siciliam tranſtulit, ut Sophocles Atticos in Troiam, ubi Apollinem Agyieum coli dicit, Athenienſium peculiare numen, à cauſa quam refert Macrob. uel ab Agyiæo ex hyperboreis profecto, ut Bœo uates Pythia cecinit.

Chalybs.) duriſſimũ ferri genus eſt, quod primi Chalybes inuenerunt, ait Callimach. unde nomen Scythici generis Chalybes in Ponto ſunt prope Thermodontem, qui nudi ferrum continenter exercent. auctor Apollon. Verg. Dionyſ. Apher: et C. Balbus ij. ferrum primi fabricauerunt, ut ait Arrhian. ex Græcis nonnulli Alyzonum Alybumq; appellatione eoſdem indicari arbitrantur, atq; ita detracta prima litera dictos Alybas eſſe, ut alijs poſtea ſyllabis Chaldæi uocati ſunt. In Hiſpania Trogus Chalybem reddit amnem, qui ſui nominis populos alluat: qui cæteros ferri præſtantia longè ſuperent. Pyracmon.) Vulcani famulus, notus carmine Vergiliano. Brontesq; Steropesq;, & nudus membra Pyracmon. is appellatus eſt, ut Ser. placet: quòd à calenti incude nunquam diſcedat. nam Græcè πῦρ ignis, ἄκμων incus eſt. Steropes.) Heſiodus Aſteropem ſcribit, non Steropem, ſed qui noſtris exemplo fuit, Callimachus etiam Steropem. hic à fulgetra nomen ſortitus eſt, quæ στεροπὴ Græcè dicitur. Notis.) argumentis. Animæ.) uenti Græcè dixit, imitatione Maronis & Horatij. Verg. Quantum ignes animæq; ualent. Laſſa cer.) Cyclopum, quos poëta uult in conſtruendis ædibus laboraſſe. eſtq; Papinij ſenſus in equum maximum Domitiani. laſſum Steropẽ, Brontemq; reliquit. Laſſa ceruice.) languida. Perſ. Quidnam igitur tenerum & laſſa ceruice legendum? Papin. de Tauro per ætatem feſſo. Iam laſſa ceruice, & inanibus armis.

Atria cingit ebur: trabibus ſolidatur ahenis
Culmen: & in celſas ſurgunt Electra columnas.

Ipſa

Ipſa domum mulcens tenero Proſerpina cantu
Irrita texebat redituræ munera matri.
Hic elementorum ſeriem, ſedesq; paternas
Inſignibat acu, ueterem qua lege tumultum
Diſcreuit natura parens, ut ſemina iuſtis

Atria.) prima pars ædium, quæ continet mediam aream in quam collecta ex omni tecto pluuia deſcendit. dictum atrium, quòd à terra oriatur, quaſi atterrarium: uel quòd atrum ſit ex fumo culinæ. nam duobus illic tãtum ferculis maiores epulabantur, ut eſt apud Catonem. ſeu quòd id genus ædificij Atriæ primum in Aetruria inuentum eſt: hæc ex Feſto, Seruioq; accepimus, & alijs auctoribus. Ebur.) Barrus elephas alio uerbo dicitur. Horat. Quid tibi uis nigris mulier digniſsima barris. inde elephantorum dentes ebur, quaſi è barro. Claud. hoc ait Homeri imitatione, qui aulam Menelai ebore & electro fulſiſſe ſcribit. Culmen.) tectum. Trabibus ahen.) ex ære ſolidis. idq; mirum uideri nõ debet. nam thalamus apud Argiuos ab Acriſio Danaæ conditus totus æneus fuit, & Apollinis Delphici pene totum fanum: ſicut illud Palladis Lacedæmone, quod inde Chalciœcon appellabant: de quo Liuius, & Probus Aemilius. Aeneum quoq; Fori Traiani tectum Romæ fuit. Pauſanias auctor, & Ammianus.

Electra.) ubi in auro quinta argenti portio eſt electrum uocatur. quòd ſi quintam portionem exceſſerit, incudibus non reſiſtit. auctor Pli. nec audiendi ſunt ij, qui ſuccinum interpretantur, quom ſuccino nullus unquam uſus in columnis fuiſſe legetur. Surgunt.) attolluntur. Verg. Nauali ſurgentes ære columnas. hic uerſus eſt, ex quo Maronis aliud carmen Aeneid. pri. Vela dabant læti, & ſpumas ſalis ære ruebant. nauium roſtris interpretati ſumus, quæ ex ære fiebant, ut diſcimus ex Vitruuio Ruffo, Plinioq;. Suidas, embolon inquit uocant ex ære roſtrũ, quod extat è prora nauium. Verg. Aeneid. iij. tremit ictibus ærea puppis. Idem. x. Maſsicus ærata princeps ſecat æquora Tigri. nauis id nomen eſt, ab inſigni. Stat. Thebaid. 5. Ecce autem ærata diſpellens æquora prora Pelias intacti longe ſubit oſtia ponti Pinus. Cæſar belli ciuilis ſecundo. Cum claſſe nauium 16. in quibus paucæ erant æratæ. Maronis illud à nobis antea recitatum. C. Balbus, ut nos, expreſsit hunc in modũ. uolat immiſsis caua pinus habenis Infinditq; ſolum, & ſpumas uorat ære tridenti. Flaccus igitur Horatius, quom uellet longam nauem ſignificare & roſtratam firmamq;, Cyprian dixit: ut ærea accipiatur.

accipiatur. quod oppidũ Cypri Themeſe, æris olim metalla habuit, ut Strabo tradit. ex quo Cypros, ut Verrius ait, æroſa dicta eſt. Celſas.) *altas,* ἀπὸ τῶν κελήτων, *qui ſublimes equo uehuntur. hos celebrat in Olympicis Pindarus.* Mulcens.) *oblectans.* Tenero.) *ſuaui. Tenerum à* τέρεν *eiuſdem ſignificationis Græca uoce deducitur, inuerſis ſyllabis, autor Verrius.* Texebat.) *Commendat in puella lanificium, Romanorum ueteri more. nam nubentes quaſillum ſequebatur, & colus, ut ſcribit Varro. repetit et Plutarch. in quæſtionibus. Id erat argumentum pudicitiæ. nam quæ mulieres ijs ſtudijs occupantur, minime male cogitant. Expreßit & hoc in uxore Tarquinij, & Lucretia, in Faſtis Naſo.* Red. mu. ma.) *id eſt, ueſtem, quam reduci matri dono daret.* Irrita.) *Quoniam uoto fruſtrata neq; telas abſoluit, neq; matri largiri potuit.* Hic.) *hac in ueſte. Deſcribit argumentũ, quo telæ pictura conſtabat.* Inſignibat.) *pingebat.* Elementorum ſeriem.) *quo inter ſe ordine rerum ſemina diſpoſita ſint. Nam quæ* στοιχεῖα *Græci uocant, noſtri principia, rerum ſemina, primordia, initiaq́; appellauerunt: tum corpora genitalia, atq; materiem, ut ante diximus. et ab alendo elementa, quòd omnia gignant & alant, ut diſcimus ex Lucretio et Cicerone.* Sedesq́; paternas.) *cœlũ, quòd à Ioue Proſerpinæ patre, ceteriſq́; Dijs ſuperis teneri uetuſtas credidit, & nos accepimus: id quod affirmat Apule. ex Ariſtotele. Cœli ſupremus ambitus, ut Anaximenes, ex terræ natura cõſtat: ut Empedocles, ex aëre inſtar cryſtalli ab igne cõcreto: uel ut exiſtimat Ariſt. ex quinto quodã genere, quod ex illis quatuor corporibus nihil habeat.* Qua lege.) *quo fœdere.* Natura pa.) *Deus, quem naturam, mentem, fatũ, Iouem, multisq́; præterea nominibus appellari Stoici putant: & refert Seneca.* Parens.) *Expreßit etymum. quippe natura dicta eſt, quòd omnia gignat.* Diſcreuit.) *diduxit. Ouidius: Hanc Deus, et melior litem natura diremit.* Veterem qu.) *Principiorum moles ab initio confuſa fuit, ac informis, ut in Menalippe canit Euripides: id quod Chaos dixit Heſiodus. quod ex interpretatione Zenonis aquã ſignificat, quæ concretã materiem gignat: materies rurſus terram, & quæcunq; præterea ſunt.* Tumultum.) *diſcordiam. nam in illa rerum confuſione, Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis, Mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus: ut eſt apud Ouidium. Empedocles quoq; cecinit ex illo genitalium corporum incompoſito aceruo litem primo extitiſſe, mox amicitiam, atq; ita congeſtæ unitatis dißidium ſubſequutum.* Iuſtis.) *in ſedes conuenientes, & ſibi aptas.*

Diſceſſere locis, quicquid leue fertur in altum,
In medium grauiora cadunt: incanduit æther,
Egit flamma polum, fluxit mare, terra pependit:
Non color unus ineſt, ſtellas accendit in auro,
Oſtro fundit aquas, attollit littora gemmis.
Filaq́ue mentitos ſubter celantia fluctus
Arte tument, credas illidi cautibus algam,
Et raucum bibulis inſerpere murmur harenis.

Quicquid le. fer. in al.) Spiritus, & ignea pars eius æther, quæ pondus non habent, ſuperiora occupauerunt. eadem ratione ſol & reliqua aſtra, ſuos queq; curſus ſortita ſunt. quin & corpora, quibus caloris plus, humoris minus inerat, in auras pennis ſe ſuſtulerunt, quas alites appellamus. autor Diodorus. Fertur in al.) in ſublime tendit. Altũ Verg. etiam cœlum dixit: Maia genitũ demittit ab alto. In medium g. c.) Thales Mileſius orbem terrarum medium ſtatuit: ignem Philolaus, quòd is omnium autor extiterit. Thaletẽ ſequitur et Ouidiũ Claudianus. Ouid. Denſior his tellus elementaq; grandia traxit, Et preſſa eſt grauitate ſui. Nam quæ grauiora Claud. appellat, elemẽta grãdia dixit Ouid. Vtrunq; ſignificat illa corpora, quæ maximè bruta ſunt, & ad terræ naturam quàm proximè accedunt.

Incanduit.) Hylen quã materiem uocari diximus, ex aquis in ſe coactis exortã canit Heſiod. Ex eadem uero concretiore terram gigni: cui proximũ ſtatuit ætherem, quem nõ ſuo nomine, ſed amorem uocauit, quòd uterq; igneus eſt, ut apud ipſum poëtam Zeno exponit. Incanduit.) ardorem cõtraxit. & hoc ait ex Anaxagoræ ſententia Claud. Anaxagoram tamen coarguit Ariſt. Inde ſol etiam candidus appellatur, ut illo uerſu. Beato lumine uolitans, qui per cœlum candidus equitas. Eg. fl. po.) Summus omnium locus, & quaſi mundi totius arx, à Græcis æther non ab αἴθεσθαι, quod eſt flagrare, ſed ab alio uerbo ἀεὶ θεῖν, quod eſt ſemper currere dictus eſt, quòd æther aßidua uertigine rapiatur, ut reprenſo Anaxagora ſcribit Ariſtoteles. Aetheris uerò motionem flammæ poëta tribuit: quoniam ignis & mouet ſe, & cæteris motum præſtat, ut opinatus eſt Heracletus. Ignis enim figura procliuis eſt, & efficax ad impellendum. propterea nonnulli, ut eſt apud Themiſtium animam ex igne conſtare diſputant. Sunt & qui diſſerant, totius ignis illius conceptabulum atq; fontem, quem uocari ætherem docui, non ſurſum uerſus, ut eius apud nos ſcintillæ parteſq;,

ſed in

ſed in orbem niti, & ſuo circumactu cœlũ mouere, quod hic innuere uidetur Claudianus. Egit.) *mouit.* Medea apud Senecã: *Egiq́; ad imũ maria.* Parmenides, *calidum frigidumq́; principia rerum ſtatuit: id eſt, ignem qui moueat, & terram quæ ab igne formetur.* Rhemnius Fannius *in ponderibus:* Vacuus *quoq; ponderis æther* Indefeſſa *rapit uoluentis ſidera mundi. uel* Egit, *in ſublime pepulit.* Ouidius *in Faſtis:* Et *cœlum leuitas in loca ſumma tulit. aut* Egit *flamma polum, conſtituit.* Nam Plato *cœlum conſtare ſcribit ex igne, quatenus oculis uſurpatur: ex terra, quà tangi poteſt, ſtellasq́; ex omnibus quatuor elementis eſſe compoſitas. non tamen hæc ita eſſe exiſtimat, ut quæ orta occidunt, gignunturq́;, & tabi ſunt obnoxia, corpus immortale conſtituant. ſed ex igne cœlum eſſe, quia corpus æthereum lucidum eſt: è terra, quatenus occurrit ſenſui: è medijs, quia mediorum præcipuam recipit rationem.* Manlius Aſtronomicon *primo: Siue ignis fabricauit opus, flammæq́; micantes,* Quæ *mundi fecere oculos.* Trogus: *Si quæ mundi nunc partes ſunt, aliquãdo unitas fuit, ſiue illuuies aquarum principio rerum terras obrutas tenuit, ſiue ignis, qui & mundum genuit, cuncta poſſedit, utriusq; primordij Scythas origine præſtare.* Cenſorinus de Die natali: *Siue perpetuus, ſiue longinquus, inquit, eſt mundus, et in flammas abit, & uiciſsim ex flammis renouatur ac reſtituitur, durantibus tamen principijs nec recidere ad nihilum uideri poteſt, quod in ſe deficit, in ſe regignitur.* Fluxit.) Q*uum mixta prius eſſent omnia, ex humidis æquor effectum eſt, ex durioribus terra initio lutoſa, & quidem mollis, ea poſt indies magis magisq́; uentis & ſolis ardore torrefacta, ſublimis in medio pependit, ait* Diodorus. Stellas.) *Stellæ ſingulares ſunt, ut erraticæ quinq;, et cæteræ: quæ non admixtæ alijs, ſolæ feruntur. Sidera uero, quæ in aliquod ſignum ſtellarum plurium compoſitione formantur: ut aries, taurus, et id genus alia.* Cic. Q*uæ ſidera et ſtellas uocatis.* Accendit in auro.) *Alluſit ad illud* Maro. *Ferit aurea ſidera clamor.* Oſtro) *purpura. nam* Verg. *purpureum mare dixit. &* Hom. ἅλα πορφυρέοσσαν. *Oſtrũ uero è conchyliorum teſtis excipitur: & inde nomen.* Eius *color ſolis curriculo temperatur. nã ut quæq; regio plus minuśue ſolis radios ſentit, ita liuidus, ater, uiolaceus, aut ruber eſt, ut refer* Vitruuius. Attollit lit.) *ſupremos terræ margines, & oras.* Gemmis.) *lapillis, quos à gemmarum ſimilitudine ſic appellant. nam gemmæ propriè ſunt pupuli, quos primo uites emittũt.* Hoc *ait poëta, quoniã in maris rubri littoribus ad* Oceanũ *gemmæ reperiuntur.* Propertius: Semper *in* Oceanum *mittit me quærere gem*

mas. Subtercæl.) *Subijcienda hyphen eſt. nam diuerſæ uoces in unam coaluerunt. ut apud* Terent. *ſemperlenitas: apud* Verg. *ſubterlabentia, ante malorum, anteuolans: apud* Proper. *Semperamicitia: apud* Ouid. *Antemei.*

Fluctus men.) *maris undas effictas.* Verg. *Animũ pictura paſcit inani: uana ſcilicet & mendaci, quæ tantum ſpem tenus eſt.* Arte tument.) *undantes æſtus imitantur. Legitur & tremunt: utrunq; rectè.* Illidi.) *impingi ſcopulis. Nõ ſonant mollia, niſi duris illiſa ſint, ut ait* Poſidonius. *itaq; non auditur fluctus, niſi impactus.* Algam.) *maris excrementum, uulgo notũ, quæ tranſmarinis uitreis inſternitur.* Et raucum bibul.) *Expreſſit facticium nomen* Græcum, *quod eſt* φλοῖσβος. *in eo ſignificato ſonitus eſt, quem reciproci maris fluctus tollunt in harena: ut apud* Homerum Dionyſiumq́; *exponit* Euſtathius. Bibulis.) *ſiccis, & humorem ſorbentibus.* Harenis.) C. Cæſar *ſcribens de Analogia lib. pri. neq; cœlũ, neq; triticum, neq; harenam multitudinis ſignificationem pati monet: eiusq́; ſententiæ rationem longa* Frontonis *diſputatione* Gellius *explicat. Sed* Verg. *& alij poëtæ: eam cenſuram ſubire noluerunt, & harenas etiã pluraliter ſuo iure dicunt: ut hic, &* Aeneid. iij. *æſtu miſcentur harenæ.*

Addit quinq; plagas, mediam ſubtegmine rubro
Obſeſſam feruore notat, ſquallebat aduſtus
Limes, & aſſiduo ſitiebant ſtamina ſole,
Vitales utrinq; duas, quas mitis oberrat
Temperies habitanda uiris, cum fine ſupremo
Torpentes traxit geminas, brumaq́; perenni
Fœdat, & æterno conſtringit frigore telas.
Nec non & patrui pingit ſacraria Ditis,
Fatalesq́; ſibi manes: nec defuit omen.
Præſcia nam ſubitis maduerunt fletibus ora.
Cœperat & uitreis ſummo iam margine texti
Oceanum ſinuare uadis: ſed cardine uerſo,

Addit quinq; plagas.) *Terra in duo latera, quæ hemiſphæria nominãtur, ab oriẽte diuiſa ad occaſum, zonis quinq; diſtinguitur. mediã æſtus infeſtat, frigus ultimas: reliquæ habitabiles, paria agunt anni tempora, ut ſcribit* Mella. *Sed ipſum cœlum totidem cingulos habet. nam qualitas uel frigoris, uel caloris, quæ cuilibet cœli parti ſemel inhæſit, eandem inficit partem ter*

ræ,quã deſpicit ambiendo. Plagas.)*Eaſdem rectius faſcias appellari,Martianus autumat.* Notat.)*inſignit.* Mediam.) *plagam,quæ ſolis ardore torretur, ut inquit Cicero.* Obſeſſam fer.) *immodicis caloribus occupatam.* Subtegmine.)*filo,quod inter ſtamen currit. Idem trama uulgò dicitur.& apud Perſium:Mihi trama figuræ Sit reliqua. Ponitur & pro quocunq; tantum filo.Catull.Currite ducentes ſubtegmina, currite fuſi.* Rubro.)*ut torridam color indicaret.* Limes.) *obliqua terrarum regio, quæ ſecundum ſolis curſum dirigitur ad ſigniferi perpendiculum. nam Limus antiquo uerbo tranſuerſum ſignificat,ut Higynus in agrorum conſtitutionibus ait:unde limos oculos dicũt.Teren.Ego limis aſpecto.Plin.de leonibus: Nec limis intuentur oculis,aſpiciq; ſimili modo nolunt. Item limum, cinctum, quod purpurã tranſuerſam habeat:& oſtiorũ limina,quòd tranſuerſa locantur, ut Frontinus autor eſt.* Squallebat.) *continuis ſolis ardoribus.nam per eam ſol decurrit, ut multis uerbis Macrob. oſtendit.* Sitiebant.)*arida uidebantur.metaphora ſumpta ab ijs,qui labore aut æſtu nimio ſitim contraxerunt. Ouidius de Latona.Caret os humore loquentis, Et fauces arent.* Vitales.)*habitabiles propter temperiem.nam frigoris et caloris participes,animantibus & frugi uitam miniſtrant, quorum alterũ per ſe conſtare non poteſt.* Habitanda uiris.)*cultus & hominum patiens. Parmenides terræ partes habitabiles primus diuiſit in zonas,quas tropicas appellauit.eas nunc intelligit.* Traxit.)*ultimo loco ſtatuit.* Geminas.) *duas. Verg.Et gemini Atridæ.quamuis diuerſo partu ſint editi.* Torpentes.)*iniuria frigoris.* Fine.)*regione, aut texti margine.* Supremo.) *poſt quem nihil eſt.Supremum iuris ciuilis autor Paulus ait eum eſſe, quem nemo ſequitur.* Bruma perenni.)*perpetua.* Fœdat.)*inficit. aut (quod aptius eſt)aſperat.unde fœda tempeſtas: & oculi truces,fœdi.* Conſtringit.)*quæ natura frigoris eſt.Lucanus.Aſtringit Scythicum glaciali frigore pontum.Scribunt et exemplaria quædam Contriſtat, ex illo Maronis:Contriſtat frigore cœlum.* Nec non.)*prætereа.* Sacraria.)*receſſus, & intimas inferni ſedes.nam quod adyton Græci,nos penetrale dicimus,& ſacrarium.* Patrui.)*Plutonis,qui frater Iouis eſt,Proſerpinæ patris:Euhemerus autor,et Heſiodus. Patris autẽ mei frater, mihi patruus eſt,ut apud iuriſconſultos ait Modeſtinus.* Fataleſq; ſibi manes.)*Tartarum, quò fato trahebatur.* Omen.)*augurium quod ore fit,ut inquit Verrius, & Valerius inter antiqua exempla de ominibus indicem dedit.* Præſcia.) *quæ futuram cladem præſagiebant.* Subitis fletibus.) *obortis repente lachry-*

mis, ut omen faciant. Thyeſtes apud Senecam: Hymber uultu nolente cadit, uenit in medias uoces gemitus. Summo littore.)extremæ orbis oræ.

Sinuare.)Hoc ait ob flexus littorum, quæ abluit Oceanus. is enim non uno, ſed gemino ambitu terræ corpus omne circumfluit, & ab oriente duos ſinus, totidemq; ab occaſu refundit, ut eſt apud Macrob. Oceanũ.)Quicquid ex terra colitur, inſulæ modo mari circumfundi multi prodiderunt. id Barbari uocant Oceanum, Pelagus, et mare maius: qui ſedes habent in Aſia Græci, Atlanticũ, ut in uaria tradit hiſtoria Phauorinus. Oceanus dictus eſt, παρὰ τὸ ὠκέως ναίειν quòd incredibili celeritate curſum rapiat. Varro: Ergo inter ſolis ſtationem, & ſidera ſeptem Exporrecta iacet tellus, huic extima fluctu Oceani interior Neptuno cingitur ora. Vitreis uadis.) Aquarum epitheton uitreus eſt. & in aquis habitantes Nymphas, uitreas appellamus. Papin. Vitreæ iuga perfida Circes. nam Lactantius autor eſt, Circem poſtquã ab humanis exceſſit, Maricam Minturnenſium numen effectam: inde Latinum, quem Circes apud Heſiodum, Maricæ filium legimus apud Verg. Hunc Fauno & nympha genitum Laurente Marica Accipimus. quod ſi Seruius obſeruaſſet, tot ambagibus in re aperta non uteretur. Maricæ præterea meminit Horat. & Mart. Ab eadem Campaniæ mons in Sueſſano Maricus, cuius meminit Agenius Vrbicus in controuerſijs agrorum. Texti.)ueſtis. Ouid. Illita Neſſæo miſi tibi texta ueneno. Cardine uerſo.)Cardo Latinè polus, id eſt, ſeptentrionalis orbis, circa quem cœlum uertitur. inde limes agrorum directus ad ſeptentrionẽ, cardo dicitur, ut docet Frontinus. item ferrum, circa quod ianua uertitur, appellatus quaſi cor ianuæ. Verg. Foribus cardo ſtridebat ahenis.

Senſit adeſſe Deas, imperfectumq; laborem
Deſerit, & niueos infecit purpura uultus,
Per liquidas ſuccenſa genas: caſtiq; pudoris
Illuxere faces. Non ſic decus ardet eburnum,
Lydia Sidonio quod fœmina tinxerit oſtro.
Merſerat unda diem: ſparſo nox humida ſomno,
Languida cæruleis inuexerat ocia bigis.
Iamq; uiam Pluton Siculas molitur ad arces,
Germani monitu, toruos inuiſa iugales
Alecto temone ligat, qui paſcua mandunt

Deas.) quas à Ioue miſſas propoſuit. Imperfectum.) non abſolutum. Laborem.) telas. infrà Claud. Diuinus perit ille labor: id eſt, opus. Purpura.) rubor. Infecit.) ſuffudit. Vultus.) ora. Niueos. Proſerpinæ laus, à candore. Per liquidas ſuccenſa genas.) Natura, quū quid ei occurrit honeſto pudore dignum, imum petendo ſanguinem penetrat: eo commoto, atq; diffuſo, cutis tinguitur, & inde naſcitur rubor. Plura leges apud Macrobium. Genas.) Ennius palpebras accipit. alij ſub oculis partes, ut eſt apud Pompeium. malas Pacuuius, hoc uerſu: Nunc primum opacat flore lanugo genas. Eaſdem (quod ſcribit Plin.) pudoris ſedem uetuſtas exiſtimauit. propterea genas à fœminis radi xij. tabularum interdicto prohibetur. Legis uerba memorat Cicero. Liquidas) puras. Hoc epitheton Verg. electro tribuit. Illuxere faces.) emicuit ardor. Caſti pudoris.) uirgineæ uerecundiæ. Non ſic decus ..ebu.) Comparatio Homeri, quam Verg. uſurpauit. Indum ſanguineo ueluti uiolauerit oſtro Si quis ebur. pòſt Ouidius, Statiusq́;, et Claudianus. Ouid. hic color aprica pendentibus arbore pomis, Aut ebori tincto eſt. Non ſic.) non adeò, nec in tantum. Ardet.) nitet. Decus eburnum.) color puniceus, quo pictores inficiunt ebur, ut illi gratiæ plus accedat. Verg. Quale manus addunt ebori decus. Analogiæ ratio poſcit, ut eboreum dicamus: ut à marmore marmoreum, à pumice pumiceum. ſed uſus admiſit eboratum, & eburnum. Verg. Humeroq́; Pelops inſignis eburno. quæ tamen ita diſtinguuntur, ut eboreū ſit ex ebore ſolidum: eboratū, ebore extrinſecus ornatum: eburnū, ebori ſimile. Hæc accepimus ex Chariſio.

Ebur.) Elephantum ſoli dentes ſunt, ut placet Herodoto: ſed et cornua, ſi Iubæ credimus. Fœmina Lydia.) nā Lydæ mulieres hoc inſtituerunt. Ouid. in Amoribus: Aut quod ne longis flaueſcere poßit ab annis, Mæonis Aßyriū fœmina tinxit ebur. Lydia uerò terra dicitur, ut domeſticus teſtis in primo Xanthus eſt, à Lydo Atys filio, Tyrrheni fratre, ut ait Herodotus. inde Lydus, & Lydæus, ut placet Stephano. Sed poëtæ Lydios etiā proferunt. Oſtro Sidonio.) Tyrio murice, qui primæ commendationis olim fuit. Papin. in Achilleid. Lactea Maſſagetæ ueluti cum pocula fuſcant Sanguine puniceo, uel ebur corrumpitur oſtro. Sidonio.) Sidon (ut Hecatæus in Aſia ſcribit) urbs Phœniciæ fuit, opus Aſſyriorum, quam à piſcium copia Sidona appellauerunt. nam piſcem Phœnices Sidon uocant, ut inquit Trogus. inde Sidonius indifferenti media deriuatur. Verg. Hic templum Iunoni ingens Sidonia Dido. Idem: Ad urbem Sidoniam puer ire parat, mea maxima cura. Sidonia præterea Troadis oppidum legimus. Tinxerit.) Inemen-

dati

dati codices habent texuit, nos tinxerit emendauimus ex antiquis exemplaribus, & Ouidio. Merſerat unda diem) Noctis interuentum deſcribit ex eorum ſententia, qui ſolem putant in Iberum mare, cũ ingenti undarũ fragore decidere: quod ex Poſidonio Strabo refert. Vnda.) pontus. Merſerat.) ſub aquas exceperat. illic enim ſol nocturnas ſtationes habere dicitur, ut in 2. Metamorph. tradit Ouid. Diẽ.) ſolem. Verg. Eripiunt ſubitò nubes cœlumq́; diemq́; Teucrorum ex oculis. nam quòd hic ſolem Verg. intellexerit, ſequens eius carmen declarat: Collectasq́; fugat nubes, ſolemq́; reducit. Et Lucretius. Lucida tela diei. ſolis radios appellauit. Ouidius: Siue die laxatur humus. Seneca: Prius extinguet ortus, referet occaſus diem.

Nox humida.) propriũ noctis epitheton. Verg. Et iam nox humida cœlo Præcipitat. & alibi: Humentemq́; aurora polo dimouerat umbram. Sparſo ſomno.) Somnus è ſuo cornu ſoporem ſpargit, ut canunt poëtæ. Papini. Thebaid. 5. Morituram amplectitur urbem Somnus, & in placido fundit grauia ocia cornu. Idem alibi. Cornu perfuderat omni Somnus. Et in nono: Manus hæc fuſos à tempore læuo Suſtentat crines, hæc cornu oblita remiſit. & in 6. Cornu fugiebat ſomnus inani. Inuexerat.) attulerat.

Ocia languida.) nã ſomno, præſertim nimio, membra ſoluuntur. Ouid. Incertum uigilans à ſomno languida moui Theſea, preſſuras ſemiſopita manus. Intellexit hoc Alexander Philippi filius: qui lecto ſtratus, ænea concha ſuppoſita, brachioq́; extra cubile protento pilam tenebat argenteam, ut quum neruorum rigorem ſopor laxaſſet, lapſæ pilæ tinnitus ſomnum abrumperet. Idem ſequutus exemplum Iulianus Romanorum princeps eſt, ut ſcribit Ammianus. Bigis.) curru, quem bini iugales agunt. Cæruleis.) atris. Molitur uiam.) parat egreſſum. Ad arces.) in ſummas terras.

Siculas.) alij ſcribunt ſuperas. & hoc, & illud accomodum. Germani monitu.) Hanc exornationem, reticentiam uocat Fabius. nam mandaſſe Iouem poëta quidem non propoſuit, ſed nos hic intelligimus. In hac figura frequens Homerus eſt, & Maro. Germani.) fratris. quanquam de gradibus ſcribens Varro, germanos dici propriè tradit, quos eadem mater ex alio atq; alio uiro genuit: eoſdem Septimius, & iuris ciuilis autores, uterinos appellant. Alecto.) Græcus caſus eſt. Eumenidas, quas Furias noſtri uocant, treis ſuo quanq; nomine recenſet Orpheus: Tiſiphonen, cuius antea meminimus: Megæram, de qua cõmodè referemus: et Alecto, quæ dicta eſt, ut Græci ſcribunt, παρὰ τὸ μὴ λήγειν, quòd nullum ſcelus inultum præte-reat. Inuiſa.) Maronis epitheton, qui de hac ipſa furia ſic ait: Odit et ipſe pa

ter

ter Pluton, odere ſorores Tartareæ. Et alibi: Inuiſum terras numen cœlumq; leuabat. Sed in priore Maronis uerſu, non uenerationis, ſed naturæ nomen eſt pater, ut cum ſequenti uerbo conueniat: Odere ſorores Tartareæ. Nam ſuo more Verg. duas & quidem diuerſas ſententias percurrit: hic Orphei, qui Furias Plutonis & Proſerpinæ filias in Hymnis canit, ut infrà demonſtrabimus. alteram paulopòſt Aeſchyli, quum ait: Hunc mihi da proprium uirgo ſata Nocte laborē. quippe Aeſchylus (ut propoſuimus) eaſdem Nocte genitas exiſtimauit. Ligat temone.) Iungit currui. nam temo pars currus eſt. Ouid. Aureus axis erat, temo aureus. Iugales.) equos, qui iuncti currū trahunt. Mandunt.) carpunt. Paſcua.) prata.

Cocyti, ſpacijsq; erebi nigrantibus errant.
Stagnaq; tranquillæ potantes marcida Lethes,
Aegra ſoporatis ſpumant obliuia linguis.
Orphnæus crudele micans, Aethonq; ſagitta
Ocyor, & Stygij crudelis gloria Nycteus
Armenti, Ditisq; nota ſignatus Alaſtor,
Stabant ante fores iuncti, ſæuumq; fremebant,
Craſtina uenturæ ſpectantes gaudia prædæ.

Cocyti.) infernæ paludis, de qua ſuprà. Errant.) Ad equorū naturam reſpexit, qui paſcendo uagantur, ut aliud item pecus. Verg. Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ. Spacijs.) Alluſit ad inane, quod immenſum ſtatuit Lucretius, & illic inferos eſſe quorundam ſententia dictauimus.

Erebi.) nunc inferni. de hoc repete, quæ ſuprà recitauimus. Nigrantibus.) caligine obductis. Stagna Lethes.) Lethe fluuius eſt Aphricæ, de quo Strabo, Lucanus, Plinius. Eadē appellatione alter inferni, dictus ab obliuione, quæ mortē ſequitur. & apud Græcos λάθη dicitur. Macrob. Philoſophorū ſententias rimatus, altiorē rei fabuloſæ cauſam reddit. ait enim, Hylen, quam materiem dici ſuprà docuimus, biſariam diuidi: in Nectar, quæ pars eius ſumma ſit, & puriſsima, deorumq; potus: & Lethen, quæ pars eius inferior atq; turbidior, animarū potus exiſtimatur. Anima quippe quū corpus ſubit, maieſtatem uitæ prioris obliuiſcitur, qua priuſquam truderetur in corpus, potiebatur, ſolamq; eſſe in corpore uitā putat. Marcida.) nam qui inde potant, rerum omnium obliti, inerti ocio langueſcunt: idcirco per operis initia uulgus iners animas appellauit. aut certe Marcida, turbida uoluit intelligi ex ea diſciplina, cuius ſuprà Macrob. aſſertor eſt. Trāquil

 læ.)

læ.)quæ moleſtarũ rerum memoriam tollit. aut tacitæ: Auſon. Et *taciti ſine labe lacus, ſine murmure riui. Spumant obliuia.) quæ illic ebiberant.*

Aegra.) *languida.* Verg. *Aut corpora ſaltu* In *terram miſere, aut ignibus ægra dedere.* Soporatis) Hoc *ait, quod ijs qui de Lethe bibunt, marcor & inexpugnabilis penè dormiendi neceßitas obrepit.* Orphnæus) Orphnæus *unus equorum* Plutonis, *qui quom Proſerpinã rapuit (ut* Orpheus *canit) quadrigis inuectus eſt.* ὀρφναῖος *apud Græcos nigrum ſignificat, et* ὀρφναίη *nigra, quod epitheton* Nocti *tribuit in* Hymnis Home. *infernalem quandã nympham* Orphnen *dixit* Ouid. *Aſcalaphus uidit quem quondam, dicitur* Orphne Inter *Auernales haud ignotißima nymphas* Ex *Acheronte ſuo, furuis peperiſſe ſub undis.* Crudele.) *nomen pro aduerbio.*

Micãs.) Micare *apud* Cice. *digitis ſortiri ſignificat, ut* Nonius *obſeruauit.* Micare *præterea equi dicuntur, quom incondito motu iubas & totum corpus excutiunt, & pedibus terram pulſant.* Verg. *in* Geor. *Micat auribus, et tremit artus.* Aethon.) Aethon *apud* Ouid. *unus è quatuor ſolis equis, ab effectu Græci nominis appellatus, quod urentem ſignificat.* Apud *Homerũ iugalis equus* Hectoris *eſt, eundem* Claudianus *haud incommode* Plutoni *tribuit. nã ſi rectè quidã philoſophi in noſtris corporibus inferos ſtatuerunt, non ne* Plutoni, *qui manium ſummus eſt,* Aethon *maximè conuenit, propter ardores irarum, cæteraſq́; cupiditates? & imprimis amoris, qui feruentißimus affectus eſt, &* Aethon *alibi dictus à* Claud. *Puer ilicet* Aethon *Proſilit.* Quid *ſi referamus ad auaritiam? quippe fames, quæ nunquam ſatis expleri poteſt,* Aethon *Græcè dicitur quod* Eriſichthoni *cognomen hoc ſit, ut* Heſiodi *teſtimonio ſcribit interpres* Lycophronis: *quom* Cereris *indignatione nullis unquam dapibus expleretur, ut eſt apud* Ouid. In *alijs omnibus codicibus* Etonis *extat, confuſo carmine & ſenſu.* Nos *quod maxime conuenire uidebatur, & numerorum lex exigebat,* Aethon *caſtigauimus.* Ocyor ſagita.) *uelocior iaculo.* Nycteus.) *ita uocatus eſt Antiopæ pater, eius quã uerſus in Satyrum* Iupiter *uiciauit, ut innuit* Ouid. Equi *nomen hic eſt, à nocte figuratum, quæ* νὺξ *Græcè dicitur. is nocturnus exprimi* Latine *poſſet, quem præſidem noctis deum* Plautus *accepit. nam ſeruus apud eum* Soſia, *quom noctem illam, qua* Iupiter *cum* Alcmena *concubuit, ſolito longiorem uideret, ita loquitur:* Credo *ego hac noctu nocturnũ obdormiuiſſe ebrium.* Martianus *item* Capella, *inter infernos deos eundem nominat:* Veiouis, *inquit, ac* Dij Publici *terquino ex limite cõuocãtur ex ultima regione, nocturnus, ianitoresq́; terreſtres ſimiliter aduocati.* Alaſtor.) Alaſtor, *ut autor*

eſt

eſt Aſclepiades, Nelei filius fuit, Neſtoris frater. Alaſtor item uocatur is, qui patrata cæde, ἐλαύνεσθαι, hoc eſt exulare atq; ex hominũ medio pelli dignus eſt. aut Alaſtor certe dicitur ab ἀλᾶσθαι, quod eſt errare, ſiue quod ἄλαστα, id eſt nefaria commiſit, ut Chryſippus interpretatur. Apollodorus ab ἀλιτεῖν uerbo deducit. id ea derelinquere ſignificat apud Græcos, quæ nec aquæ aſperſione, neq; dierũ numero tolli queũt. ut Alaſtor intelligatur, cuius animi labes nec diuturnitate uaneſcere, nec expiationibus ullis elui poteſt. Alaſtor etiã Iouis per epitheton nomen eſt, quòd eos ulciſcatur, in quos ἄλαστα cõmittuntur. Menander: Ὁ δαιμόνων ἀλάστωρ. Plutarch. in quæſt. Apollodori ſententiã omiſſo autoris nomine recitauit. **Ditis nota ſignatus.**) *Pecori notas inurere, uet9 inſtitutũ fuit. Nã Ariſtophanes in Nubibus Samphorã dixit equũ, quòd ſcilicet literã tergo inuſtã gereret. nã et hoc obſeruabatur, ut eius cuiũ pecus eſſet, prima nominis litera inureretur. Hoc aũt poëta confinxit, quòd Athenis Alaſtor, Aliterius, et Palamnæus in æs inciſa nomina ſpectabantur, autor Socrates. Aut alluſit ad Alaſtoris etymologiã, quã ex Apollodori interpretatione retulimus.* **Ante fores.**) *in ueſtibulo.* **Iuncti.**) *ſcilicet currui. nã qui curru uehitur, iungere equos dicitur.* **Sæuum.**) *Aduerbium, non nomen eſt.* **Fremebant.**) *Fremitus et hinnitus equorum uox eſt.* **Craſtina.**) *inſequentis diei.* **Prædæ.**) *futuri raptus, quem deinceps poëta contexet.*

PRAEFATIO LIBRI SECVNDI AD FLORENTINVM.

OCia ſopitis ageret quũ cãtib. Orpheus,
Neglectumq́ diu depoſuiſſet opus:
Lugebant erepta ſibi ſolatia Nymphæ,
Lugebant dulces flumina mœſta mo-
Sæua feris natura redit: metuensq́ leonem (dos.
Implorat citharæ uacca tacentis opem.
Illius & duri fleuere ſilentia montes,
Syluaq́ Biſtoniam ſæpe ſequuta lyram.
Sed poſtquam Inachijs Alcides miſſus ab Argis
Thracia pacifero contigit arua pede,

OCia ſop.) *Hæc elegia tota tua eſt Catulliane. nã agnoſces in te, quæ laudat in alio Claudianus. agit enim gratias, Florentino cuius re-*

centi liberalitate prouocatus,ad carmen redierat,anguſtia rei ſamiliaris intermiſſum,atq; ingenua atteſtatiõe,quicquid deinceps ſcripſerit amico acceptũ refert.Idẽ nos exẽplũ ſequuti ſumus.nã quũ tu nos inuidiæ telis eiectos,eius quã nemo bonus unquã uitare potuit(ex qua fortunã nõ dicã,ne uanus ijs qui rẽ neſciunt,aut arrogans uidear)opibus et officijs cumulatiſſimè iuueris:neceſſe eſt, ut nos itidẽ in te ornando, rationes omnes noſtras conferamus. Id aũt aſſequuti uidebimur,ſi ad eas animi dotes,quas tibi multas et propè ſingulares natura tribuit, bonarũ artiũ ſtudia,atq; certiſſima literarum præſidia,quæ uitam et tuentur,& illuſtrant,acceſſerint.Quod ut opera noſtra fiat, inſtitutis & grauioribus in dies commentarijs enixè ſeduloq́; curabimus. Orpheus.)Ex Apollonij carmine,Diodoroq́; Oeagri filius fuit,eius quẽ Pierus Lino patre genitus procreauit,ut inquit Charax. Aſclepiades ſcribens de Tragœdia lib.6.Calliopes ex Apolline treis enumerat liberos, Hymenæum, Hyalemum, Orpheaq́;.idem ſentit Pindarus, & Ouid. in amoribus, qui Linum canit ex eiſdem parentibus natum. Affert & antiquum Chæris elogium, quo filius Apollinis Orpheus approbatur et à Thracibus,qui Pieres appellantur,extinctus.Ammonius ab ijs potius eſt, qui Orpheo patrem Apollinem tribuerunt, quàm qui Oeagrum.quippe cũ muſicæ ſtudium, quo claruit Orpheus,Apollini maxime conueniat. undecim ſeculis ante bellum Troianum fuit, ut in Suidæ monumentis legimus. Multa, quæ ſcripſiſſe dicitur, ad alios autores referuntur. nam Orpheum poëtam nunquam extitiſſe,Dionyſius & Ariſtoteles pluribus argumentis oſtendunt.Odæ ad Ionem Tragicum,ſermones ab alijs ad Theognetũ Theſſalum,ab alijs ad Cercopem Pythagoricum,cuius in Deorum natura meminit Cicero.tametſi quorundam ſtultitia,qui Ciceronis opera nuper impreſſerunt,alijs apud eũ ſyllabis inuerſa dictio legatur.Oracula feruntur Onomacriti,item initia. Soteria Timoclei Syracuſani,aut Mileſij,certè Pergini. Crateras Zopyrus ſcripſiſſe creditur: Deſcenſum ad inferos Herodicus Perinthius, aut Orpheus Camarinæus.nã plures eodem nomine recẽſentur:et in ijs,ut ait Aſclepiades,Orpheus Crotoniates,Argonautici ſcriptor,qui cũ Piſiſtrato congreſſus Athenis eſt. Ageret ocia.)ceſſaret. Sopitis can.) omiſſo canendi ſtudio. translatio ſumpta ab ijs,qui ſomno depoſiti nihil agunt.primus autem Linus,ut tradit Plinius,ad citharam carmen compoſuit:quum prius aut aſſa uoce,aut tantum cithara canerent. Nymphæ.)Harum multa genera:Oreades,Dryades,Napææ,Naiades,et aliæ præterea, quas omnes intelligit. Solatia.)aurium delinimenta,& carminum ſuaui

tatem

tatem. Erepta.) ſublata, tacente Orpheo. Flumina mœſta.) triſtia, quæ & ipſa Orphei cantu oblectabantur. Sæua na.) priſtina feritas ingenij. itaq; manum porrigit ad hiſtoriam. Nam primus Orpheus barbaras ac ſine rationis cultu gentes, quasq; mitiores affectus nihil tangebant, ad ſenſum uoluptatis canendo mouit: inde bruta & inanimata citharæ ſono trahere dictus eſt, autor Macrobius. Et recte redit, ut quæ fugata prius Orphei cantu fuerat. Implorat opem.) mugitu poſcit auxilium. Citharæ.) quam primus Orpheus inuenit: alij Linum maluerunt. Horat. et Higynus Mercurium. Tacentis.) ab Orpheo non percuſſæ. Duri montes.) rupium periphraſis eſt. aut duros montes, intelligit inanimatos. Fleuere.) dura translatio. nā ſolis animantibus fletus, nec omnibus à natura tributus eſt. Iuuenal. molliſſima corda Humano generi dare ſe natura fatetur, Quæ lachrymas dedit, hæc noſtri pars optima ſenſus. Sylua.) arbores in agro Zonæ, quæ ciuitas Thraciæ fuit, ut ait Nicander. eas Orphei cantu tractas aſſerit Apollonius: argumento, quòd ita poſitæ ſunt, ut deinceps ſerie quadam ſuccedant. Lyram Biſtoniam.) Thracis Orphei. nam Thraciæ gens Biſtones, cui Biſton Martis (ut alijs) & Terpſichores: aut Ciconis, ut Philoſtephano placet, filius nomen dedit. Miſſus.) ab Euryſtheo, cui tantus uir iniquis fatis parebat. Argis.) oppido Peloponneſi, quod omnium primum Phoroneus regiam ſibi condidit, ut quorundam ſententia ſcribit Plin. Laudat et Argos à uetuſtate Sophocles in Electra. Hinc Argiuus apud Vergilium Sinon ita ſuſpirat: Nec mihi iam patriam antiquam ſpes ulla uidendi. nam Sinon Argiuus inquam fuit, ut ipſe de ſe fatetur apud Tryphiodorum, ἄργος μοὶ πόλις ἐστί. Argos mi patria eſt. Liuius: Argos, inquit, ipſos non uetere fama magis quàm morte Pyrrhi nobilitatos. Papin. Theb. 3. Quicquid & Aſopon, ueteresq; interiacet Argos. Ergo qui Caram Seruius intelligit, nemini docto placere poteſt, aut debet.

Inachijs.) Ambiguitatem ſuſtulit epitheto, ſequutus Homerum, qui ſemper idem facit. nam undecim urbium nomen Argos eſt, quas omnes exponit Stephanus. Quin et quæcunq; littoralis ciuitas, Argos dici poteſt, ut ait Euſtathius. Inachus aūt (quod ſcribit Solinus) Argiuæ nobilitati exordiū dedit: et fluuio nomen, quē proximus (ut alij) mons Lyrcæus, ut Hecatæus, locus in ſummo Pindo Lacmon fudit. Eundem perennes aquas habere negāt, ſed tantum pluuijs augeri, indignatione Neptunni, in quem de finibus cū Iunone contendentem, ſententiam tulit, autor Pauſan. Meminit et in Theb. Papin. Alcides.) Hercules, ab auo paterno Alceo, Andromedes & Perſei fi-

Io, ut cecinit Herodotus. Eadẽ ratione, qua dicitur Amphitryoniades, quũ Iouis fuerit. in quod iocatus feſtiuè Catul. eſt: Falſiparẽs Amphitryoniades. Thracia.) Oceanus duas habuit uxores, Pompholygen et Parthenopen. ex hac Europen & Thracen puellas ſuſcepit, ex priore Libyen et Aſiam, quas omnes orbis regionibus nomen dediſſe ſcribit Andron Alicarnaſeus. cũ Thrace Saturnus concubuit, unde Doloneus natus eſt, à quo Thracia gens Dolonei. Pede paciſero.) Nã quicquid infeſtũ terris fuit, Hercules ſuſtulit. unde uictor appellatus eſt, ut ait Plut. Deianyra apud Ouid. Reſpice uindicibus pacatũ uiribus orbẽ, Quà latã Nereus cærulus ambit humũ. Sed et ipſe Deus apud Senecã, ita cladẽ ſuæ domus expoſtulat: Ingrata tellus nemo ad Herculeæ domus Auxilia uenit? uidit hoc tantũ nefas Defenſus orbis?

Diraq́ꝫ ſanguinei uertit præſepia regis,
    Et Diomedæos gramine pauit equos.
Tum patriæ feſto lætatus tempore uates,
    Deſuetæ repetit fila canora lyræ,
Et reſides leni modulatus pectine neruos,
    Pollice feſtiuo nobile duxit ebur.
Vix auditus erat: uenti ſternuntur, & undæ:
    Pigrior aſtrictis torpuit Hebrus aquis.
Porrexit Rhodope ſitientes carmina montes,
    Excuſſit gelidas pronior Oſſa niues.

Diraq́; ſanguinei.) Equos habuit Diomedes admodum feros, et qui corporibus humanis paſcebantur. hos abegit Hercules, et ſimul Argos abduxit, cũ malis Heſperidũ baltheoq́; Hippolytes. Obiter expugnauit & populatus eſt Pylon, quũ Neleus ei portas clauſiſſet. autor Teleſarchus. Equos Iunoni conſecrauit Euryſtheus. eorũ genus prorogatũ uſq; ad Alexandrũ Philippi filiũ, tradit Diodorus. Alij etiam ulterius, uſq; ad Antonij tempora, qui triumuir conſtituendæ reipublicæ fuit. unde manauit Equus ille Seianus, calamitatis adagio nobilis, autor Gellius. Ab ijs præterea genus ducebant Argiui Diomedis equi, de quibus Aeneidos 1. Verg. Nunc quales Diomedis equi, id eſt, num ita feroces, ut illi Thraces, ad quos originẽ referebant. Nec omittã, ſequẽs hemiſtichiũ, quod ex ijs nemo quorũ ſententia edita ſit, aſſecutus mihi uidetur. nõ enim illic Dido interrogat, qua uirtute, quóue corporis et animi robore, ſed quantus, id eſt, q̃ magnus Achilles fuerit. nã ex fabuloſa Lycophronis hiſtoria, nouenis cubitis adoleuiſſe dicitur. Præſepia.)

ſepia.)omnia loca clauſa in quibus animalia conſiſtunt,præſepia dicuntur. Verg. in apũ mentione: Ignauũ fucos pecus à præſepibus arcent. Regis.) crudeliſsimi tyranni. aut intellige per hypallagen præſepia ſanguinea. Ouid. Vt qui Threicij quondã præſepia regis Fecerũt dapibus ſanguinolenta ſuis. Diomedæos.) Diomedes Tindã urbem Thraciæ tenuit, ut Plin. et Capella refert. Aduerſus hunc tanto diſcrimine pugnauit Hercules, ut Abderitũ ſuas delicias amiſerit, equorũ morſu diſcerptũ. à cuius illic humati nomine Abderã oppidũ condidit, ut Hellanicus autor eſt. Diomedes aũt Tydei filius, exciſa Troia Argo profugus, nouas ſedes in Apulia captauit, amiſitq́; ſocios, in ſui nominis aues conuerſos, ut queritur apud Verg. Nec hiſtoriæ fidem mutauit, ut Seruius autumat. nam & hoc à nonnullis traditur. Lycophron de Diomede, πικρὰν ἑταίρων ἐπτερωμένων ἰδὼν οἰωνομικτὸν μοῖραν, id eſt, Triſte ſuorũ comitũ qui uidit Fatũ, quos ſumptis tulit aura pennis. Ecce Diomedes ſuorũ cladem ſpectaſſe dicitur. Nec inficior, ab alijs poſtquã Diomedes ab humanis exceſsit, rem geſtã ſcribi: ſed & antè, facto ad inſulas naufragio, ut inter naturæ miracula retulit Ariſtoteles. Tum.) quũ Thraciã luſtrauit Hercules. Vates.) Orpheus, qui mira ſuauitate refertũ carmen ſcripſit. Lætatus.) gauiſus. Ouid. lætata corpora dixit extincta. Feſto te.) publica omniũ lætitia. Patriæ.) Thraciæ. nã Thrax Orpheus è Sithonia fuit, autoritate Plinij & Capellæ notiſsima. Repetit.) ut intermiſſa. Fila can.) argutas chordas. Deſuetæ.) qua diu nõ erat uſus. Pectine.) plectro. Verg. Et pectine pulſat eburno. Ebur.) Eburneũ pectinem, uel ipſam lyrã. Papin. Humeroq́; comãti Facundũ ſuſpendis ebur. Nobile.) uel operis argumẽto, et manu artificis: aut Orphei fama. Venti.) Magna Orphei laus, ab obſequio uentorũ, qui uiolenti ſunt & inexorabiles, atq; ita oſtendit nullũ tam immite, tamq́; aſperũ pectus eſſe, quod non muſicæ delinimentis capiatur. Sternuntur.) ponũt. Vndæ.) maris. Hebrus.) Thraciæ fluuius, autore Mella. cuius nuptias Abaris è Scythia uates carmine celebrauit. Pluuiis ac liquefactis anni tempore niuibus intumeſcit: ideo Iouis filius dictus in Hymnis ab Homero, quũ cæteris amnibus pater Oceanus tribuatur. Cantus ad Hebri ripas exercuit Orpheus, eiusq́; diſcerpti caput illuc abiectũ eſt, & in Leſbum delatum, ubi nauigantibus in Troiam Græcis, & poſtea regi Cyro reſpõſum dedit. plura Philoſtratus in Heroicis. Pigrior.) remiſſo curſu, ut Orphei cantu frueretur. Torpuit.) ſtupore defixus penè conſtitit. Torpor animi corporisq́; hebetatio, à torpedine piſce, cuius contactu corpus hebetatur, ut eſt apud Soſipatrem. Salluſtius, ipſum quoque uitium piſcis appellatione torpedinem dixit: unde uerbũ Torpeo. Aſtrictis.) congelatis.

latis .Rhodope.) De Rhodope Thracio monte repete, quæ ſuprà diximus.
Porrexit montes.) *A brutis animãtibus ſumpta metaphora: quæ, ut clarius auſcultent, auriculas arrigunt. Id à natura negatum nobis eſt. nam figurate dixit* Terent. *Arrige aures Pamphile. non ſecus ac* Verg. *Arrectisq́; auribus aſtant.* Montes ſitientes carmina.) *cupidos audiendi cantus.* Oſſa.) *de qua poëta, Theſſaliæ mons Pindo proximus: alter Italiæ, cuius meminit* Metrodorus. Populus.) *ex arborum genere uulgò nota, ſpectatiſsimè uiret in amnium ripis.* Ouid. *Populus eſt, memini, fluuiali conſita ripa.*

Arduanudato deſcendit populus Aemo,
Et comitem quercum pinus amica trahit.
Cyrrhæasq́; dei quamuis deſpexerit artes,
Orphæis laurus uocibus apta uenit.
Securum blandi leporem fouere Moloſſi,
Vicinumq́; lupo præbuit agna latus.
Concordes uaria ludunt cum tigride damæ,
Maſſylam cerui non timuere iubam.
Ille nouercales ſtimulos, actusq́; canebat
Herculis, & forti monſtra ſubacta manu.
Quî timidæ matri preſſos oſtenderit angues,
Intrepidusq́; fero riſerit ore puer.

Ardua.) *procera.* Naſo: *Populus alta comas.* Deſcendit.) *Orpheum ſequuta.* Nudato.) *detecto, ſublatis arboribus. idem dedit epitheton* Theb. 5. Papin. *à ſolutis (ut puto) niuibus: Et nudo iuuat æſtiuare ſub Aemo. Sed uterq́; ex hiſtoria affectauit. nam quum Gallorum gens à Caſſandro obſeſſa, Aemũ occupaſſet, omnes ſyluas cæcidit: unde in monte aquarũ inope noua fontium uis emerſit, ut diſcimus ex* Theophraſto. Aemo.) *Traciæ monte, in quem Scytharum rex Aemus ex homine mutatus eſt, quum Deos aſpernaretur, ut canit* Ouid. *Eiuſdem filius* Eridius *in Ponto nomen amni dedit, qui commodiore poſtea uerbo dictus* Iris *eſt, autor* Arrhianus. *Aemum* Stephanus *aut hunc, aut alium monti cognominem, Borea patre genitum prodit.* Quercũ.) *Berecyntiæ ſacra quercus erat, ut de Dijs ſcribens* Apollodorus *in. 3. refert. cauſam diſcimus ex* Callimacho, *canit enim Cybelẽ Iouis partu ſolutam, quà confertiſsimis quercubus Arcadia denſaretur. nam quercus in tota Arcadia tãta copia proueniunt, ut eius regionis incolæ Apol*

linis

linis oraculo Spartanis reddito, glandiuori dicti ſint. quod Epitomatis *hi-ſtoriarum primo ſcribit* Lepidus. *Amica.) ſ. quercui. nam utraque in tu-tela* Cybeles *eſt, ut de pinu iam docuimus.* *Laurus.) in quam migraſſe* Daphnen *Fabulæ tradunt, et* Naſo. *Venit apta) propius acceßit.* Verg. *Stellis ardentibus aptum. aut apta, facilis, quom* Phœbi *gratiam contempſe rit. atq; ita* Orpheum *præponit* Apollini, *quod fecit etiã* Statius: *Mitior & ſenibus cycnis, & pectine* Phœbi. *Orphæis uocibus.) Nõ* Orphæi *pater-no caſu, ſed* Orphæis *numero multitudinis, & forma poſſeßiua legimus, ut ſyllabæ ratio conſtet. ut in illo* Martialis: *Venit ab* Orphæo *cultor* Rhodo-*peius* Aemo. *Deſpexerit.) Hoc ait propter* Daphnen, *quæ* Phœbi *con-cubitũ fugit. notißima fabula, de qua nos alibi copioſe.* *Arces.) At qui lau rus, ut* Plinius *autor eſt in* Parnaſſo *ſpectatißimè uiret. proinde tu legas artes, & ad muſicæ ſtudium refer, quo* Deus *puellam ſibi conciliare non po tuit.* *Cyrrhæas.) Apollineas. cui* Cyrrha *uetuſtißima* Phocidis *urbs ſacra fuit, ut ſcribit* Strab. Papin. *in* Epicedio *patris: Neq; enim antra mouere* De*lia, nec ſolitã fas eſt impellere* Cyrrham. Pauſanias *ait:* Cyrrham *fuiſſe* Del*phicum nauale.* *Moloßi.) Canes ex* Epiro *præſtantißimi mittebãtur, a* Horatio *commendati.* Suidas *ait:* Moloßi *canes paſtorum.* Theopompus Epirum *in* 14 *gentes diſtribuit, & in ijs* Chaones, *&* Moloſſos *præſta-re dicit.* *Blandi.) ludibundi.* *Fouere.) complexu.* *Securum.) maxi-ma laudis amplificatio per hyperbolen. quod animal omnium timidißimum lepus, depoſito naturali pauore, canibus, & quidem uenaticis uitam credi-derit.* *Agna.) non imbelle tantum pecus, ſed etiam eius ætatis & ſexus, qui ſolet eẽ formidoloſior.* *Lupo.) animali ſuo generi infenſißimo.* Ouid. Pax *erit hæc nobis, donec mihi uita manebit, Cũ pecore infirmo quæ ſolet eẽ lupis.* *Damæ.) Sylueſtres capreæ.* Papin. *in* Achilleide: *Timidos paſſus me cuſpide damas Sternere.* Verg. *Ecce feræ ſaxi deiectæ uertice capræ.* Concordes *tunc alioqui natura fugaces, & quæ non niſi ſui generis amanti-bus inſueſcant.* *Tigride.) Tigres* Hyrcani *atq;* Indi *feruntur, ſed in* Hyr*cania ferociores ſunt, ut ſcribit* Plinius. *Varia.) ex omni ferè beſtiarũ ge nere ſolæ tigrides et pantheræ macularũ uarietate ſpectantur. inde* Seneca, *uirgatas tigres appellat.* *Maſſylam iubam.)* Maſſylos *Aphricæ contri-buit* Apollodorus: *eoſdem* Polybius *in* 7 *hiſtoriarũ* Maſſules *mutatis ſyl-labis appellauit. inde* Leones *inſigni magnitudine mittebantur: ex quo poë tæ, quoniam uolunt ingentes & generoſos leones indicare,* Maſſyli *generis eſſe dicũt:* Papin. *Maſſylo frangi ſtupuere ſub hoſte iuuencæ.* Mart. Maſſyli

leo fama iugi. Canebat.) Rectè. *nã uates erat, & muſicus.* Nouercales *ſti.)* *quibus in* Herculem Iuno *excitabatur, ut eſt apud* Senecam. *uel ærumnas intelligit, quas* Hercules *à nouerca pertulit: ſumpta à bobus translatione, quos inter arandũ ruſtici ſtimulis increpant. Eſt autem ſtimulus, haſta ferreo mucrone præfixa.* Tibul. *Aut ſtimulo tardos increpuiſſe boues.*

Monſtra.) immanes feras, et crudeles tyrannos, quibus nihil monſtroſius. Subacta.) domita. Manu forti.) magna uirtute. nã præcipua uis hominis in dextra eſt. Inde inſtitutum, ut eandem fidei pignus porrigamus: autor Callimachus, & M. Varro. *Qui.) quomodo.* Horatius: *Qui fit Mœcenas. Preſſos an.) ſerpentes, quos* Hercules *à* Iunone *immiſſos apprenſis utriuſq; faucibus extinxit in cunis: autor* Diodorus *quod exprobrat apud* Ouid. Deianira: *Te'ne ferunt geminos preſſiſſe tenaciter angues? Cũ tener in cunis iam* Ioue *dignus eras. Timidæ matri.) Alcmenæ.* Zeuſis *Herculem fecit infantem dracones ſtrangulantem, Alcmena matre coràm pauente, &* Amphitryone: *Plinius. An timidã magis dixit, quod* Herculẽ *initio expoſuit, indignationem* Iunonis *uerita, ut ſcribit* Diodorus. *utrunq; conuenit. Preſſos.) eliſos. Puer.) infans, et in cunis. Intrepidus.) ſecurus & imperterritus. Riſerit.) Seneca in Hercule furente: Igneos ſerpentum oculos remiſſo pectore ac placido intuens, Arctos ſerenis uultibus nodos tulit. Ore fero.) truci uultu.*

Te neq; Dictæas quatiens mugitibus urbes
Taurus, non Stygij terruit ira canis:
Non Leo ſidereos cœli rediturus ad axes,
Non Erymanthæi gloria montis aper.

Te neq; Dictæas) Eleganter à tertia perſona tranſit ad ſecundã, atq; ab inſtituta narratione ad repræſentãdos Orphei *cãtus. nã ſuperiora ab ipſo poëta dicta ſunt, ea quæ ſequuntur uelut ab* Orpheo *dicta accipimus. Hac exornatione uſus eſt* Homerus Iliados 23. *Vergiliusq; Aeneid.* 7. *qui laudes* Herculi *canens ait: Vt duros mille labores, Rege ſub* Euryſtheo *fatis* Iunonis *iniquæ Pertulerit, tu nubigenas inuicte bimembres: reliqua illic.*

Taurus.) Is agrum Cretenſem *ubiq;, ſed ad* Tethrinẽ *fluuium potiſſimũ uaſtabat, quem indigenæ à* Neptunno *ſibi immiſſum aiebãt, quòd* Minos, *qui maris imperium teneret, nullo præcipuo honore deum coluiſſet. inde in* Peloponneſum *delatum taurum, unumq; fuiſſe* Herculi *inter duodecim certamina. Sed ubi in campos Argiuos demiſſus eſt, fugiens per* Iſthmum Corinthium, *in* Atticam *peruenit ad populum* Marathonium, & *alios in*

quos

quos ex curſu in:idit. deniq; Androgeum Minois filium necatum ex Marathone, deinde Theſeum in arcem taurum egiſſe, deæq; immolaſſe dicitur. hiſtoriã narrat Pauſanias. Vrbes Dictæas) *Cretam, ab eius inſulæ promontorio Dicte. Reprenditur à Strabone Aratus, qui Dictum uocat, & Idæ proximum ſtatuit. nam Agathocli fœminino tantum genere Dicten dici placet, à τίκτω uerbo Græco: quod illic Iouem deum mater edidit, aſſertione Cretenſium de Iouis puerperio audacter cũ Arcadibus contendentium, noto Callimachi carmine, quod alibi recitabimus. ibidem puerili ſpecie Iupiter effictus erat, ut qui cognomento Anxurus in Campania colebatur, ut eſt apud Vergiliũ.* Canis Stygij.) *Periphraſis Cerberi, cui nomẽ Homerus quidẽ non dedit, ſed ᾅδου tantum κύνα, id eſt inferni canem uocauit. quod hic expreßit Claudianus. Heracleæ propinquus in Ponto ſpecus eſt Acheruſius: quẽ foraminis cæci profũdo aduſq; inferna patere, conſtans apud accolas fama eſt. hinc ab Hercule Cerberus in lucem tractus dicitur. Arrhianus, Aconiti gramen, inquit, prius erat innoxium, deinde Cerberi ſpuma contactum ueneni uim traxit, quod perniciem Cimmerijs attuliſſe accepimus. ijs quum patrio more cibus eſſet humi pabulum, guſtato aconito, internecino mortis genere extincti ſunt. inde non illepidè quidam Rhetor iocatus in Herculem perhibetur: Nihil hoc nomine mortales ei debere, quod ab inferis extraxit Cerberum. nam ſuo fato iam functis, apud inferos obeſſe non poterat: hic autem diram uiuentibus herbam reddidit. Heraclea Tarenti præterea nomen fuit, ab Hercule, qui Tarentinos bello domitos in poteſtatem redegit: autor in naturæ miraculis Ariſtoteles. Hoc alieno dixiſſe loco fraudi non ſit, in Maronis gratiam, qui Tarento dedit epitheton ex hac hiſtoria: Hinc ſinus Herculei (ſi uera eſt fama) Tarenti. Nõ interponit iudicium ſuum poëta, non neſcius, hoc ut fabuloſum, inter ea quæ fidem non capiunt, Ariſtotelem conieciſſe. Si quibus autem commenticia, nec ulla ex parte accommodata Seruij ſententia placuerit, ijs equidem placeat nec ne noſtra, nõ ſatis laboro. Condonetur & hæc appendix Ouidio, cuius carmini tenebris (ut aiunt) Cimmerijs obuoluto, lucem dare tentauimus. Scribunt ex Græcis nonnulli, fuiſſe quendam adeò meticuloſum, ut ad Herculis nomẽ expauidus perhorreſceret, ut qui ſe ſatis tutum uix crederet etiam, quum profundißimam ſpecum ſubijſſet: unde prolato interdum capite, quum Herculem forte cõſpicatus eſſet, obduruit in ſaxum, quod [illegible] Vetuſtas appellauit. atq; in prouerbium formidinis, & quidem nimiæ conceßit, ut in Suidæ monumentis legimus, & apud Zenobium. Huc adeò ſpectant Naſo-*

nis uerſus ex 10 Metamorph. Nõ aliter ſtupuit gemina nece coniugis Orpheus, Quàm tria qui timidus medio portante catenas Colla canis uidit, quem non pauor ante reliquit, Quàm natura prior, ſaxo per corpus oborto. Nam quod hoc Ouidius deſignet, ſatis indicat uerbum timidus, ex Adagio loco nominis poſitum, quod apud Græcos etiam non extabat. id autem ſic in orationis ordinem uenit. Non aliter ſtupuit Orpheus, quàm timidus qui uidit &c. Nec illud te moueat à Suida Zenobioq́; mentionem Cerberi prætermiſſam, quam facit Ouidius. nam potuit Ouidius apud alios autores hoc legere, uel ipſe comminiſci, ut hiſtoriæ colorem daret. nam portentoſum mendacium uidebatur hominem hominis aſpectu obriguiſſe. ideo Græcani fabellam Romana grauitate temperauit. Non leo.) *Vaſtus hic & immanis leo fuit, & qui armis domari non poterat, Hercules obſeruato ſpeluncæ aditu, egredientem comprehendit, & ſtrangulauit. autor Diodorus, & Quintus.* Rediturus.) *Argutè. nã cælitus à lunæ globo lapſus eſt, ut ex Fabula ſcribit Achilles, eoq́; prior Nigidius, & Arati Latinus Interpres, & Lutatius in 2 Theb. inde Seneca: Leo flammiferis æſtibus ardens iterum è cælo cadet Herculeus. iterum dixit, quia ſemel iam lapſus inde erat in montẽ prope Nemeam, quem Callimachus, atq; Pindarus ab ipſius feræ caſu Apeſanta uocant. Nã Pythagoras eiusq; familiæ philoſophi: domos, agros, ſyluas, ſaltusq; gerere lunã dicunt, & in ijs quindecies maiora quàm quæ naſcuntur apud nos animalia, ideoq́; orbe medio lunam maculoſo plærunq; cerni. Diodori interpretem decepit analogia, qui Græca uerba de hoc ipſo leone ita tranſtulit: Verſabatur inter Mycenas ac Nemeam ſyluam circa montem, quem à caſu Tritonem dixerũt. Tu uerò ſcribe quem ab effectu Græci nominis Treton dixerunt, id eſt, perfoſſum. nam τρητὸν in Græcis Diodori codicibus, non τρίτων legitur. Idem leo Bembinites à Panyaſi Heracleæ primo dicitur, à Bembino urbe Nemeæ, cuius & Hellanicus meminit. ſed alij Bembinam ſcribunt.* Ad axes cæli.) *Nam Iunonis beneficio relatus eſt inter ſidera. uel in Herculis gratiam, quod eius primum certamen fuit, ut refert Higynus.* Aper.) *Hic & Calydonius eadem ſue nati ſunt. Scrofæ nomen Phæa, ſed à Cromyone Corinthi pago, ubi diuerſata eſt, Cromyonia uocitatur, ut tradit Strabo. hanc ſuſtulit Theſeus, ut eſt apud Plutarchum: Meleager Calydonium, Hercules Erymanthæum. Superiora ſcribit Phauorinus.*

Solus Amazonio cinctus Stymphalidas arcu
Appetis, occiduo ducis ab orbe greges,

Gloria montis Erymanthæi.) unde nomen aſſequutus eſt Erymanthus oppidum, mons et amnis Arcadiæ. Fluuium celebrat in Iouis Hymno Callimachus, amniumq; candidiſſimum uocat: montem Solinus & Euſtathius: oppidum Pauſanias. Leones quidem nullos, ſues uero multos, & præcipuæ magnitudinis illic naſci ex interpretatione Stephani canit Homerus: ut is quẽ uiuũ cœpit Hercules aſtu, quod narrat Polyænus: Verſabatur inquit, Erymanthæus aper in quadam uallecula niuibus oppleta, quod ubi animaduertit Hercules, ex eo uallis ſupercilio, qua maior niuium uis erat, feram iactis lapidibus inceſſabat, ita irritata dum in Herculem conatur irruere, incidens in altitudinem niuium, demerſaq; nullo negocio ab Hercule capta eſt, quam tergo impoſitam Mycenas detulit, & in media concione dimiſit, cum ſumma omnium trepidatione, ut canit Apollonius, & in primis Euryſthei, qui ſe conieciſſe dicitur in uas æneum. Solus.) ſine ſocio, uel unus omnium. quoniam certamen cæteri detrectarent. Cinctus arcu.) ſuſpenſo ex humeris arcu. atq; ita innuit Stymphalidas non ui, ſed arte domitas. Amazonio.) Scythico. Amazones enim (quod ſcribit Pherecydes) tris in agro Diantis urbes Scythiæ tenuerunt: Lycaſtiam, Themiſcyram, & Chalybiã. porrò Teutarus à quo iaculatione inſtitutus Hercules accepit arcus, Amphitryonis bubulcus & Scytha fuit, ut legimus apud Lycophronem. Alij malunt Eurytum, ſeu potius Rhadamanthum, cui mortuo Amphitryone, ut Plutarchus ait, Alcmena nupſit: Herculem ſagittis uti docuiſſe. Pythermus Epheſius de Themiſone Medico, Regis Antiochi delitijs, et qui ſibi nomen & Herculis habitum uendicabat, ad hanc ſententiam ſcribit: Arcum Scythicum ferebat & clauam. uidetur Herculis arcum uocaſſe Scythicum ab hiſtoria Teutari, quam narraui. Sunt qui cũ balthco detractum credant Amazoni, quam Rhodius Apollonius Hippolyten, nonnulli Diſlycen, & unus Ibicus nouam commentus hiſtoriam ex Britareo natam refert. Apud Diodorum legimus Amazonas uti ſolitas arcu uel auerſas, & in ipſa fuga. Pauſanias de Pentheſilea: Virginis ornatu ſtat efficta, geſtans arcũ Scythico perſimilem. Verg. Aeneid. 5. Victor habeto Alter Amazoniam pharetram. Trogus ait: Hercules Menalippen ſorori reddidit, & precium reginæ arma accepit. ergo Amazonio, qui fuit Orithyiæ Amazonum reginæ, ſi Trogum ſequimur. An magis arcus Scythicus ideo dicitur, quòd cum Iouis filius Scythes idem qui ſagittas inuenit, ut ſcribit Plinius, & alibi Claud. à parte totũ, Scythicum pelagus, Amazonium nominauit. Accipe (ſi placet) & aliam ſententiam, ut appetis arcu legas, & cinctus abſolutè. nam cinctus, expedi-

tus & ſtrenuus: ut contrà diſcinctus, mollis & effœminatus dicitur. hinc Auguſtus Cæſar, milites in quos animaduertebat diſcinctos in conſpectu ducis ſtare cogebat, ut ignominia notaret: ut Macedo Polyænus autor eſt.

Appetis.) uulneras. Diomedes apud Verg. Cæleſtia corpora demens Appetij. Nouauit aũt Claudianus hiſtoriam, quo uirtus Herculis amplior appareret. nam Stymphali uolucres nullo accepto uulnere, in Arctiada Martis inſulam migraſſe, teſtis eſt Apollonius: quippe quæ ferreas pennas, teliſq; imperuias haberent, ut Timagnetus, & Euripides in Phryxo tradit, quas cũ ſumma clade aduenientiũ iacularentur. id quod alibi Claud. hiſtricis exemplo, quem ſimilis fabula comitatur, ex fide traditum putat: Audieram memorande tuas Stymphale uolucres Spicula uulnifico quondam ſparſiſſe uolatu, Nec mihi credibilis ferratæ fabula pennæ Viſa diu: datur ecce fides. reliqua (quom uoles) apud eum leges. Stymphalidas.) Stymphalus, ut Homerus & Pauſanias, oppidum, fons, & palus Arcadiæ, quam aues quas ab ea Stymphalidas plæriq; uocant, Charon & Seleucus in Miſcellaneis, quod in aquis degerent, ploidas. Mnaſeas propriam ſcribit hiſtoriã. ait enim Stymphali heroicæ uirtutis uiri & Ornythæ puellæ fuiſſe filias, ab Hercule extinctas, quòd hoſtibus intra urbẽ receptis, portas ei clauſerant. Pherecydes uero uolucres putat, æneæq; tabulæ ſonitu ab Hercule pulſas ex Arcadia, teliſq; confoſſas, ut affirmat etiã Pauſanias. ut ſuperior illa lectio, Appetis arcu: hac autoritate defendi poßit. Et ſi Piſander extinctas ab eo non canit, ſed tantum fugatas. Aeneam tabulam Pherecydes Crotalũ Græce dixit, opus Vulcani, quod à Minerua Herculi datũ ferũt. Alijs placet ab ipſo Hercule fabricatum, quibus accedit Hellanicus. hinc Aëriſonus in Thebaide Papinij Stymphalus. Ducis greges.) Geryonis pecus intelligit, quod Diodorus, deq; Venatiõe ſcribẽs Oppianus, ab Erythæa abactũ dicũt. Ouid. Prodigiumq; triplex armenti diues Iberi Geryonis, quamuis in tribus unus erat. Hecatæus uerò contendit, Geryonem, cuius pecus abduxit Hercules, nihil ad Iberiam pertinere, ſed Ambraciã regno tenuiſſe. conſentit Arrhianus argumento taurorum, quos multos & inſigni mole corporis in Epiro ſe uidiſſe profitetur. Lycus uero Rhegynus, Epiroticos à Geryonæis manaſſe prodit, quos Hercule per Epirum tranſeunte, buſſequa nomine Larinus abegerit: ſiue (quod uero propius Proxeno uidetur) Hercules ipſe Ioui Dodonæo conſecrarit. unde ſint boues Larinæi, quos Apollodorus à Rhegyno Lyco diſſentiens, nõ à cuſtode, ſed à ſagina uocatos autumat Larinæos, quaſi dixeris altiles. Alij quoniam magnas habeant nares, cuiuſmodi in tota fere Epiro ſpectari tradũt. horũ meminit Ouid. 8. Metamorph.

Miſit

Miſit aprum,quanto maiores herbida tauros Non habet Epirus. Agias ait, Herculi cum duceret armentum per Arcadiam,boues aliquot à Neleo ſurreptos.hinc indignatum Herculem,Pylon ui captam diripuiſſe. Ab orbe occiduo.)ab Erythæa inſula Oceani,cui nomen dedit Erythea Geryonis(ut Pauſanias inquit)filia,quæ Noracem Mercurio peperit,Iberorum ducem, qui ſedibus in Sardinia captatis,ab eo Noram ciuitatem dixerunt.Erytheæ pabuli tanta lætitia eſt,ut niſi abſtinentia interpellata ſagina fuerit,pecora rumpantur.inde armenta Geryonis,quæ illis tẽporibus ſolæ opes habebantur,tantæ famæ fuere,ut Herculem ex Aſia prædæ magnitudine illexerint. Alexander Epheſius,& Euphorion, Herculem in Erythæam æneo lebete traieciſſe canunt.De hac inſula Plin.in 4.plura.

Tergeminiq; ducis numeroſos deijcis artus,
Et toties uno uictor ab hoſte redis.
Non cadere Antæo,non creſcere profuit Hydræ,
Non Ceruam uolucres eripuere pedes.
Caci flamma perit,rubuit Buſiride Nilus,
Proſtratis rubuit nubigenis Pholoë.

Tergemini ducis.)Geryonis,quem tricorporem fuiſſe tradunt Fabulæ: quoniam tres tantæ inter ſe concordiæ fratres erant,ut uno animo omnes regi uiderentur. Heſiodus ait,eundem Chryſaore patre natum ex Oceani filia Callirrhoë. Toties.)Epiphonema,ut illud Vergilianũ: Tantæ molis erat Romanam condere gentem.quod obſeruauit & docuit Quintilianus.

Antæo.)Antheus ſtatilit, filius Anthenoris,quẽ Paris amauit,& imprudens interfecit:unde ad declinandam cædis inuidiam, Spartam fugit ad Menelaum,quod apud Lycophronẽ legimus. idem nomẽ in Aeneida Verg. tranſtulit.Antæus alter, abſq; aſpiratione, Neptunni filius ex Terra ſuſceptus,ſexaginta cubitis adoleuit,ut autor eſt Pherecydes. Id diu fabuloſum uiſum eſt,antequam ſuprema eius oſſa Olympiam allata,miraculo fidem feciſſent. Plutarch.ait,Romanorum ducem Sertorium apud Tygennam oppidum Libyæ,effoſſo ſepulchro,quod incolæ Antæi dictabant, humanum cadauer inuſitatæ molis inueniſſe. Non profuit.)non opem tulit,quo minus ab Hercule procul à contactu terræ necaretur. Cadere.)Nam proſtratus,à Terra matre uires accipiebat,& quidem maiores.ea re cognita,à terra abſtinuit Hercules,& ſublimem domuit.Iuuenal. Ceruicibus æquat Herculis,Antæum procul à tellure tenentis. Palæphatus huic Fabulæ locum

datum

datum putat, quod eſſet implicandis explicandisq́; humi nexibus in palæſtra peritißimus. Hydræ.) Latinè dicitur excetra, quam Simonides nonaginta capita habuiſſe canit: Alcæus quinquaginta, ex quibus ſi quis amputaretur, duo renaſcebantur. hanc Hercules adiutus ab Iolao ſuperauit, qui reciſum continuo caput ſubiectis flammis inurebat Herculis iuſſu, ut eſt apud Heſiodum. Quidam ſcribũt Hydram fuiſſe Lernam, quam paludem ſiccarit Hercules. Socrates in Euthydemo Platonis: Sophiſtam, quæ præpoſita quæſtione ſyllogiſmorum captionumq́; laqueis catenatim ſuborientibus mortales inextricabiliter implicaret, ab Hercule ſuperatam. Non creſcere.) Nã cæſa capita numeroſius pullulabãt. Non eripuere.) quin ab Hercule comprenderetur. Volucres pedes.) plantæ pernices. Ouid. Crura nec ablatis proſunt uelocia ceruis. eandẽ Vergilius appellauit Acripedem, quaſi curſu cum uentis certaret. quanquam complexionẽ non agnouit Apronianus, qui legit Aeripidem, habentem pedes ex ære ſolidos, & indefatigabiles. Ceruam.) cornibus aureis, ut canit Pindarus, à Grammaticis tamen notatus, quòd in hoc animantium genere cornua fœmina non habeant. Sed & hoc ſuo iure poëtæ faciunt, ut Anacreon, & Sophocles, qui nutricem Telephi ceruam corrigeram uocauit: & Callimachus indifferenter omneis, & hãc ipſam de qua loquimur Seneca: Mænali pernix fera multo decorũ præferens auro caput Deprenſa curſu eſt. Dat et cornua Diodo. ex Hiſtoria. Nam quid impedit, ut ait Zenodotus, pro diuerſo regionis ingenio, non eundem corporis habitum ceruis informari? poſſunt hic cornua tantũ mares habere, alibi etiã fœminæ. id quod in elephantis deprehenditur in quibus utrunq; ſexum dentibus armari nemo non tradit. At Amyntianus, in India fœminas edentulas naſci prodit. Hercules hanc ceruam cæpit, ut alij retibus, ut alij ſomno depoſitam, ut alij curſu defatigatam. Caci flamma.) ſublatus & Cacus eſt Vulcani filius, qui ignem faucibus efflabat, de quo longum Maronis carmen extat. is ut refert Cælius quomodo à Tarchonte Tyrrheno, ad quem legatus uenerat miſſus à Marſya rege, unũ cum Megale cuſtodiæ foret datus, uincula fruſtratus ad Marſyam redijt, & præſidijs amplioribus occupato circa Vulturnũ & Campaniam regno, dum tractat etiam ea, quæ conceſſerant in Arcadum iura, duce Hercule, qui tum fortè aderat, oppreſſus eſt, habitauit locum, cui nomen Salinæ, ubi poſtea Trigemina Romæ porta fuit. autor Solinus. Nilus.) In Libya caput tollit, ut Duris autumat. alij conſtitutum non habent. Pauſanias ex quorundam ſententia refert, ex Eufrate manare, qui cuniculo conditus ſupra Aethiopiam

rurſus

rurſus exeat, & Nili nomen accipiat. certo anni tempore Aegypti campos inundat, & hymbrium uicem exhibet. quapropter à priſcis Aegyptijs, ſub Iouis appellatione, & numine colebatur. Parmeno Byzantius, Αἰγύπτιε Ζεῦ Νεῖλε, id eſt, Iupiter Aegypti Nile. Ex quo Tibul. in Genethliaco Meſſalæ: Te propter nullos tellus tua poſtulat hymbres, Arida nec pluuio ſupplicat herba Ioui. Quod hemiſtichiũ ſumpſit Ouidius, et ab eo Seneca Quæſt. natural. 4. Nemo aratorũ aſpicit cœlũ, nec pluuio ſupplicat herba Ioui: ut Ouidius ait. Ex eãd religione Pindarus epithetõ Nilo dedit: & Saturniũ dixit, ut Iouem deſignaret. Eſt & urbs ibidẽ Nilus, amnis ipſius ſacra ſedes, ut ſcribens de Aegypto tradit Hecatæus. Pluribus antea nominibus fluuius dictus eſt: Oceanus, Aegyptus, Aetos, Tritõ, deniq; Nilus à Cyclopis filio, cognomine Aegypti Rege, cui paternus auus Tantalus fuit: autor Hermippus. Rubuit.) effuſo ſanguine, quem purpureũ ſequutus Homerũ Vergilius appellauit. Buſiride) cæde Buſiridis. is, ut alij, Neptũni filius, ex Libya Epaphi: ut Agathon Samius, ex Anippa ſuſceptus, in Aegypti finibus Nilo uicinis tyrannidem exercuit, à Thraſillo monitus hoſpites Ioui immolabat, ut pluuias impetraret. Hercules ipſum domuit, ex Aphrica in Aegyptum profectus: eodem q; ſupplicio affecit Iphidamantem Buſiridis filium, Calbim preconem, atq; omnes crudeliſsimi ſacri miniſtros, ut de Nuptijs Iunonis in. 10. ſcribit Pherecydes. Negat Eratoſthenes ullũ in Aegypto unquam fuiſſe Buſirim, idq; totum confictum ait, ad indicandam loci inhoſpitalitatem. Proſtratis rub. nub. Pholoë.) Qui Amyrũ Theſſaliæ oppidum tenuerũt, initio Amyræi, mox Eordi, poſtea Leleges, demũ Centauri dicti ſunt, ut ſcribit Suidas in Genealogijs. quod ideo uulgatum Palæphatus arbitratur, quoniam primi conſcenſis equis fugientes tauros, & errore uagos inſecuti, increpando ſtimulis in unum locum compellebant, unde nomen ἀπὸ τοῦ κεντεῖν τοὺς ταύρους. nam eorũ terga proſpectantibus equo commiſſa uidebantur. Hercules optabat è Pelio monte Centauros eijcere, ſed ipſe prior iniuſtum bellum nolebat inferre. Curauit igitur, ut à Pholo ſuſceptus hoſpitio, præſtantiſsimi uini cadus promeretur: odore tracti Centauri uinũ rapere tentauerũt. Hercules occaſionẽ nactus, oẽs aut interemit, aut inde fugauit, ut Stratagematon primo refert Polyænus. Ceciderunt in prælio multi, quorũ nomina, quum uoles, apud Diodorum leges. Ipſe Pholus, quũ fratres humaret, miratusq; tam breuibus telis ingentes occidiſſe Centauros, Herculis arcum tentaret, lapſa in pedem ſagitta Hydræ felle tincta, extinctus eſt. inde monti, in quo ſepultus eſt, nomen permanſit. Pholoë.)

mons Arcadiæ, Pomponio Mellæ, Plinioq́;: ſed & Theſſaliæ, Diodoro. Pholus, inquit, Cẽtaurus à quo propinquus mõs dictus eſt. Papin. Achilleid. 1. Illum non aliàs rediturum ad Theſſala tempe Iam triſtis Pholoẽ, iam nubilus ingemit Othrys. Nubigenis.) *Centauris. Ixion (ut Euripides) Phlegya patre natus: ut Pherecydes, Aethone: niſi Phlegyas & Aethon unius hominis duo ſunt nomina, quod nõ legi. quum de medio ſuſtuliſſet Eioneum, cuius filiam nomine Dian uxorem duxerat, quòd is à genero debita promiſſaq́; munera ueteri more flagitaret, atq; ſuppoſito tigno in accenſam foueam excepiſſet, ab ea cæde (quum cæteris nec aquæ aſperſione, neq; ſuffitionibus, aut dierum numero tolli poſſe uideretur) à Ioue expiatus eſt. ſed is eam rem parũ gratam habuit, auſus ad ſtuprũ Iunonem prouocare. Dea cõmunicato cum Ioue conſilio, immiſit nubem, quam pro Iunone complexus Ixion Centauros genuit, & in ijs etiã Chironem, ut Suidas de rebus Theſſalicis primo ſcribit: quum Pherecydes & alij Chironem Saturni filium ex Oceani Phyllira ſuſceptum tradant.*

Te Libyci timuere ſinus, te maximus Atlas
Horruit, impoſito quum premerere polo.

Te Libyci timuere ſinus.) Iunonis hortos intelligit. hos ingens ad Atlantem Draco cuſtodiebat, & qui ſomno nunquam deponebatur, Ladon Apollonio dictus, eodem quo Theſſaliæ fluuius nomine. patrem habuit, ut Heſiodus, Typhonem: ex matre Terra, ut Piſander: ut Pherecydes, Echidna. Agrœtas grauiorem ſequutus hiſtoriam de rebus Libycis 3. ait hunc fuiſſe paſtorem, cognomentum Draconis ab aſperitate morum ſortitum. cuius inſigni pulchritudine greges quum Hercules abegiſſet, affinitas nominis fabulæ locum dedit, ut aurea poma ſubrepta dicerentur, quòd μῆλα *apud Græcos & ouis & pomi commune nomen eſt.* Sinus.) *Ambiguo uerbo uſus eſt, & littori ſerpentisq́; flexibus communi, ut anſam daret interpretationi, quam Plinius affert, & Solinus: æſtuarium maris eſſe adeò ſinuoſis littoribus tortuoſum, ut procul uiſentibus lapſus anguineos falſa uertigine mentiatur. cæterum præter arbores oleaſtro ſimiles, & aram Herculi ſacram nihil proferre, quod memoriã uetuſtatis propaget.* Libyci.) *Libya pluribus antea nominibus appellabatur: Oceania, Eſchatia, Coryphe, Heſperia, Ortygia, Hammonis, & Aethiopia, Cyrene, Ophiuſa, Cephenia, Eriaq́;, ut Polyhiſtor Alexander autor eſt. Demũ Libya, ab Epaphi filia cognomine, Aphrica ab Aphro Libys Herculis filio dicta eſt, ut quorundam ſententia tradit Solinus.* Te horruit.) *perculſus obſtupuit.* Atlas.) *ad hunc pro-*

fectus

ſectus eſt Hercules, quum didiciſſet à Nereo, ſe malis Heſperidum potiri non poſſe ſine Atlantis ope. ſed interim dum Atlas Herculi operam nauat, ipſe cœlum ſubijt. quumq; iam recepturus Atlas non uideretur, Herculis aſtu eluſus eſt. impetrat ut ille tamdiu cœlo ſuccedat, quo ad ferendo oneri puluillum ſibi aptet. atq; ita correptis malis, quæ proiecta humi iacebant, è ueſtigio uictor abijt. Hæc ex Pherecyde de nuptijs Iunonis 10. Hiſtoriæ tamen ueritas habet hoc: Atlas (ut Xenagoras autor eſt) ſiderum rationem primus inuenit, à quo edoctus Hercules ita ſecundas tulit, ut à primo non abeſſet, mox grauioribus ſtudijs auocatus, cœlum, id eſt Aſtrologiæ ſtudiũ Atlanti remiſit. Maximus.) Hoc epithetõ dedit etiam Vergilius: Cecinit quæ maximus Atlas. Eſt enim mons omnium in Libya maximus, ut ait Diodorus, & Plinius. inde illa Iuuenalis indignatio: Qui ſcit, quantũ ſublimior Atlas Omnibus in Libya ſit mõtibus. Ipſe quoq; uir Atlas ingenti corporis mole fuit. Ouid. Hic hominum cunctis ingenti corpore præſtans Iapetionides Atlas fuit. Alij maximum dici uolunt ab eruditione. nam ſphærã primus excogitauit, ut eſt apud Pliniũ. Quum premerere polo Impoſito.) quum ſuſtineres iniectum cœlum.

Firmior Herculea mundus ceruice pependit,
Luſtrarunt humeros Phœbus & aſtra tuos.
Thracius hæc uates, ſed tu Tirynthius alter
Florentine mihi, nam mea plectra moues,
Antraq; Muſarum longo torpentia ſomno
Excutis, & placidos ducis ab ore ſonos.

Mundus.) cœlum. Plin. Mundus, & hoc quod nomine alio cœlũ appellari libuit. Firmior.) quam ſuppoſito Atlante. Herculea ceruice.) humeris. Hercules autem quatuor cubitis & pede longior fuit, ut Heraclides Ponticus ſcriptũ reliquit, eius uero ſtaturam qua ratione Pythagoras deprehenderit, Gellius ex Plutarcho refert. Luſtrarunt.) pererrarunt, et ambiuere. Tuos humeros.) quibus fulciebantur. Hæc.) ſubaudi cecini. Thracius uates.) Orpheus. Sed tu Florentine.) Hic ætate Claudiani bonos omneis, quos præcipuè ſciebat indigere liberalitate ſua, ſuſtẽtabat. Is ne fuerit, an alter qui de Agricultura ſcripſit, affirmare nõ auſim. uerã (ni fallor) tẽporũ rationẽ ſecutus ab ijs diſſentio, qui Florentinũ hũc eſſe tradũt, ad quem Sidonius ſcribit: cũ Sidonius & Claudianus eadẽ tẽpeſtate nõ claruerint. Multo uero minus audiendi ſunt ij, qui Florentinũ nõ uiri propriũ,

ſed gentile nomen exiſtimant, et inde Florentinũ fuiſſe poëtam ſuſpicantur. Mihi.) ſcilicet, es. Alter Tirynthius.) Hercules. Tiryns oppidũ Peloponneſi, Hercule ciue & Homeri præconio nobile. nomen à Tirynthe Alcei filia, ſorore Amphitryonis: uel ab eiuſdem nominis puella, quam genuit Argus Iouis F. ut eſt apud Pauſaniam. prius Alica dicebatur à piſcatoribus, qui frequentes eò conueniebant. Antra.) ſpecus, ut Corytium, cæteraq́;. Muſarum.) Muſarũ duo genera celebrat Muſæus: alias ſub Saturno maiores natu, alias Iouis & Memoriæ filias. Torpentia.) ignauo quodam ueterno alligata. Longo ſomno.) diuturna ceſſatione. nam diu antè ſcribendi ſtudium omiſerat. Atqui Somnus Muſis amicus & gratus eſt. inde Corinthij rem diuinam Muſis et Somno faciebãt eadẽ ara, ſi Pauſaniæ credimus. Excutis.) ad carmen prouocas. Ducis.) extrahis. Sonos.) cantus. Placidos.) ſuaues. An potius placidos, quoniam nullũ maiorẽ homini fructum benigna Muſarum conſuetudo afferre poteſt, ut ait Plutarchus, quàm ſtudio ac diſciplina manſuefactam naturam, ut inde humanitatis hæc ſtudia memorentur.

LIBRI SECVNDI ARGVMENTVM

Poſtera quum primo nituere crepuſcula Phœbo,
Fraude Dionæa riguos Proſerpina ſaltus
(Sic Parcæ iuſſere) petit, confiſa ſororum
Præſidio. famulæ longo pòſt ordine Nymphæ.
Itur in æterno ueſtitos gramine campos,
Et prima ſub luce legunt, quum rore ſerenus
Albet ager, ſparſosq́; bibunt uiolaria ſuccos.
Sed poſtquam medio ſol altior aſtitit orbe,
Ecce polum nox atra rapit, tremefactaq́; nutat
Inſula cornipedum fremitu, curſuq́; rotarum.
Diffugiunt Nymphæ, rapitur Proſerpina curru,
Imploratq́; deas: uerùm reuerentia patris
Obſtitit auxilio. nam Iupiter æthere ſummo
Pacificas rubri contorſit fulminis alas
Confeſſus generum, Stygiaq́; Hymenæus in aula
Perſonat, & læti peragunt conuiuia Manes.

LIBRI SECVNDI PERIOCHA.

ALbeſcente iam die, qui noctem ſuprà deſcriptam ſequutus eſt, Proſerpina ſuaſu Veneris in campos Ennenſes egreditur, & ſecum Diana, Pallasq; & Nymphæ, quas ſtudio legendi flores, Vibonem uſq; progreſſas in agrum Brutium ſcribit Strabo. id quomodo fieri potuerit, intercedente rapidiſſimo freto, non planè uideo, niſi forte Siciliam ab Italia nondum auulſam, aut diuinitus aduolaſſe accipimus. Claudianus extra Siciliæ fines rem non producit, ipſumq; Plutonem quatuore quorum curru uectum, hauſta luce, ex compoſito liberam rapuiſſe ex agro Ennenſi, ſecumq; ad Inferos aſportaſſe narrat. ibi nuptiæ publica Manium lætitia celebrantur.

CL. CLAVDIANI DE RAPTV PROSERPINAE LIBER Secundus.

IMpulit Ionios præmiſſo lumine fluctus,
Nōdū pura dies tremulis uibrat ī undis
Ardor & errātes ludūt p̄ cærula flāmæ.
Iāq; audax animi, fideiq; oblita parētis,
Fraude Dionæa riguos Proſerpina ſaltus
(Sic Parcæ iuſſere) petit, ter cardine uerſo
Præſagæ cecinere fores, ter conſcia fati
Flebile terrificis gemuit mugitibus Aetna:
Nullis illa tamen monſtris, nulloq; mouetur
Prodigio, comites greſſum iunxere ſorores.
Prima dolo gaudens, & tanti conſcia furti
It Venus, & raptus metitur corde futuros,
Iam durum flexura chaos, iam Dite ſubacto
Ingenti famulos manes ductura triumpho,

A. IANI PARRHASII IN CLAVDIANVM DE RAPTV PROSERPINAE COMmentarius Secundus.

Dies nondum pura.) crepuſculum, quæ dubia lux eſt, in confinio noctis & diei. Lucan. Longa repercuſſo nituere crepuſcula Phœbo. quamuis aliter Seruius. Impulit.) *Nam incumbentibus ponto radijs tremulis & coruſcis, ipſæ undæ ſpectantium opinione mouentur. Ad antelucanos etiam ſpiritus referri poteſt, quos oriens ſol ex auris procreat, ex quo dictos à Græcis euros putat* Vitruuius, *ut ab huiuſmodi uentis excitati maris motu, ſoli, in quo uentorum cauſa eſt, poëta tribuerit.* Non *fugit hoc doctiſsimum poëtam* Catullũ, *cuius carmen eſt hoc:* Hi *qualis flatu placidũ mare matutino* Horrificans *Zephyrus procliuas incitat undas Aurora exoriente, uagi ſub lumina ſolis.* Fluctus Ionios.) *undas Ionij, quod Adriatici pars eſt, ut* Strabo *docet, &* Pauſanias. Ionio *nomen dedit* Ionius *Dyrrachij filius, quem imprudenter à ſe occiſum in mare proiecit* Hercules, *ut defuncti memoriam propagaret. autor* Appianus. Præmiſſo *lumine.) profuſis radijs.* Ardor.) *fulgor ſolis. alioquin æſtus mane non eſt.* Vibratur.) *tremit.* Vndis *tremulis.) criſpantibus, quom ſolis radios in repercuſſa aqua ualitare conſpicimus: aut quum læuis aura ſummas aquas perſtringit. Aut eſt hypallage, & erit ordo: Ardor tremulus.* Errantes.) *uagæ.* Ludunt.) *agitantur.* Catullus *in* Epithalamio Thetidis: *Fluctus ſalis alludebant.* Ouid. Et *in alludentibus undis* Summa *pedum taloq; tenus ueſtigia tinxit.* Audax *animi* Græca *figura, in qua frequens eſt* Lucret. & Silius, Papiniusq;, *et* Verg. O *præſtans animi iuuenis.* Oblita.) *immemor.* Fidei *parentis.) quam matri dederat. nam recepiſſe debemus accipere, ſe per eius abſentiam domi fore.* Fraude Dionæa.) *dolo* Veneris, *quam* Iupiter *ex* Dione *ſuſcepit, ut canit* Heſiodus. *unde* Venus *ipſa* Dionæa. Verg. Sacra Dionææ *matri, diuisq; ferebam.* Petit.) *adit.* Saltus.) *confertas arboribus ſyluas, ubi feræ ſaliunt, & enituntur.* Riguos.) *perennibus aquis.* Sic Parcæ *iuſſere.)* Parentheſis, *id eſt interpoſitio.*

Tunc.) *exeũte* Proſerpina. *Legitur &* Ter, *de quo numero ſtatim pòſt.*

Fores) *ualuæ, quæ foras uerſus aperiuntur.* Præſagæ.) *fatorũ conſciæ.* Nã & *ipſæ fores ſtridore, uel pedis offenſu, uentura prænunciãt.* Tibullus: Mihi *triſtia dixi* Offenſum *in porta ſigna dediſſe pedem.* Ter.) *Is numerus in augurijs obſeruabatur: et ad ſacra pertinet, ut ſcribit* Ariſtot. *in principio de* Cœlo. Sed & *augẽdi uim habet, atq; intentiua particula eſt.*

Heſiodus, τρὶς γὰρ μύριοι. Anacreon, τρὶς κεκορημένοι. Archilochus de Tha-

ſo, τρὶς δὲ ζυγῶν πάλιν. Ouidius: *Ter tecum conata loqui, ter inutilis hæſit Lingua, ter in primo deſtitit ore ſonus: id eſt, ſæpe.* Aetna.) *mons.* Conſcia fati.) *præſaga.* Manilius: *Conſcia fati Sidera. nam Aetna nonnunquam exuberantibus incendijs, ingruentia bella cladesq́; ſignificauit. &* Vergil. *inter oſtenta, quæ Cæſaris mortem ſequuta ſunt, addit: Vidimus undantem ruptis fornacibus Aetnā, Flammarumq́; globos, liquefactaq́; uoluere ſaxa.* Si Facti *leges, duntaxat ad præſentem* Proſerpinæ *caſum referas.* Gemuit. *Appoſitè lugubri uerbo uſus eſt.* Flebilè.) *aduerbium.* Terrificis mugitibus.) Horrendis (*ut* Vergilius *ait* ruinis. *Mugitus, ingenti ſpiritu miſſa tauri uox eſt.* Tamen.) *uerum.* Illa.) Proſerpina. Non tenetur.) *quo minus incepta peragat.* Monſtris. Monſtrum (*ut* Aelio Stiloni *placet) à monendo dictum, uelut moneſtrum, quod futurum monſtret, deorumq́; moneat uoluntatem. conſentit &* Aſinius Capito. Prodigiū.) *quod eadem quæ monſtrum prædicat, ut autumat* Verrius. *Vtrunq; poëta coniunxit. nam monſtrum præſentis ſignificationis eſt, prodigium futuræ.*

Sorores.) Diana, Venus, & Minerua, Iouis & *ipſæ filiæ.* Iunxere greſſum.) *ſimul profectæ ſunt.* Prima.) *cæteris alacrior, & quæ maiori ſtudio uiam capeſſebat. ut illud* Maronis: Prima quod ad Troiam pro charis geſſerat Argis. It.) *incedit.* Gaudens dolo.) *quod inſidiæ, quibus* Proſerpinam *captabat, ex animi ſententia ſuccederent.* Furti.) *raptus.* Metitur corde.) *præſumit animo.* Iam.) *tandem.* Flexura.) *quæ pelliciet ad amandum.* Durum chaos.) *indomitos ad eam uſq; diem manes.* Ductura triumpho.) Hoc *ex antiquo* Romanorum *more, apud quos parta uictoria duces urbem triumphali curru inuehebantur, atq; præ ſe captos hoſtes agebant.* Ingenti.) *claro.* Famulos.) Nam Romani *bello captos ſub corona uendebant, & ij ſerui dicebantur: quod belli iure quum poſſent occidi, incolumes ſeruarentur, ut apud* Iureconſultos Pomponius *ſcribit.* Eoſdem Claudianus *idem ſignificante uocabulo, famulos appellauit.*

Illi multiplices crinis uariatur in orbes,
Idalia diuiſus acu, ſudata marito
Fibula, purpureos gemma ſuſpendit amictus:
Candida Parrhaſij poſt hanc Regina Lycæi,

Illi.) *Deſcribit habitum dearum, & primum* Veneris. Crinis.) *Capillus: quod elegantius eſt, quàm numero multitudinis. nam frequenter capillū dicit* Cicero. Variatur.) *Antiquus codex legit, Sinuatur: utrunq; recte.* In orbes.) *eoſdē* Iuuenalis *appellat cincinos. & alibi de Veneris ornatu* Claudianus. *Largos hæc nectaris hymbres Irrigat, hæc morſu numeroſi*

dentis

dentis eburno Multimodum diſcrimen arat: ſed tertia retro Dat uarios nexus, & iuſto diuidit orbes Ordine, neglectam partem ſtudioſa relinquens.

Diuiſus.)diſcretus. unde diſcrimen. *Idalia.*)Gratiarum, quæ Veneris famulæ ſunt, & deam comunt. Claud. in Epithalamio Honorij de cultu Veneris: Dextra læuaq́; ſorores Stabant Idaliæ. ſ. Charites ab Idalio Cypri oppido, quod ab euentu nomen accepit. Nam quum dictio Chalcenori data eſſet, ut illic urbem conderet, ubi primum orientem ſolem aſpiceret: unus è comitibus ad eũ conuerſus, ἰδοὺ βασιλεῦ inquit τὸν ἅλιον. quo dicto monebat, ut Rex ſolem cerneret. Arrepto Chalcenor omine, ciuitatẽ ſtatuit, & ab ea uoce Idalium nominauit: autor Stephanus. *Acu.*)Quæcunq; nomina ſyllaba cus exeunt, maſculini generis eſſe Probus aſſerit in Catholicis: ut Marcus, ſaccus, porcus, truncus, lacus, acus. Vnde diminutio genus ſeruat, aculeus, nõ aculea. Iuuenalis tamen ait: Obliqua producit acu. Et alibi: Emerita quæ ceſſat acu. i. ob officio coſmetæ & ornatricis, quæ crines acu concinnat. Ouidius: Erudit admotas ipſe capillus acu. nã qui Iuuenalem de ſarcinatrice ſenſiſſe ſuſpicantur, à Muſis & Gratijs abſunt. *Fibula.*)Circulus eſt ex auro, argentóue, aut ære, notiſsima Columellæ autoritate. Sed in uſu cinguli fibula olim fuit, ut hodiéq;. Verg. Aurea purpureã ſubnectit fibula ueſtẽ. inde fibulare & diffibulare. Stat. Theb. 6. Torto chlamydẽ diffibulat auro. *Sudata.*)Metalepſis. ex ſudore enim laborem, ex labore magno argumento & arte fabricatam intelligimus. *Marito.*) Vulcano. ad hunc quæcunq; fabrilia opera admirationi erant, uetuſtas retulit. *Suſpendit.*)ab humeris, aut ab imis lateribus aſtringit, ſi cingulum placet accipere. nam cinguli pars eſt fibula. *Amictus purpureos.*) coccineam ueſtem. Sed ab alijs nuda pingitur. Auſon. Nec bis cincta Diana placet, nec nuda Cythere. *Poſt hanc.*)ſ. Venerem. *Candida.*)quam Græci πότνιαν, candidam noſtri uocant. Aratus, πότνια μαῖα. Verg. Candida Maia. nam quum dixit Ouidius, Candida Lampetie: Græcũ puellæ nomen interpretatus eſt. *Regina.*)domina. nam uenatus illic exercet, eademq́; ſyluarum potens eſt, ut ait Catullus. Reginam ſcriptorũ conſenſus admiſit: Analogia & Charyſio reclamante, nullo modo recipiendum: niſi Reginum dicere etiam uelimus. eſſe enim rectum uerbale à regno regnatrix, à rego rex, utroq; genere. *Lycæi.*)mõtis Arcadiæ, Dianæ atq; Inuo ſacri. De priore Papin. Illas è lucis Hecate ſpeculata Lycæis. de Fauno Verg. Panos de monte Lycæi. in quo olim templum nemini licebat ingredi: Plutarchus, & Higynus autores. Sed apud Plutarchum mendoſa dictio eſt in Quæſtionibus, Boccæũ

pro

pro Lycæo. Eſt & urbs eiuſdem loci Lycæa, de qua ſexto & quinquageſimo libro Theopompus. Sed eandem Menelaus Lycethan, non Lycæan nominat. Parrhaſii.) Nam Lycæus Atticæ locus etiam erat, à Lyco Pandionis, ut autor eſt Pauſanias. ubi Piſiſtratus, ut Theopompo, uel ut Philochoro placet, Athenienſes operis præfecto Pericle, gymnaſium condiderunt, quod inde Lycæum dicebatur. Hic inambulãs Ariſtoteles diſputabat, unde Peripateticum nomen manauit, ut in Academicis refert Cicero. Meminit huius Lycæi Lucianus in eo dialogo, cui titulum fecit Anacharſis: & Gellius in noctibus Atticis. & Metamorpho. 2. de Mercurio loquens Ouidius: Gratamq; Mineruæ Deſpiciebat humum. magna eorum hallucinatione, qui Arcadiæ montem expoſuerunt. Colebatur & Argis Apollo cognomento Lycius, hac ex cauſa: Danaus Aegypto profugus Argos appulit, ibiq; contra Gelanorem pugnaturus, in littore taurum caſu conſpicatus eſt cum lupo certantem. omen arripuit, atq; lupi ſibi perſonam induit, qui peregrè delatus ueteres incolas exturbaret. Itaq; pugnæ euentu expectato, quum ſuperior lupus extitiſſet, aduerſus Gelanorem qui tum rerum potiebatur inito prælio, uictor ex uoto Apollini Lycio ædem erexit, ac lupi contra taurum præliantis expreſſam ære effigiem in foro ſtatuit. hiſtoriam narrat in Pyrrho Plutarch. & Pauſanias, adiecta uictimæ ratione. nam taurus ex ritu religionis immolabatur. Inde uates Argiuus apud Statium Thyodamas ita Apollinem precatur: Nunc tibi crudus honos, cruda arma, cruorq; uirorum, At patrias ſi quando domos, optataq; Pæan Templa Lyciæ dabis, tot ditia dona ſacratis Poſtibus, & totidem uoti memor exige tauros. Azaniæ uero, quæ pars eſt Arcadiæ, Parrhaſij & Trapezuntij contribuuntur, ut legimus apud Stephanũ. qua de cauſa Papin. Azanas & Parrhaſios coniunxit: Venit & Idæis ululatibus æmulus Azan, Parrhaſijq; duces. Sed illud apud eum quæritur, cur Azanas Idæis ululatibus æmulos dicat. id nos ex Callimachi ſcriptis aſſequuti uidemur. ait enim, in Arcadia Iouẽ natũ, qua maxime quercubus denſaretur, & aquarũ penuria laboraret: Azaniã deſignãs, quam διὰ τὴν ἀζὴν, id eſt, à ſiccitate nominatã ſcribit Euſtathius. Hinc Azania prouerbio mala, dicũtur aßidua diuturnaq;, quòd ea regio ob inopiam aquarum labores agricolarum fruſtratur. Etſi Pauſanias ab Azane dictam mauult, quem ex Erato nympha genuit Arcas: & Arcades apud ſe natum Iouem audacter cũ Cretenſibus contendebant, ut teſtatur idem Callimachus in hymno Iouis, ζεῦ σὲ μὲν ἰδαίοισιν ἐν οὔρεσι φασὶ γενέσθαι, ζεῦ σὲ ἐν ἀρκαδίῃ πότεροι πάτερ ἐψεύσαντο, id eſt, Iuppiter aërijs quum te ſibi uendicet

Idæ Montibus, Arcadiæq́;, utri mendacia iactantẽ nã quicquid de partu Iouis à Cretenſibus fingitur, illud idẽ Cybeles ſacerdotes apud Azanas ululatibus & fanatico diſcurſu repræſentabant, oſtenſo etiam apud ſe loco, quod Rheæ puerperium dictitabant: ut eſt apud Callimachum. Redditur & à Philone Maßiliæ ciuitas Azan, & alia ab Herodiano Phrygiæ, ſed utraq; huic loco minus accommodata. Quin & Ouidius in 2. Metamorph. Arcadiã Iouis ex hac hiſtoria nominauit, quum ait: Arcadiæ tamen eſt impenſior illi Cura ſuæ. quamuis nihil alij ſuſpicantur. Parrhaſijs inditum nomen eſt à Parrhaſio Martis & Philonomiæ filio, quem cum fratre Lycaſto expoſitum lupa lactauit. is apud Ciliphum paſtorem adultus, materno auo Nyctimeno in Arcadiæ regnum ſucceßit, ut Zopyrus Byzantius hiſtoriarum 3. refert. Alij Lycaonis filio Parrhaſio cognomines arbitrantur. Nicanor ait, eandẽm regionem Parmaſiam prius appellatam à Lycaonis impietate, & inde mutatis ſyllabis Parrhaſiam.

Et Pandionias quæ cuſpide protegit arces,
Vtraq; uirgo ruunt, hæc triſtibus aſpera bellis:

Et Pand. quæ cuſp. prot. arces.) Mineruæ periphraſis. Quæ protegit.) quæ tuetur. Cuſpide.) haſta, quæ ſuum Palladis telum eſt. Autor obſcœni carminis: Enſe potens Mars eſt, haſta Minerua tua eſt. Arces.) quas antiqui Mineruæ conſecrauerunt, quod eam mundi mentem, atq; in ſummo capite ſedem habere credebant. Siue quòd, ratio quæ per eam deſignatur, reſp. & urbes amplificet, ut ait Capella. Plato ſcribit in medijs æditisq́; locis oppidi ſolitos ædes ponere Ioui, Veſtæ, Mineruæ, ſub quorũ tutela credebãt urbes eſſe. Dictæ uerò ſunt arces ab Arcadibus, q̃ munitißimos quoſq; colles, ſub Euandro tenuerũt, ut placet Solino: uel ab arcendis hoſtibus, ut Grammaticis. Pandionias. Athenienſes à Rege Pandione poëtarum carminibus & Græcis annalibus inclyto, cuius quatuor tantum filios Sophocles memorat, Aegeum, Lycum, Niſum, & Pallantẽ. Stephanus addit, Theutrantem Theſpij patrem, à quo Theutrantia turba. Theſpiades apud Naſonem, puellas duas ſuſtulit, in quibus infelix fuit, ut refert Pauſanias. ſucceßit huic Erechtheus, cuius ex Procride Cephalus gener, ut canit Ouidius in 6. Metamorph. Anceps apud Strabonem locus eſt, & qui non incurioſe legentibus inijciat ſcrupulum. Nam quum de prærupta illa petra ad Actiũ promontorium in ſinu Ambracio uerba feciſſet, Menandriq́; teſtimonio docuiſſet illinc Sappho ſeſe deieciſſe, ἀρχαιολογικώτερος *inquit, id eſt, qui conquiſitius.*

quiſitius antiqua ſcrutati ſunt (id enim Græca uox proprie ſignificat, non autem antiquiores, ut ab alijs conuerſa eſt) non Sapphò primam, ſed Cephalum ſaltaſſe prodiderunt, amore captum Ptarolæ Deionei filiæ. hæc ille. Equidem primum omnium Pterelam Taphiorum regem tradi ſcio, quem Neptunnus ex Hippothoē Meſtoris & Lyſidices filia ſuſcepit, Andromedes & Perſei nepte, ut Herodoti teſtimonio refert interpres Apollonij: uel ut alij, Neptunni ex Taphio patre nepotem. Aiunt enim, Neptunno patre Taphium genitum, unde ſit Pterelas: eundemq́; ab Amphitryone expugnatum, & ab eo (quod unus apud nos tradit Plautus) obtruncatum noui. At Pterelam puellam, uel (ut mea quidem ſententia apud Strabonem perperā ſcriptum eſt, Ptarolam nuſquam legi. quæ ſi profectò fuiſſet, ab illo præſertim Cephalo utriuſq; linguæ theatris decantato, tam perditè (ut iſti uolunt) amata, Græcorum aut noſtrorum monumentis aliquo pacto innotuiſſet. Ad hæc accedit, quod paulopòſt idem Strabo Cephalum Deionei filium fuiſſe ſcribit, quo patre Ptarolam iam natam dixerat. ut uerear ne Strabonis exemplaria mendoſa ſint, & librariorum uitio factum, ut apud cū præpoſterè legamus hiſtoriam. Suffragatur huic opinioni Demetrius Chalcocondyles, ut Athenienſis & Græcus homo doctiſsimus, & quem Gazæ diſcipulum ſtudiorumq́; ſucceſſorem poſsis agnoſcere: quippe qui Græcos etiam Strabonis codices inuerſos cottidie deprehendit, & hoc imprimis loco, ubi Græca ipſa Strabonis uerba perplexa confuſaq́; adeò leguntur, ut nullus integer ſenſus extet, & facile appareat eſſe erratum, quod (ſi liberæ coniecturæ locus detur) ita tollendum cenſuerim, ut dicat ab alijs tradi, illinc non Sapphò primam ſe deieciſſe, ſed Cephali Deionei captam amore Pterelæ filiam. Nam uir plurimæ lectionis interpres Lycophronis, quum res inter Teleboas Electrionemq́; geſtas diffuſè narraſſet, adijcit: Cymetho Pterelæ filiam, Cephali qui in caſtris Amphitryonis tunc erat, amore inductā, hoſtibus patriā prodidiſſe: cæteraq́; ijs ſimilia, quæ de Niſi filia traduntur. inde illa Naſonis in Ibin execratio: Filia ne' ue magis capiti ſit fida parētis, Quàm tua uel Pterela, uel tua Niſe fuit. ubi noſter Domitius maluit hiſtoriā confingere, quàm ueram laborioſius apud autores perquirere. nā nec Pterela Thebarū rex unquam fuit: nec à Creonte, ſed ab Amphitryone, nō Polydices, ut ipſe dicit, ſed Cymethonis filiæ proditione necatus eſt. Vtraq́;.) Pallas & Diana, quas dū Proſerpina raperetur, interfuiſſe Euripides in Helena canit, & Papinius Achilleidos. 2. Quales Siculæ ſub rupibus

Aetnæ Naiades Aetnæas inter Diana, ferox'q; Pallas, & Elyſij fulgebat ſponſa tyranni. Virgo.) *innupta.* Euphorion *tamen ait,* Tityum *apud inferos uitiatæ* Dianæ *pœnas dare.* Flagrauit *&* Orionis *infamia, cuius conſuetudine plus nimio delectabatur, ut eſt apud* Higynum. *Cum* Homero *conuenit* Claudianus, *qui treis tantum deas in hymnis memorat,* Palladem Veſtam, *&* Dianam, *quæ* Veneri *non ſuccubuerint.* Ruunt.) *puellari ſtudio ſe proripiunt.* Hæc.) *id eſt,* Minerua. Aſpera.) *cruda.* Bellis.) *quæ cum* Marte *curat, ut canit* Homerus. Auſonius: *Præſes* Tritonia *bellis.*
Triſtibus.) *crudelibus, aut luctuoſis.*

Hæc metuenda feris, Tritonia caſſide fulua
Cælatum Typhona gerit: qui ſumma peremptus,
Ima parte uiget, moriens & parte ſuperſtes,
Haſtaq́ terribili ſurgens per nubila gyro
Inſtar habet ſyluæ, tantum ſtridentia colla
Gorgonis obtectu pallæ fulgentis obumbrat.

Hæc.) *altera, ſcilicet* Diana. Metuenda.) *formidoloſa feris, quas agitat & uenatrix interimit.* Tritonia.) Pallas, *ut placet* Calliſtheni, *quod hæc dea* τρίτῃ μηνὸς *id eſt, tertia menſis die nata, qui feſtus* Athenis *tranſigebatur, ut* Romæ *quinquatria. An ideo potius appellata ſic eſt, quòd è patris uertice proſiluiſſe dicitur: & caput* τριτὼ Bœoti *uocant? Forſitan inde dicta magis ſit, quod eadem luna creditur, quæ tertio poſt coitũ die apparere incipit. Neq; non illud conuenit, quòd animos ipſa noſtros moderatur: quorum uis triplex, iraſci, cupere, & rationi obtemperare. Quid ſi propterea nomen accepit, quod aëri præſit. aëris porrò mutatio triplex eſt, uere, æſtate, hyeme. quippe uetuſtas autumnum non numerabat, quia propriũ nõ eſſe tempus exiſtimabant, ſed ex utriuſq; confinio conſtare.* Democritus Græce *quidem, ſed ad hanc ſententiam:* Minerua *mens eſt inquit, cuius munere bene conſulimus, recte iudicamus, nihil quicquam per iniuriam facimus.* Triton *præterea* Bœotiæ, Theſſaliæ, Lybiæq; *fluuius eſt: & ibidem palus, ex qua* Pallas *orta traditur ab* Herodoto, *patre* Neptunno, *quem* Græci *uocant* Hippion, *ut* Ariſtophanes *indicat, ex cauſa quam pluribus explicat* Verrius: *à noſtris* Equeſter *&* Conſus *appellatur, ut diſcimus ex* Dionyſio, Plutarcho, Seruioq;. *Sed is quum filiæ, neſcio cur, aliquando ſuccenſuiſſet, adoptandam'ſe* Ioui *dedit. Superioribus conſentanea* Mnaſæas *&* Harpocration *tradiderunt, niſi quòd eius matrem non, ut ille,* Tritonem,

ſed

ſed Polyphen Oceani filiam produnt, ipſamq; deam bigas, uel(ut interpretari Cicero maluit)quadrigas inueniſſe dicunt, indeq; Hippian Græcè *nominatam, quod in Suidæ monumentis etiam legimus. eſtq; frequens* Hippiæ Palladis *apud Pauſaniam mentio. Ad hanc hiſtoriam Papinius &* Deæ *cognomen alluſit, apud quem Thebaid. 2. Tydeus Palladem ſic adorat:* Seu tu libyco Tritone repexas Lota comas, quà te bijugo temone frementẽ Intemeratarum uolucer rapit axis equarum. *Triton autem(quod ſcribit Aceſander) Neptunno patre genitus eſt, ex Atlantis filia Celeno.* Cælatũ.)*ſculptũ.* Caßide fulua.) *aurata galea. Sidonius:* Aurato micat ære caput. Pythona.)*Pytho Phocidis ad Parnaſſum ciuitas, Apollinis oraculo clara, cuius in Argonautico meminit Orpheus et Theognis: appellata, quòd illic extinctus Apollinis arcu ſerpens extabuit, id quod* πύθεσθαι *Græci dicunt: Ozolisq; nomen dedit, ad quos eiectus traditur, ut refert Plutarchus. Etſi Miclus Neapolitanus urbi nomen inditum putat à Pythi puella, quam Melantho peperit ex Neptunno. Serpentem Callimachus & Elius Græcus autor, & è noſtris oratione quadam Tertullianus, Delphinem uocant à Delphis: quum Latini propemodum omnes, quibus eius nominis uſus uenit, atq; ex Græcis nonnulli, uno eodemq; uocabulo ſerpentem urbemq;, ſed alteram muliebri, alterum maſculino genere dicant. quod Hammonius etiam præcipit: ut explodendi ſint ij, qui Delphica Pytho, ſerpentis apud Tibullum nomen interpretantur. Plura de Pythone leges apud Strabonem. Sed hic ego Typhona ſcribendum reor. nam reſpexit ad peplum Claudianus, quod Athenis quinto quoq; anno maioribus Panathenaicis Mineruæ conſecrabatur, intexta deorum uictoria de Gigantibus, & expreſſa Typhonis cæde, quem Pallas in mundi dimicatione dicitur interemiſſe. Suidas in mentione Pepli: effingitur, inquit, in eo Gigas Enceladus, quem Pallas interemit. Verg. ad Meſſalam: Magna Gignantæis ornantur pepla tropæis Horrida ſanguineo pinguntur prælia cocco: Additur aurata deiectus cuſpide Typho, Qui prius Oſſæis conſternens æthera ſaxis, Aemathio celſum duplicabat uertice Olympum, Tale deæ uelum ſolenni tempore portant. Typho præterea Ditis per epitheton nomen eſt apud Orpheum, quo patre natas Harpyias Valerius Flaccus in Argonautico cecinit.* Qui.)*ſcilicet Typho.* Summa parte.)*laterum tenus, qua ſerpentibus homo committitur. nam ſerpentum crura Gigantes habuerunt.* Viget.) *etiamnum ſpirat.* Ima parte.)*pedibus ſerpentinis, qui multo difficilius humanis artubus occidunt, ut notum eſt.* Moriens.) *extinctus, ut conueniat cum ſu-*

periori uerbo Peremptus.nam præſens participium pro præterito poëtas uſurpare, Priſcianus obſeruauit: & docuit Papinius, Et caligantes auerſo ſole Mycænas. Superſtes.)uiuens. Haſta.)Palladi dat hanc Homerus, ad indicandum mentis acumen.nam mentem Palladis nomine uetuſtas coluit, ut demonſtrauimus. Per nubila.)per aêrem. Viden' ut hic uim mentis expreßit? Terribili gyro.)Nam Palladis apud Athenas haſta ſupra quatuor amplitudinem cubitorum effingebatur, ut tradit Pauſanias. Gyro.)ambitu. Quidam codices habent ferro, quod magis conuenit. Habet inſtar.)habet ſpeciem. Naſo: Sed ſcelus hoc meriti pondus & inſtar habet.

Syluæ.)arboris: pars à toto. Verg. Quales quum uertice celſo Aëriæ quercus, aut coniferæ cypariſſi Conſtiterant, ſylua alta Iouis. Tantũ.)ſolummodo. Obumbrat.)operit. Hoc ideo faciebat, ne quam comitum uerteret in lapidẽ, quod Iodamæ Palladis Itoniæ ſacerdoti dicitur accidiſſe. cui noctu ingreſſæ templũ, Pallas aſtitit: illa conſpecto Meduſæ capite, obduruit in ſaxum. hiſtoriam refert Pauſanias. Expreſſum Meduſæ caput in pectore ſigni Mineruæ, quod exciderit, ingruente in Græciam Xerxe: Clidemus autor eſt. Obtectu pallæ.)prætenta ueſte. Fulgentis.)nitidæ. nam purior ætheris & ſumma pars, Minerua fingitur. Colla ſtridentia Gorgonis.)Meduſæ caput, cuius aſpectu homines in ſaxa uetuſtas obduruiſſe finxit, ut indicaret imperitum uulgus, ad ea quæ prudenter & dicuntur & fiunt à ſapientibus, ita defixo uultu inhiare, ut admirationem ſtupore prodant, & præſenti corpore ſenſibus abeſſe uideantur. Eandem relaxatura Pallas animum deponit, documento, Sapientis eſſe curas interdum remittere, atq; ſeruata dignitate grauitatem diſſimulare. Fabulæ canunt, Gorgonas fuiſſe puellas, & ex ijs Meduſam à Perſeo Palladis ope obtruncatam. hiſtoriam narrat Pherecydes & Diodorus: percurrit Ouidius, & Orpheus in Hymnis, qui Meduſam non à Perſeo, ſed ab ipſa Pallade trucidatam ſcribit.

At Triuiæ lenis ſpecies, & multus in ore
Frater erat, Phœbiq; genas, & lumina Phœbi
Eſſe putes, ſolusq; dabat diſcrimina ſexus.
Brachia nuda nitent, leuibus proiecerat auris
Indociles errare comas, arcuq; remiſſo,
Ocia neruus agit, pendent poſt terga ſagittæ,
Criſpatur gemino ueſtis Cortynia cinctu.

At Triuiæ.)Dianæ: quæ Triuia appellatur, à triuijs, hoc eſt à compitis, quibus

quibus eandem præeſſe uetuſtas credidit. unde triformi ſpecie fingebatur. Ouidius in Faſtis: Ora uides Hecates, in tris uergentia formas, Seruet ut in ternas compita ſecta uias. Lenis ſpecies.) Alluſit ad lunæ colorem, qui blandus eſt, ut ſcribit Plinius. Multus in ore frater erat.) multũ referebat de forma fratris eius Apollinis. Hoc aũt dicit, quoniam ſolis et lunæ ſidera magna ſimilitudine coniunguntur. Eſſe putes.) credas: honeſta loquutio. Verg. Migrantes cernas. Genas.) malas. Lumina.) Peritè cõmuni uerbo uſus eſt ſplendoris & oculorum. Sexus.) à Græco, quid eſt ἕξις, & habitum notat, aſpiratione in s mutata: quod in alijs etiã pluribus uſurpamus. nã quod ἕξ illi, nos ſex: quod ἑπτὰ, ſeptem: quod ἕρπυλλον, ſerpillum dicimus, optima ratione. nã s Meſſalæ ſibilus, nõ litera uiſa eſt, & h item pleriſq;: ut non iniuria quaſi affines notæ ſibi cedant. Dabat diſcrimina.) differentiam. nam hoc tantum diſtabant, quod alter mas eſſet, altera puella. Simul alluſit ad ſidera. ſolis enim ſidus uirile, lunæ fœmineũ dicitur. Brachia nuda nitent.) Elegãs & concinna breuitas, qua decor & ornatus Deæ ſimul oſtenditur. Exertos, inquit, lacertos habebat & candidos. Proiecerat auris.) in uentos diffuderat. Leuibus.) Commune uentorũ omniũ epitheton Indociles errare.) conſtrictos aliàs, ac in nodũ collectos. Ouidius de comptu puellarum: Altera ſuccinctæ religetur more Dianæ, Vt ſolet attonitas quum petit illa feras. Remiſſo.) ne nimis intentus lenteſceret. Ouidius: Arcus & arma tuæ tibi ſint imitanda Dianæ, Si nunquam ceſſes tendere, mollis erit. Neruus.) in arcu chorda. Agit ocia.) ceſſat, ut ſuprà Claudianus: Ocia ſopitis ageret quum cantibus Orpheus. Pendent poſt terga.) ab humeris. Veſtis Corinthia.) Nõ me fugit, Corinthiæ ueſtis extare mentionẽ, cuius uſu Athenienſes ſuas olim matronas edicto multauerũt, ut eſt apud Herodotum. Sed hic nõ conuenit. ac ut maxime quidem conueniat, nemo tamen mihi unquam perſuadebit, minimè licentioſum poëtam uti ſyllabæ uenia, præſertim non neceſſaria uoluiſſe, ut contra præſcriptos numeros in Corinthia primam produceret. Equidem Cortynia legendũ puto, non à tenuiſſimo telæ genere, quæ uulgò Cortyna dicitur, ut nonnulli ridiculè ſuſpicantur: ſed ab urbe Cretæ Gortyna, patria Britomartis, eius quã Diana fertur unice dilexiſſe, cognomenq; Dictynnæ ab ea ſortita, ex hiſtoria Callimachi, quã Verg. apud nos percurrit in Ciri. nã uiſebatur illic opulentum Dianæ templũ donarijs & religione, cuius Probus Aemilius in Annibale meminit. Hinc autor obſcœni carminis: Pallas Cecropias tuetur arces, Cretẽ Delia, Cynthioſq; colles. et Ouid. in Faſtis: Pallada Cecropiæ, Minoia turba Dianã. Iulius itẽ Pollux Creticã ueſtẽ nominat, quæ in uſu regũ Athenienſiũ

fuerit.

fuerit, ipſa ciuitas per n finalem Gortyn ab heroë cognomine dicta eſt, & Ellotis cum accētu penultimæ. Nam ſic Europa gentili Cretenſium lingua uocabatur. Eadem Cremnia, demū Gortys appellata eſt, ſicut quæ prima eſt in ſapiente litera, nomen excludat. ab hac accuſandi caſum, alij duabus ſyllabis Gortyn, alij tribus Gortina, pleriq; Gortynam dixerunt: autor Stephanus. Memorat & eiuſdem nominis alteram Pauſanias in Arcadia. cui proximum ſtatuit Plinius, Caryum oppidum Laconiæ, ubi Lacedæmonij Dianam præcipuo cultu proſequebantur, uirginū choro, & præmio Muſici certaminis inſtituto, quod Execeſtides (ut ſcribit Polæmon) citharæ cantu uictor aliquando cōſequutus eſt. inde ſaltandi quoddam genus καρυατίζειν Lacones dicebant, eiusq; inuentores Caſtorem Pollucemq; profitebantur, ut ait Lucianus. Quin & ipſa Diana Caryatis indidem memoratur: cuius honori bucolicum carmen primo datum eſt, ut docet interpres Theocriti, & è noſtris Diomedes. etiā ſi Curetis apud eū mendoſè ſcribitur. Ex hac hiſtoria Papinij carmen ex 4. Thebaid. interpretati ſumus: Plaudentiq; habiles Caryæ reſonare Dianæ. quum neſcio quis ad Eleam Dianam referret, eiusq; nominis rationem per carices uluaſq; paluſtres rimaretur, unde luto cœnoq; turpis uix à nobis extrudi potuit. Ex ijs collige, Claudianum poſuiſſe Gortyniam ueſtem, pro Caryatide. nam Gortyn Arcadiæ propinqua Caryo eſt, quam Caryam fœminino genere Vitruuius enunciauit. Liuius numero multitudinis: Parthenio monte ſuperato præter Tegeam tertio die ad Caryas poſuit caſtra. Inde ſunt Caryatides columnæ, in antiquis ſubſtructionibus celebratæ. Mihi prior ſententia magis adulatur, & hoc totum Papinio condonamus. Alij Cerinthia legunt ab oppido Eubœæ, cuius Homerus & Apollonius meminerunt, quòd ei proximus eſt Dianæ lucus, ut diſcimus ex Ptolomæo. Sed ambiguitatem Plutarchus eximit in oratione, cui titulum fecit: Animalia muta uti ratione: Conſpicatus, inquit, apud inſulam Cretæ, amiculo feſtiuiter ornatum, neq; eius prudentiam, neq; uirtutem ſuſpiciebam: uerùm tunica pluſquam ſatis eſt elaborata ſubtiliſſimè, chlamydeq; purpurea, criſpataq;, eiusq; pulchritudine captus, & animo perculſus ita ſequebar, ut ſolent mulieres. Criſpatur.) in rugas aſtringitur. Gemino cinctu.) Diana ſubducta ad ſuram ueſte effingebatur, ut expeditior eſſet in uenatione. Ouid. Quid iuuat incinctæ ſtudia exercere Dianæ. Planius apud Auſoniū: Nec bis cincta Diana placet, nec nuda Cythere

Poplite

Poplite fuſa tenus, motoq́ in ſtamine Delos
Errat, & aurato trahitur circumflua ponto.
Quas inter Cereris proles, nunc gloria matris,
Mox dolor, æquali tendit per gramina paſſu,
Nec membris, nec honore minor: potuitq́ uideri
Pallas, ſi clypeum ferret: ſi ſpicula, Phœbe.
Collectæ tereti nodantur iaſpide ueſtes.
Pectinis ingenio nunquam felicior arti
Contigit euentus, nulli ſic conſona telæ
Fila, nec intantum ueri duxere figuram.
Hic Hyperioneo ſolem de ſemine naſci
Fecerat, & lunam pariter, ſed diſpare forma,
Auroræ noctisq́ duces: cunabula Tethys
Præbet, & infantes gremio ſolatur anhelos.

Fuſa.)demiſſa. Tenus poplite.)uſq; ad imum genu. Delos.)inſula, quæ intexta illic erat. Errat.)uagatur. In ſtamine moto.)filis ita compoſitis, ut inſula fluctibus pelli uideretur. Circumflua.)undis ambita. Trahitur ponto.)per æquora uentis agitur. quippe Delos (ut Vergilius canit) inſtabilis olim fuit, ſed appropinquante Latonæ partu immobilis ſtetit, quatuor ex adamante columnis nixa, ut prodit Pindarus. Aurato.) quod ex auro effinxerat. Quas inter.)Anaſtrophe. Cereris proles.)filia Proſerpina. Nunc.) ante raptum. Gloria.)decus. Mox.) paulopòſt. Dolor.)ægritudo. Tendit.)incedit. Per gramina.) prata. Nec minor.)inferior. Papin. Et minor in leges iret gener. Membris.)corporis indole. Nec honore.)oris dignitate, & forma. Potuit uideri Pallas.)nihil abeſſet à ſpecie Mineruæ. Si ferret cly.)ſcutum geſtaret, ut Pallas: cui clypeum uetuſtas tribuit, ad indicandũ, orbem terrarum regi à ſapientibus: autor Capella. uerbum autem Ferret, bis intelligendum.

Spicula.)ſagittas, à parte totum. nam mucro, ſagittæ ſpiculum proprie dicitur. Propert. Non tot Achemenijs armantur fuſa ſagittis ſpicula. Phœbe.)luna, potuit ſcilicet uideri. Collectæ ueſtes.)ſuccinctæ: negocio conueniens habitus. Nodantur iaſpide.)cingulo, cui iaſpis erat inſertus. De iaſpide habet hiſtoriam apud Pliniũ. refert et nonnulla Solinus in Polyhiſtore. Tereti.)oblonga. Euentus.)ſucceſſus. nam in artibus etiam fortu-

na partem ſibi uendicat,ut in cæteris. Contigit.) ex animi ſententia datus eſt. Ingenio pectinis.)texendi peritia. Telæ.) ueſti. ſubaudi fuerunt. Conſona.) nihil diſcrepantia. In tantum.) adeò. Duxere figuram ueri.)Ad ipſam naturam propius acceſſerunt.quod in picturis maximè commendatur. Hic.)hac in ueſte. Fecerat naſci.)expreſſerat, ut ortus erat. Solem.)qui fax cœleſtis antea dicebatur, & mundi oculus, poſtea ſol ab Oceani filio cognomine dictus eſt: uel ab altero Hyperionis,ut placet Diodoro.Nonnulli cũ Cicerone nomen inditũ putant,quòd unus ſit, & nõ plures, quodq; tantã claritatẽ ſolus obtineat. De ſemine Hyperioneo.)Diogenes & Hippon Metapontinus,quos poëta nunc ſequitur, liberos ex ſolo patris ſemine concipi diſputabãt. Hyperion autem Cœli Terræq; filius, ut Heſiodus ex Thia:ut canit in Hymnis Homerus,ex Euryaneſſa ſorore Solem Lunamq; ſuſcepit et Aurorã. Sed et ipſe Sol Hyperion, & Hyperionides à patre uocatur. Papin. Pronos Hyperionis meatus.

Diſpare forma.)alio ore.propter ipſius lunæ lumen in quo non manifeſtus,ut in ſole calor,ſed occultus quidam potius tepor eſt, ut ait Macrobius.

Duces.) præſides,& autores. nam Sol omnium ſiderum cœliq; rector eſt,ut ait Plinius,& Luna noctis. Auroræ.) diei Græcè dixit apud quos ἠὼς καὶ ἡμέρα quandoq; idem ſignificant:ut quum Pegaſus ἡμέρα equus ab alijs dicitur, quem Lycophron Auroræ tribuit. Noctis.) Hoc ad lunã, quæ noctu lucet. Tethys.) Oceani coniunx Solis & Lunæ matertera.

Præbet cunabula.)nutrit.nam cunabula,lectulos infantum dicimus,& ubi naſcuntur loca,à uerbo Græco κυεῖν quod eſt eniti,atq; ita per occaſionem fabulæ rem naturalem percurrit.nam ſol & luna,ut omnes alij cœleſtes ignes humore nutriuntur.id quod innuit Homerus,qui Iouem,per quem ſol intelligitur,cum cæteris dijs,id eſt ſideribus Oceani conuiuas eſſe dicit. & Oceanum deorum patrem, ac matrem Tethyn,quæ dulces & fontanas aquas repræſentat,ut antiquitas exiſtimauit. inde Pindarus inter elementa principem ſtatuit Aquam, quod eius munere dij conſtarent. Solatur gremio.)ſinu fouet.& affectum nutricis expreſſit. Anhelos.)radijs,& luce coruſcos.

Cæruleuſq; ſinus roſeis radiatur alumnis,
Inualidum dextro portat Titana lacerto
Nondum luce grauem,nec pubeſcentibus altè
Criſtatum radijs,primo clementior æuo
Fingitur,& tenerum uagitu deſpuit ignem.

Læua

Læua parte ſoror uitrei libamina potat
Vberis, & paruo ſignantur tempora cornu.
Tali luxuriat cultu, comitantur euntes
Naiades, & ſocia ſtipant utrinq; corona,

Cærulæus.)nam Tethys numen eſt maris, quod proprio epitheto cæruleum dicitur. Radiatur.)fulget. Roſeis.)à colore luminis, aut pulchris. Verg. Roſea ceruice refulſit. ſed hoc epitheton in Venere poëta affectate quæſiuit ab hiſtoria. nam flos roſæ Veneri ſacer eſt, ut Vergilius in Iuuenilibus indicat. & Maximianus hoc uerſu: Candida contempſi, niſi quæ ſuffuſa rubore Vernarent proprijs ora ſerena roſis, Hunc Venus ante alios ſibi uendicat ipſa colorem, Diligit & florem Cypris ubiq; ſuum. Hermes in Tumulo coniugis: Roſa grata Dionæ, Et flores grati Nymphis, & lilia ſerta.

Alumnis.)Sole Lunaq; quos educabat. ſed & quæ nutrit alumna Latinè dicitur. Verg. ad Meſſalam: Non illa quidem communis alumna Omnibus iniecta tellus tumulabit harena. Tacitus in Dialogo de claris oratoribus: Eſt, inquit, magna iſta & notabilis eloquentia, alumna licentiæ. quam ſtulti libertatem uocant. Titana.)ſolem, cuius pater Hyperion unus Titanũ fuit, ut eſt dictum. Inualidum.)nondum ſuis uiribus. Grauem luce.) radijs. Criſtatum.)Hoc ait, quòd è ſolis capite radij profunduntur inſtar criſtarum, quæ extant à cono galeæ. Ouid. circũ caput omne micantes Depoſuit radios. Altè pubeſcentibus.)longè fulgentibus. Statius in Theb. Ignipedum moderator equorum Ipſe tuis altè radiantem crinibus arcum Imprimat. Primo æuo.)puerilibus annis. Fingitur.)à pictoribus, & poëtarum carminibus, aut in ueſte expreſſus apparet. Clementior.)remiſſo feruore, atq; ita ſubobſcurè deſignat hiſtoriam. tradunt enim ſparſos ignes à media nocte paßim micare, & ut lux appropinquat, ita coire ac ſe coniungere, donec magis magisq; collecti, pauciores ſubinde, & una ad poſtremũ flamma ardeant. ea quum diu clara ac incendio ſimilis effulſit, cogit ſe ac rotundat, & fit ingens globus, diu is quoq; grandis & terris annexus apparet, deinde paulatim decreſcẽs, & quanto decreſcit, eo clarior fugat nouißimè noctẽ, & cũ die iam ſol factus attollitur, idemq; cottidie fieri dicunt, atq; ita ſpeculantibus è ſumma Ida uideri refert Mella Põponius. ex hac opinione Speuſippus cognominatũ ſcripſit Apollinẽ ὡς ἀπὸ πολλῶν οὐσιῶν, quòd eius ſubſtãtia cõſtet ex multis ignibus. Percurrit et Lucret. lib. 5. Aut q̃a cõueniunt ignes, et ſemina multa Confluere ardoris conſuerunt tẽpore certo.

Quæ faciunt ſolis noua ſemper lumina gigni. Læua parte.) ſiniſtro bra chio. Sed altior in receſſu ſenſus eſt. nã Græcus autor Seuerianus, pluribus explicare contendit, ab opifice omnium Deo ſolem primo factum, deinde lunam: & eam quidem in occidentis confinio conſtitutam, in aduerſa uerò cœli regione ſolem. quod hic innuere uidetur Claudianus, quum ſiniſtra Tethyos ulna lunam, dextra ſolem geſtari dicit. nam in ſiderum ratione (quod in aſtronomico docet Higynus) cæli dextra pars oriens, ſiniſtra occidens appellatur. Plin. Omnium, inquit, errantium ſiderum meatus, interq; ea ſolis & lunæ, contrariũ mundo agere curſum, id eſt, læuum, illo ſemper in dexteram præcipiti. Aethruſci tamen aruſpices (ut in agrorum conſtitutionibus idem refert Higynus) orbem terrarum duas in partes ſecundum ſolis curſum diuiſerunt: dextram appellauerunt quæ ſeptentrioni ſubiaceat, ſiniſtram quæ ad meridianum terræ occaſum, quod eò ſol & luna ſpectaret. Orpheus ait, Solem quum dexter eſt, auroram gignere: quum læuus eſt, noctem. id eſt, in oriente diem, in occaſu noctem facere. Et Scææ portæ Troiæ dictæ ſunt, eo quod in ſiniſtram, id eſt occidentem uergebant, ut quidam ſentiunt. Soror.) luna. Homerum ſequitur, & Heſiodum. Sed Aeſchylus, & naturæ diligentior Euripides, lunam ſolis eſſe filiam dicunt: quòd ab eo mutuata lumen quodãmodo gignatur. Euripides in Phœniſsis, ὦ θύγατερ ἀελίου σελαναία, ô filia ſolis luna. Potat.) fugit. Libãmina.) lac & humorẽ.

Vberis uitrei.) mammæ Tethyos, æquoreæ deæ. quippe maris numina uitrea dicimus, ut demonſtratum eſt. Et hoc etiam peritè. nam ut calor ſolis exiccat, ita ſua quadam natura lunæ calor humectat: ut Sympoſiacorum tertio Plutarchus affirmat. quod aër ipſe ſentit, & indicat, qui ut ipſa luna mutatur, modò in pluuiam reſoluitur, modò multum roris emittit. Inde lyrici carminis et Græcus autor Alcman, Iouis, id eſt aëris & lunæ filiam rorem dixit, Διὸς θυγάτηρ μετατρέφει καὶ σελάνας. Humore terreno paſci ſidera hoc argumento Plinius docet, quòd orbe dimidio nonnunquam maculoſo cernantur, id quod in luna manifeſtius apparet. Paruo ſignantur tempora cornu.) Hoc ait, quod luna primo poſt coitũ tempore corniculans appareat. Luxuriat.) opulentius ornatur. Cultu.) ornatu. Quid autẽ proprie ſit cultus, oſtendit Tertullianus, & ab eo nos in Tibullum. Comitantur.) officij gratia ſequuntur. Euntes deas.) nam cũ ſequenti uerbo coniungere frigidum eſt. Naiades.) nymphæ, quas in hortis ſuis inuocat Columella. Proſerpinæ comites Homerus in hymno Cereris has enumerat, Oceani filias, Leucippen, Phæno, Electram, Ianthen, Melobosin, Tychen, & Ocyroën.

& Ocyroën. Naiades *ait imitatione* Maronis, *à recto ſingulari* Naias Naiados. Nais *enim, quod proportionis eſt, & uſus habet, in genitiuo ſingulari* Naidis, *& plurali nominatiuo* Naides *effert, ut in Catholicis affirmat* Probus. *Stipant.) præmuniunt. inde ſtipatores, laterum cuſtodes: ut ſcribit Seruius.*

Quæ fontes Crimniſe tuos, & ſaxa rotantem
Pantagiam, nomenq́ Gelan qui præbuit urbi,
Concelebrant, quas pigra uado Camarina paluſtri,
Quas Arethuſæi latices, quas aduena nutrit
Alphæus, Cyane totum ſuperemínet agmen.
Qualis Amazonidum peltis exultat ademptis
Pulchra cohors, quoties arcton populata uirago

Quæ fontes.) Cōmemorat omnes amœnos ſeceſſus & amnes proxima regione Siciliæ, quorū Genios & Nymphas Proſerpinæ comites acceßiſſe dicit. Eraſine.) Crimniſe legendum puto. Nam Siciliæ fluuius Eraſinus, *nuſquam extat apud autores. Crimniſus uerò Maronis carmine, Plutarchi noſtrorumq; hiſtoria celeberrimus eſt, & Aceſte filio, quem ſuſtulit ex Egeſta Phinodamantis puella, in Siciliam deportata cum ſororibus, edicto Laomedontis, quod is Heſionen ceto exponere Phinodamātis factione coactus eſſet. Hæc Alicarnaſeus Dionyſius, & interpres Lycophronis. Concelebrant.) colunt, & frequentant. Pantagiam.) Hūc nonnulli uocant* Hippatin: *Maro tamen & Silius Pantagiam, quem Seruius à ſonitu dictum putat, Claudianus* ἀπὸ τοῦ πάντα ἄγειν, *quod obuia quæq; proſternat ac ſecum rapiat. Nomenq; Gelan qui præbuit urbi.) Duris autor eſt, omneis penè Siciliæ ciuitates à præterfluētibus accepiſſe nomē, ut Syracuſas, Himeram, Selinunta, Phœnicuntem, Erycum, Camicum, Alycum, Thermum, Camarinum, Gelan ab amne proximo Gela, qui ſpiſſam craſſamq; exhalat nebulā: unde Gela dictus eſt, ita nebulam uocantibus* Opicis *in* Campania, *atq; Siculis, ut refert Stephanus. Hellanicus, & Proxenus appellatam produnt ab Hymari filio Gelono, quem ſuſcepit ex Aetna. Ariſtanetus de Phaſeli ſcribēs eius operis primo, duos fratres Antiphemum Laciumq; tradit Apollinis oraculum petiſſe, quumq; uates Parnaſia nihil ad rem reſpondiſſet, imperaſſe Lacium in orientem curſum tenere. tunc Antiphemo riſum excidiſſe. Pythiam rurſus hæc adieciſſe: Ab occaſu ſolis, & ubi ſtatueris oppidū, Gelæ nomen imponito. itaq; ex oraculi fide factum eſſe. Sed Artemon arbitra-*

tur ab amne nomen ſortitam, atq; Eutimum pro Lacio nominat ex inſula Creta. conuenit in Antiphemo, quē et ipſe Rhodium fuiſſe ſcribit. Quas.) Nymphas, ſcilicet nutrit. Camarina.) Siciliæ palus, unde proxima regione ciuitas Camarina Syracuſanorum Colonia, ut refert Strabo. quam Duris neutro genere Camarinum dixit, ut demonſtrauimus. eius incolæ quum ſortem petiſſent, an conduceret uicinam paludem urbi grauem, & quæ peſtilentiā plærunq; induceret, exiccare: Apollo reſpondit, μὴ κίνει καμαρίναν, quo monebat, ut ſinerent Camarinam. Sed ij ſpectata præſenti tantū utilitate exhauſerunt, qua parte non multo pôſt ingreßis hoſtibus neglectæ religionis pœnas dederunt: autor Zenobius. Camarina præterea teterrimi odoris herba eſt, quæ concuſſa nauſeam facit, ut legimus apud Suidam. inde natum prouerbium: Caue moueas Camarinam. quod alijs à ſuperiori hiſtoria manaſſe placet. Pigra.) nam paluſtres aquæ perpetuo ſedent. unde ſtagna dicuntur. aut expreßit illud Maronis: Fato nunquam conceſſa moueri.

Latices Arethuſæi.) Fons Arethuſæ, qui pluribus in locis redditur in Eubœa, cuius aquas qui potant, à uirtute bellica commendantur Apollinis oraculo. eiuſdem Neptunniq; filius Abas fuit. unde Chalcis, ut Ariſtocrates ait, appellata Abantis eſt. Alter Bœotiæ prope Thebas, ut legimus apud Solinū. Deniq; Didymus in Homeri commentarijs octo memorat, ut uerū putem, quod interpretatione Græci nominis Heracleon Glauci filius ſcripſit: Arethuſam cuiuſcunq; fontis eſſe epitheton, ab ἀρδέω frequentatiuo, quod ſignificat irrigo. Arethuſam Siciliæ fontem celebrat etiam Pindarus, in quo iacta in Alphæum redduntur, ut inter naturæ miracula retulit Ariſtoteles. Alphæus.) Is eodem fonte cū Eurota concipitur in Arcadia. fontem Dionyſius Apher ad Aſean, quam Pauſanias oppidum collemq; reddit, in Arcadia ponit. corrige Latina Strabonis commentaria, in quibus Abia perperam legitur. Eurotas Laconiam ſecat, Alphæus Olympiam, qui Peloponneſiaco lateri infunditur, ut ſcribit Plinius, appellatus à uitiliginibus, quas emendat. nam uitiligines ἄλφους Græci dicunt. Aduena.) Alphæus in Achaia mergitur, & in Sicilia rurſus traiecto mari effundit amœnißimum fontem Arethuſam: Timæus, & Seneca. Papin. Theb. 4. Qui te flaue natant terris Alphæe Sicanis Aduena. quod fabuloſum nō eſſe, captatis aliquot documentis compertum eſt. Plura leges apud Strabonem. Cyane.) Siciliæ fons iuxta Syracuſas, qui non uirili ſpecie, ut Anapus, ſed mulieris ore colebatur: ut ait Aelianus. eiuſdem Nympham Anapus amnis amauit, qui decem ſtadijs procul à Syracuſis labitur, ut tradit Plutarchus. fabula extat apud Ouidium.

Cohors.)

Cohors.)legionis pars.ea conſtabat ex uiris ſeptingentis armatis,ut ait Calliſthenes:ducentis,ut Ephorus:*dimidio paucioribus,ut* Plutarchus.*Dicta uero cohors eſt à ſimilitudine cohortis uillaticæ. nam ut illa pluribus tectis,ita hæc ex inſtructis manipulis coniungebatur:autor* Varro. *Amazonidum.)Amazones,ut* Ephorus *in nono tradit, reuerſos à bello uiros, à quibus deſpiciebãtur, intra mœnia non receperunt,obtruncatis etiam ijs qui domi ſubſtiterant.*Narrat Dionyſius *eaſdẽ* Lybiam *tenuiſſe, domitisq́; bello finitimis arma tuliſſe in* Europam,*multasq́; illic urbes,monumentum uictoriæ ab eiſdem conditas extare.*Quin *&* ipſos Atlantes *bellica uirtute clariſsimos prælio ſuperatos in poteſtatem redegiſſe.Zenothemis in Aethiopia ſtatuit Amazonas, quæ ſtato quodam anni tempore uicinorum concubitus appeterent,necatoq́; uirili partu, tantum uirgines educarent, non ocio aut lanificio,ſed armis,atq; uenationibus exercentes.Infantum dexteriores mammillas inurebant,ne ſagittarũ iactus impediretur.unde nomen, ut* Diodoro *placet,&* Trogo. *Alij dictas aiunt ab Amazone puella Samornæ filia,cuius mater* Samorna Dianæ *ſacerdos* Epheſi *fuit,et* Regina.Neq; *diminutiua forma hic eſt Amazonidum,ſed porrectio,qua* Rhodius Apollonius,Apherq́; Dionyſius *apud* Græcos *, & è noſtris* Vergilius *uſus eſt, & eum ſecutus* Auienus: Gentis Amazonidum *lambit ſata. Sed in pedeſtri quoq; ratione* Diodorus *Amazonidũ ſcripſit,* τῶν ἀμαζονίδων ἐπανελθουσῶν. *Amazonidibus,inquit,regreßis.ijs enim quæ uiribus adeò præſtiterunt,diminutio nõ conuenit,ut ingenioſè ſcribit* Euſtathius.*Hoc argumento* Martialis *in* Cottam *iocatus eſt:*Bellus *homo,& magnus uis idem Cotta uideri: Sed qui bellus homo eſt Cotta,puſillus homo eſt.* Exultat.) *ouat,et læticia geſtit. alluſitq́; ad illud Vergilianum de Camilla:* Exultat *Amazon.*

Ademptis peltis.) omißis ſcutis, quæ breuißima,atq; in modum dimidiæ lunæ geſtabant Amazones. Vergilius: Ducit *Amazonidum lunatis agmina peltis* Pentheſilea *furens.* Hammonius *ait: Amazonicam peltam ſcutum eſſe ſine umbone.conſentit* Oppianus,*qui teſtudinem marinam Peltæ comparat.*Xenophon,*inquit,*Pelta *Amazonica hederæ folio perſimilis eſt.* Virago.)*mulier indolis heroicæ.*

Hippolyte niueas ducit poſt prælia turmas,
Seu flauos ſtrauere Getas,ſeu fortè rigentem
Thermodoontiaca Tanaim fregere ſecuri,
Aut quales referunt Baccho ſollennia Nymphæ

Hippolyte.)Hæc Amazonibus imperauit,paulò ante bellum Troianũ. quam Theſeo uirtutis ergò dedit Hercules, & is uxorem duxit, ut refert Clidemus.unde natum Trogus ait Hippolytum. Sed alij cũ Philochoro malunt Antiopen. Populata arcton.) debellatis ad Aquilonem gentibus.nã diripi niſi captæ urbes non poſſunt.aut abſolutè prædata.Arcton præterea neutro genere,Cyzico mons imminet, ut Apollonius canit, à Iouis nutricibus,quas illic in ἄρκτους, id eſt urſas migraſſe tradunt. Eſt autem Papinij comparatio:Subeunt quales Mæotide ripa Quũ Scythicas rapuere domos, & capta Getarũ Mœnia ſuppoſitis epulantur Amazones armis. Ducit.) Appoſitè. nam qui cũ imperio ſunt duces,& exercitum ductare dicuntur. Vſurpauit autem Maronis uerbum de Pentheſilea, quod paulò antè retulimus. Poſt prælia.) & parta uictoria. Turmas.)quæ certabant ab equis.et hoc in Amazonibus commodè,quæ poſt hominum memoriam primæ,ſi Lyſiæ rhetori credimus,equos conſcenderunt. Niueas.)candidas & formoſas. Strauere.)prælio fuderunt. Getas.)Hos Apher Dionyſius ad Aquilonem ſtatuit in Scythia, non procul ab Iſtro fluuio. Thraciæ contribuit Herodotus:utraq; Danubij ripa prætendi Strabo dicit,ut Myſos & item Thracas. Geta ſeruile nomen eſt apud Comicos. nam inde uenales ſerui mittebantur.Propterea Sedulius quum ſcænicas inſectaretur fabulas, Comicas actiones ex ea perſona,quæ frequens inducebatur,deſignauit:Tragicó ue boatu,ridiculó ue Gete. Quis non multo magis ipſo Geta ridiculos ducat eos ,qui Vegete legendũ putant integra dictione? Veges quidem pro uini cado(quod equidem ſciam) ponitur à Palladio: ſed hic ita conuenit, ut nihil minus.Condonemus hoc tamen iſtis, qui nõ poſſunt à mero diſcedere, cui ſemel addicti ſunt. Securi.) Securis Amazonum propria fuit,à Pentheſilea Regina inuenta, ut ſcribit Plinius : inde Amazones ipſe Securigeræ.Ouidius:Prima ſecurigeras inter uirtute puellas. Thermodontiaca.) Thermodon,ut de rebus Tigranis primo ſcribit Metrodorus, Araxes antea dicebatur,Cappadociam perfundens oſtijs nonaginta ſex,in mare ſe condit,ut longo carmine tradit Apollonius.ad eius ripas Amazones conſediſſe Pherecydes autor eſt:in campo, quem Diantis appellari ſuprà diximus. in Thermodonte noſtri ſemper ferè ſoluunt ultimũ,quod eſt apud Græcos ω, & Thermodoon dicunt, quod aliter in carmen heroicum non ueniret, quũ mediam cõtrahat. Ouidius tamen ait : Et tu fœmineæ Thermodon cognite turbæ. Tanaim.)Scythiæ fluuium, quem Caucaſi iuga fundunt , ut ait Dionyſius,per patentes Scythiæ campos,magno aquarum auctu diffunditur.

tur: inde Tanais ab effectu Græci nominis dictus eſt, ut placet Euſtathio: *Sylis, Iaxartes, & Ameſines ab indigenis appellatus. quippe nonnulla locorum barbara nomina ad Græcam rationem reducuntur, ut docet* Nicanor. *Aſiam diuidit ab* Europa. *Rhemnius Fannius in orbis ambitu:* Europē *Aſiæ Tanais diſiungit ab oris. Quaq́; Meotidi cōmittitur eiuſdem nominis habet oppidum, quod alio uerbo* Emporium *dicitur. eius* Alexander *Polyhiſtor meminit. Illud obſeruandum, Tanaidis efferri genitiuum à* Varrone *Antiquitatum humanarum* 13. *nec aliter eſſe dicendum Plinius autumat, erraréq́; eos qui Tanais in paterno caſu declinant, ut* Tyberis. Rigentem.) *aſtrictum glacie, quod mirum non eſt in ea regione, ubi uinum concreſcit, ut Ouidius queritur. Duplex Amazonum ſedes fuit, altera in Scythia, altera in Thracia. Salluſt. Dein campi Threicij, quos habuere Amazones, à Tanai fluuio, incertū quam ob rem digreſſæ. Vtranq́;, Tanaidis & Getarum mentione poëta deſignauit.* Aut quales.) *Cōparatio duplex, imitatione Maronis & Homeri.* Nymphæ.) *Liberi patris miniſtri: Sileni, Satyri, Bacchæ, Lenæ, Thyiæ, Mimallones, Naides, Tityri. deniq́; Nymphæ dicūtur, ut ſcribit Strabo, qui uites repræſentāt, ut arbitratur* Euſtath.

Mœoniæ quas Hermus alit, ripaſq́ paternas
Percurrunt auro madidæ. Lætatur in antro
Amnis, & undantem declinat prodigus urnam.
Viderat herboſo ſacrum de uertice uulgus
Aetna parens florum, curuaq́ in ualle ſedentem
Compellat Zephyrum: Pater ô gratiſſime ueris,
Qui mea laſciuo regnas per prata meatu
Semper, & aſſiduis irroras flatibus annum,
Reſpice Nympharum cœtus, & celſa tonantis
Germina, per noſtros dignantia ludere campos:
Nunc adſis, faueaſq́ precor. nunc omnia fœtu
Pubeſcant uirgulta uelis, ut fertilis Hybla

Mœoniæ.) *Lydæ. nam Mœones à Mœone rege Lydi ſunt, eo qui Cybelem genuit ex Dindymene, ut eſt apud Diodorum. quanto autem cultu Lydi Bacchum proſequerentur, indicat Euripides in Bacchis. is apud eos arcana ſacrorum ratione Maſſares appellabatur, à quadam Cybeles famula, cui nomen Ma: & Ares Græcè, Latinè Mars. Nam quum Ma nutriendum Liberum ſuſcepiſſet, & Iunonem cælare cuperet, Martis eſſe filium ſimulauit.*

lauit inde Liber, *Maſſares:& ab eo* Maſſaurenſes *in* Lydia *populos expo-nit'Stephanus.* Referunt.*)inſtaurant.* Sollennia.) *Hic tantum feſta ſig-nificat. nam* Bacchi *ſacra nõ quotannis, ſed triennio quoq; celebrabantur: unde* Trieterica *dicta ſunt.* Orpheus *tamen in hymnis,* Trietericum *per ſe* Bacchum *proprio carmine celebrat,ut ab alijs eius nominis dijs diuerſum.*

Bacchus.) Liber ἀπὸ τοῦ βακχεῖν *appellatus,id eſt ab incondito ululatu, quem lymphatæ mulieres in eius orgijs edebant, adiecta litera c.quo ua-ſtior ille* Mænadum *ſonus in ipſo dei nomine redderetur.Eſt & coronæ ſpe cies* Bacchus, *apud Piſidem.* Hermus.)*Smyrnæ campos interſecat in* Io *nia,delapſus à monte* Dorylao, *Phrygiam ſcindit à Caria:quod* Herodotus *in* Homero *tradit,&* Martianus. *Eundem* Iouis *filium fingit* Homerus, He *ſiodus* Tethyos *&* Oceani. *Seneca ad Bacchum:* Diuite Pactolus *uexit te* Lydius *unda Aurea torrenti deducens flumina ripa.* Papin. *in* 3. *Syluarum:* Hermiq; *uadum,quo* Lydius *intrat* Bacchus, *& aurato reficit ſua cornua limo.* Percurrunt.*)nam Mænades incitatæ rapiebantur.* Auro madi-dæ.*)Hoc ait,quoniam* Hermus *auratas habuit harenas, autoritate* Strabo-*nis, & noſtrorum notiſſima.* Lætatur.) *Comparationis occaſione de-monſtrat,quantopere liberorum ſucceſſu parentes afficiuntur.* Amnis.) *fluuius, quoniã flexuoſo meatu labitur.ab am,quæ particula (ſi* Macrobio *credimus)idem ualet quod circũ. inde uocatus eſt* Annus, *ut placet* Atteio.

Prodigus.)*maiores aquarum auctus effundens.* Declinat.)*uergit.*

Vrnam.)*Fluuiorum deos ita uetuſtas effinxit,ut aquæ manalem urceũ tenerent.* Verg. *Cælataq; amnem fundens pater Inachus urna.* Stat. *in* 2. Thebaid. *Pater ipſe bicornis In læuum prona nixus ſedet Inachus urna.*

Aetna,uel Enna.)*Nõ oppidum,ſed loci Genius. oppidum condidit* Hie *ron,ut canit* Pindarus. Parens florũ.*)campus Ennenſis in floribus ſem-per eſt,& nullo non die uernus,ut ait* Solinus, *&* Cicero. *Sed utroq; prior Ariſtoteles inter naturæ miracula,flores illic tanta copia tantoq; odore pro uenire ſcribit, ut neq; canes ſagire, neq; niſi per uim abduci inde poſſint.*

Viderat.) *ut numen.aut eſt dura translatio.* De uertice.*)quia ſum-mo in colle ſita ciuitas eſt, ut ſcribit Strabo.* Herboſo.) *florulento. nam flores ab herbis ſunt.* Sacrum uulgus.*)dearum cœtum.quanquam pro-prie uulgus eſt incõdita multitudo,atq; in contemptũ ferè trahitur.* Gellius: *Vulgus loquacium nebulonum.* Compellat.) *alloquitur.* Zephyrũ.) Fauonium, *qui flat ab occaſu æſtiuo,ut refert* Strabo. *nomen habuit ex eo, quod frugum conceptus implet,ut ſit quaſi* ζῶν φέρων ἡμῖν *id eſt alimoniã*

nobis

nobis adminiſtrans, ut ſentit Euſtathius. *Sedentem in curua ualle.* Zephyrus in conuallibus propterea ſedere fingitur, quoniam flores et herbæ, quas (ut canit Heſiodus) eius aura producit, uberius illic proueniũt. Heſiodi carmen ita Catullus interpretatus eſt: Aura parit flores tepidi fœcunda Fauoni. *Pater ô gratiſſime ueris.* Primus anni conceptus eſt flare incipiente Fauonio VI. Eid. Februarias. hoc enim maritantur uireſcentia: hic eſt genitalis ſpiritus mundi, à fouendo dictus, ut quidam exiſtimauere, uer inchoans. Catulitionem ruſtici uocant, geſtiente natura ſemina accipere, eaq; animam inferente omnibus ſatis. *Pater ueris.*) Nam ueris initium eſt ſpirante Zephyro. quare quum dicimus, ubi Fauonius ſpirabit: intelligimus uernum tempus, ut ait Pollux. *Gratiſſime.*) quia formoſiſſimus tunc annus eſt, ut ait Maro. *Laſciuo meatu.*) quo ſpirante non ſolum plantis & ſatis, ſed cunctis animantibus, ac ipſis etiam hominibus Veneris titillatio maior eſt. Hinc Alcmæon Cupidinem Chloridos & Zephyri filium dixit.

Irroras.) Appoſitè nam roſcidus hic uentus eſt. Callimachus in Apollinem, ζεφυροῦ πνιοντος ἐέρσῃ, id eſt, Spirantis rore Fauoni. Ros autem terrã fœcundat, ut legimus apud Plinium. Sunt aliqua uerba, quæ primam perſonam non habent: Ouas ouat, furis furit, faris uel fare fatur: hebet, ægret, roras rorat: quum nec hebeo, nec ægreo, nec roro legatur. hæc Probus. *Aſſiduis flatibus.*) Nam perpetuum uer eſt in campo Ennenſi. *Celſa tonantis germina.*) Nam tres iſtæ deæ filiarum Iouis maximæ cenſentur, & in dijs ſelectis, ut Ennij teſtimonio Capella docet. *Velis.*) iube. Contrà Terentius: Iubeo Chremetem ſaluere. *Virgultas.*) ſyluas atq; arbores. *Pubeſcant.*) pullulent, & grauentur. *Hybla.*) Hyblas in Sicilia tres legimus. Hyblam cognomento maiorem, quam Claudianus intelligit: aliam quæ minor dicta eſt, cuius incolas Hyblæos, Galeotas, & Megarenſes uocabant, quum à priore Hyblæi tantum dicerentur: tertiam, quam alio uerbo appellant Heran, omnium minimam. Ex ijs unam de rebus Siculis quarto Tyellam dici, Philiſtus refert. Italiæ præterea ciuitas Hybla fuit. Siculis urbibus Hyblus, ut uocat Stephanus: ut Thucydides, Hyblo rex nomen dedit. *Fertilis.*) Secunda mellis autoritas Hyble tributa eſt. unde licet conijcere, eandem floribus abundaſſe, quos apes ſectantur.

Inuideat, uinciq; ſuos non abnuat hortos,
Quicquid thuriferis ſpirat Panchaia ſyluis,
Quicquid odoratus longè blanditur Hydaſpes,

Quicquid ab extremis ales longæua colonis
Colligit, optati referens exordia ſecli,
In uenas diſperge meas, & flamine largo
Rura foue, ut merear diuino pollice carpi,
Et noſtris cupiant ornari numina ſertis.
Dixerat, ille nouo madidantes nectare pennas

Non abnuat.) fateatur. Suos hortos.) qui florum copia præſtabant. Panchaia.) Sabæorum regio thurifera, ſoli conſecrata, quò rediuiuus Phœnix nidum defert. Ouidius in 10. Metamorph. Sit diues amomo Cynnamaq; coſtumq; ſuũ, ſudataq; ligno Thura ferat, floresq; alios Panachaica tellus. Flagrantiſsimo ſolis ſideri ſubeſt Arabia, propterea gignit odoramenta, quæ tũc præſtantia multaq; proueniũt, quũ ſolis ardoribus in terræ uenis humor excoquitur: autor Theophraſtus. repetit & Plutarch. in Symposiacis, & in Alexandro. Thuriferis.) Tus à tundendo ſine aſpiratione dicendum, Soſipater autumat, & ſi Iulius Modeſtus ἀπὸ τοῦ θύειν tractum ſentiat. Hic eſt ille Iulius Modeſtus, de quo Martialis: Quæ uix intelligat ipſe Modeſtus. & Quintilianus in primo: Nec ei cedit Modeſtus in inuentione. Hydaſpes.) Indiæ fluuius, influit Aceſinem, nauium patiens, ut Arrhianus, eoq; prior Strabo refert. Papin. Thebaid. octauo: Ceu modo gemmiferum thyrſo populatus Hydaſpen. Longè blanditur.) nam fragrans odor aromatum, quæ naſcuntur ad eius ripas, etiã ab ijs qui procul abſunt, ſumma cum uoluptate ſentitur. Et hoc eſt quod ait. blandiuntur enim nobis, quæcunq; iuuant. Ales longæua.) Phœnix, qui ſexcentos & ſexaginta uiuit annos, ut tradit Manilius. apud Arabas naſcitur, aquilæ magnitudine, capite honorato, in conum plumis extantibus, criſtatis faucibus, circa colla fulgore aureo, cætera purpureus, abſq; cauda: in qua roſeis pennis, cæruleus inſcribitur nitor. moriturus rogos ſibi ſtruit ex cinnamis, & uarijs odoramentis, concuſſuq; alarum incenditur. uermiculus mox naſcitur ex cineribus, unde alter Phœnix creſcit, qui primum reddit iuſta Phœnici mortuo, defertq; totum nidum in Panchæam ad Solis urbem, ibiq; collocat autores, Ouidius, Plinius, & Solinus. Extat & Lactantij Firmiani carmen, argumento Phœnicis & nomine non iniucundum: ubi uox Iulæa quid ſibi uelit, nonnulli dubitant. itaq; facturus operæprecium uideor, ſi tacitum nõ reliquero. Iulus beſtiolæ genus eſt apud Lycophronem, quam centipedam uulgo uocant: & Theophraſtus ad Phanniam ſcribens, onon. Significat et hymnum Cereris Eratoſtheni, Græcorumq; nonnullis pubertatem, quæ

nomen

nomen dedit Aſcanio.ut inde forſitan Iulæas uoces liquidas appellarit,quales in pueris ferè uidemus. Illud tamen obeſt, quòd primæ lanuginis adoleſcentes,quos per iulos intelligi uolunt,liquida uoce non ſunt,immò tum primum uirilitatem ſuam experti rauceſcunt. Placet igitur, intelligas Iulæas uoces,ſuaues. nam Iulis oppidum fuit inſulæ Ceæ, Simonidis (ut Theocritus canit) patria, qui Melicus à ſuauitate cantus dictus eſt: quod in Suidæ monumentis,& apud Euſtathium legimus. Idem primus ceciniſſe nænias dicitur, quarum meminit Catullus & Horatius. Ab extremis colonis.) ab ijs qui colunt ultimos orbis fines. Optati ſecli.) Legitur & optato. In meas uenas.) ſpiramenta. Sunt in noſtris corporibus uenæ,ſunt arteriæ: hæ ſpiritus, illæ ſanguinis receptacula. ſic in terra quoq; ſunt alia itinera per quæ aqua,alia per quæ ſpiritus currit,tantaq; inter ſe ſimilitudine à natura formata ſunt, ut maiores noſtri aquarum appellauerint uenas, & Tertullianus oratione quadam: Corpus,inquit,hoc noſtrum de limo figulatum,utrunq; originis elementum confitetur,carne terram, ſanguine aquã. nam quid aliud eſt ſanguis, quàm rubens humor? quid caro, quàm terra conuerſa in figuras ſuas? Conſidera ſingulas qualitates, muſculos ut glebas, oſſa ut ſaxa, etiam circũ papillas calculos quoſdam: aſpice neruorum tenaces connexus, ut traduces radicum: et uenarum ramoſos diſcurſus, ut ambages riuorum: & lanugines ut muſcos: comam, ut ceſpitem: & uenarum in abdito theſauros, ut metalla. Flamine largo.) Venti ſatorum atq; arborum fructus alunt, quos ad maturitatem cum alijs cauſis adducit ipſa uentorum iactatio, attrahens in ſumma cibum, & ne torpeat permouens. aut, Flamine largo, dic illo fœcundo ſpiritu, qui omnibus animalibus uirgultisq; ac ſatis calidus eſt & uitalis. Foue.) Alluſit ad uenti nomen, qui Fauonius dictus eſt à fouendo, ut Plinij teſtimonio iam docuimus. Merear.) digna ducar. Carpi.) ſecari. Diuino pollice.) ut ex agro meo Deæ flores colligant. Dixerat.) hæc Enna. Ille.) Zephyrus.

Concutit, & glæbas fœcundo rore maritat.
Quaq; uolat, uernus ſequitur color: omnis in herbas
Turget humus, medioq; patent conuexa ſereno.
Sanguineo ſplendore roſas, uaccinia nigro
Induit, & dulci uiolas ferrugine pingit.
Parthica quæ tantis uariantur cingula donis?

Concutit.) agitat. Pennas.) alas, quas Fabulæ uentis tribuunt, ut diximus,

mus, ut Orpheus Noto. Madidantes.) *imbutos.* Nectare.) *Nectar in deorum cibis eſt. Alcman enim canit deos eſſe nectar. & Anaxandrides ex Aquilæ perſona: Nectare, inquit, uictito, atq; ambroſiam bibo, &* Ioui *miniſtro.* Sappho *quoq;:* Crater *inquit, ambroſiæ mixtus eſt. Apud Suidam tamen hæc legimus. Nectar potio uinumq́;, & deorum cibus, ut Anaxandrides. appellatumq́; nectar eſt, quaſi* νοκιαρ, *eo quòd qui inde bibunt,* νίους *id eſt, iuuenes efficit. hic arcana ubertatis uis intelligitur, quam ſatis & arboribus infundit* Fauonius. Glebas.) *humum.* Maritat.) Plinij *uerbo uſus eſt, qui de Zephyro ſcribens, hoc inquit: Vireſcentiā aritantur, id eſt fœcunda redduntur.* Fœcundo rore.) *Ros alterutro luciferi ortu genitalis arua conſpergit, qui non modo terræ conceptus implet, uerùm animantium quoq; omnium ſtimulat, ut eſt apud* Plinium. Volat.) *ſpirat. ſed ad corpus et pennas alluſit, quas pauloantè uento tribuit. inde nonnulli ſuperius Carmen:*

Qui mea laſciuo regnas per prata meatu:

legere uolatu maluerūt. Vernus ſequitur color.) *Succedunt flores, quàm multi & uarij ſunt ineunte uere. aut certe uerū colorē, pro uiridi poſuit à tēpore, quo uireſcūt omnia. Verg. Et nūc omnis ager, nūc omnis parturit arbos.* Turget.) *fermenteſcit. à mulieribus ſumpta translatio, quarum poſt conceptum tumet uterus.* In herbas.) *ad edendos flores, qui ſunt ab herbis, ut dictum eſt.* Medioq́; patent conuexa ſereno.) *Nam quum proximæ quæq; regiones per anni tempus, id eſt hyemem nubibus prægrauentur, ſolus ager* Ennenſis *ſereno fruitur cœlo. quod in eodem tractu Syracuſis accidit. Plinius in 2. naturalis hiſtoriæ: Syracuſis ait, nnnquam tanta obduci nubila, ut non aliqua hora ſol cernatnr. & Seneca ad* Martiam: *Videbis, inquit, limpidiſſima hyberna, & nullum diem ſine interuentu ſolis. Solinus: Syracuſis etiam quum hyberna conduntur ſerena, nullo non die ſol eſt.* Patent conuexa.) *apertum eſt cœlum, quod in ſerenitate fieri dicitur. Verg. Cœloq́; inuectus aperto, id eſt ſudo. quippe cœlū nunc ſudo ſplendidum, nunc nubilo ſordidum: aut hymbres ruunt, & ſi quà miſſilia cum hymbribus, ut ait* Tertullianus, *dehinc ſubſtillum, denuo ſudum.* Medio ſereno.) *Nam quum undiq; circum loca nubila ſint, ut diximus, medium cœli ſpacium, quod Ennenſibus campis imminet, ſerenū eſt. O ridiculos quoſdam, qui cuius modi homines ſunt, ad poëtæ ſenſum quum non aſpirarent, & mutilatū locum ſuſpicarentur, ut omnia quæcunq; ipſi non percipiunt, contexere ſagum purpuræ tentauerunt, id eſt Claudiani uerſibus ineptiſſi-*

mum

mum ſuum carmen inſerere. Induit.) nonnulli codices habent, imbuit. hoc eſt inficit. quod non diſplicet. Sanguineo ſplendore.) Puniceo colore. nam plerunq; ſcriptores ex ipſis rebus colorum uocabula mutuantur, & flammeum, croceum, aureum, oſtrinum dicunt, & ſanguineum. quod hic ab hiſtoria poſuit Claudianus, alludens ad Veneris cruorem. quo roſæ flos, quum prius eſſet albus, infectus eſt, ut refert Aphthonius. aut è cruore Cupidinis orta eſt, ut Auſonius: Stilus ut tenui ſub acumine puncti Eliciat tenerũ de quo roſa nata cruorem. Vaccinia.) Sunt qui genus arboris accipiant, aut certe fruticis: alij Hyacinthi florem, quoniam Plinius naturali hiſtoria 34. Hyacinthus, inquit, in Gallia eximie prouenit, hoc ibi loco hyſginum tingit. & Idem libro 16. dixerat: Italiæ uaccinia in aucupijs ſata, Galliæ uerò etiam purpurea tingendi cauſa ad ſeruorum ueſtes. Hæc ille. Sed dicant obſecro de floribus, an de arboribus agit hic Plinius? agnoſcant hæc eius uerba, & pòſt audeant inficiari ex arborum genere eſſe uaccinia. Non niſi in aquoſis proueniunt, inquit, ſalices, alni, populi, ſiler, liguſtra teſſeris utiliſſima, item uaccinia Italiæ in aucupijs ſata. Nigra.) Maronis epitheton: Alba liguſtra cadunt uaccinia nigra leguntur. Pingit.) Eadem ſententia, ſi leges tinguit, ut alij ſcribunt. Ferrugine.) ex interpretatione Seruij, purpura nigriore: ſiue cæruleo colore, quod Nonio placet. nã ferrugineos hyacinthos Vergilius etiam dixit, et eum ſecutus in hortis Columella.

Dulci.) alluſit ad illud Maronis: Suaue rubens hyacinthus. Quæ cingula.) Per comparationes amplificat amœnitatem pratorum. Cingula fœminino genere duntaxat in equis dicitur. Ouidius: Cingula lædit equum. neutro in hominibus. Parthica.) Parthia quanta eſt, à meridie rubrum mare, à ſeptentrione Hyrcanum ſolum claudit id eſt ea regna duodeuiginti diſſecant in duas partes, ut ait Solinus. à Scythis unde transfugerant Parthi uocati ſunt. ita enim gentili Scytharum ſermone exules dicuntur, ut ſcribit Trogus. Hi Babylonem tenuerunt, ut Dion in Traiano docet. inde Lucanus in ſexto:

Mœnia mirentur refugi Babylonia Parthi.

Et in primo: Quumq; ſuperba foret Babylon ſpolianda tropæis Auſonijs. Nã Craſſus à Parthis deletus eſt. Babylonicas ergo zonas intelligit in modũ uernationis anguineæ, id eſt exuuiarum quibus ſenectutẽ coluber exuit. has illi nouo nomine uocant henias ita tereti textu, ut marſyppia putes oblonga. Coccineo ſubtegmine, purpureo; & hyacinthino conſtant,

conſtant,ſtamine uerò ad firmitatem & decorem byſſino,ſic arte polymitaria diſtinctæ, ut uarios in ijs flores & gemmas artificum manu nõ textas,ſed inſertas arbitreris. Hæc accepimus ex Hieronymo. *Neq; non conuenit,ut* ἀπλῶς *regum* Parthorum *cingula intelligas, qui pictis ueſtibus utebantur,ut tradit* Plinius. *inde picti dicuntur à* Martiale: *Pictorum ſola baſiate* Regum.

Regales iunctura ſinus? quæ uellera tantum
Ditibus Aſſyrij ſpumis fucantur aheni?
Non tales uolucris pandit Iunonia pennas,
Non ſic innumeros arcu mutante colores
Incipiens redimitur hyems, quum tramite flexo
Semita diſcretis interuiret humida nymbis.

Iunctura.) Legitur & uinctura, utrunq; rectè. Regales ſinus.) Exaggeratio. nam reges luxurioſius ornantur. Variantur.) diſtinguuntur. Quæ uellera.) quæ lanæ. negat & hæc interrogatio. Fuſcantur.) In fidelioribus & antiquis exemplaribus, fucantur ſcriptum eſt, quæ lectio mihi magis adulatur: ab herba fuco marino, qua ueſtes in Creta *tinguntur, ut refert* Plinius: *inde fucare: & ab eo paßiuum fucor, quod eſt coloror: & fucatæ mulieres, quæ uitia corporis inductis coloribus tegunt. Spumis.) ebulliente muricis cruore. Ditibus.) opulentis, id eſt plenis, aut precioſis. nam purpura uel à ſaturitate coloris, ut dibapha: uel à præſtantia commendatur. Aheni.) cortinæ. Aßyrij.) Tyrij. nam Tyros & Sidon, ubi primæ laudis purpura tinguebantur, Phœniciæ ſunt urbes, Aſſyriæ contributæ. ſed Andro, qui de rebus Ponticis Græcè ſcripſit, Phœnicum fines Syros appellari non Aſſyrios autumat. inde Cappadoces, inquit, ad tollendam uocis ambiguitatem, Leucoſyri coniuncto nomine memorantur. Philoſtephanus tamen eoſdem, quos Andro uocat Aſſyrios, Syros dici contendit, à Syro Sinopes & Apollinis filio. Philoſtephano Plutarchus accedit. quamuis apud eum Sinopes Aſotidis mendoſè legatur, quum Sinopes Aſopidis ſcribendum ſit, ab Aſopo amne, qui Sinopes pater fuit, ut Aphri Dionyſij carmen innuit. Nuſquam maior autorum inconſtantia. Eſt quando Syros Herodotus accipit, quos Arabicum pelagus alluit. Syriam præterea Palæſtinam memorat: & in Ponto Syros, Thermodontis & Parthenij fluminis accolas, prope Macronas. Strabo tamen Aſſyriam in proxima Babyloniæ regione nouit, in qua Ninus & Niſibis urbes, & ad orientem ſolem deuexa Meſopotamiæ pars Adiabene. Syriam uerò quæ complectatur*

Aegyptios,

Aegyptios, Phœnicas, Cilices, & aliquot Euxini populos, & ad uſq; Sinopem pertendat. In Aſſyrijs cum Strabone conuenit Arrhianus, additq́; Cappadocas ita dictos à Cappadoce Nini filio, quum prius Aſſyrij uocarentur. Oppianus etiam poëta Cilix, cuius ut domeſtici teſtis plurimum ualere debet autoritas, Tigridis amnis accolas Aſſyrios nominauit. Xenophon Syros ab Aſſyrijs ubiq; ſeparat: Herodotus (ut antè diximus) confundit, eoſdemq; Syros à Græcis, Aſſyrios à Barbaris dici putat. Dion in Traiano: Oppida ſunt hæc inquit, Aſſyriæ quam Barbari s litera in t mutata uocant Attyriam. Volucris Iunonia. pauo, qui Iunonis ales eſt. Martial. Nunc Iunonis auis, ſed prius Argus erat. & Iuuenalis: Tantum admirari, tantum laudare diſertos, Vt pueri Iunonis auem. Extat apud Ouidium fabula: ſed is tantum tradit Argi, quem Mercurius extinxit, oculos in eius pennas à Iunone translatos, neq; quod Martialis, & alij prodiderunt Argum ex homine in auem mutatum. quin teſtari potius uidetur ipſum pauonem in tutela Iunonis fuiſſe priuſquam Argus occideret. Ouid. de luminibus Argi carmen eſt hoc: Excipit hos uolucriſq́; ſuæ Saturnia pennis Collocat, & gemmis caudam ſtellantibus implet. Menodotus Samius de templo Iunonis Samiæ ſcribens ait: Pauones in tutela Iunonis eſſe primumq́; uiſos apud Samum, inde ad alias gentes inuectos, ideoq́; Samius nummus ſub nota pauonis percutiebatur. Tertullianus de uarietate pauonis: Quà colla florent, omni patagio inauratior: quà terga fulgent, omni infirmitate ſolutior: quà cauda iacet, multicolor & diſcolor & uerſicolor: nunquam ipſa, ſemper alia, & ſi ſemper ipſa, quando alia? toties deniq; mutanda, quoties mouenda. Pandit.) explicat. præſertim laudatus ut Naſo canit: & aduerſo ſole, quia ſic fulgentius radiant: omneſq́; in aceruum contrahit pennarum, quos ſpectari gaudet oculos. Incipiens hyems.) Autumni periphraſis. tradit Ariſtoteles poſt autumnale æquinoctium, qualibet horũ diei arcum fieri, æſtate non fieri, niſi incipiente, & inclinato iam die. Redimitur.) coronatur. & alluſit ad ipſius arcus imaginem, quæ dimidium coronæ orbem repræſentat.

Innumeros arcu mutante colores.) ingenioſè tranſpoſuit illud Vergilianum. Illa uiam celerans per mille coloribus arcum. Laſciuit & in hoc ſuo more noſter Ouidius: Qualis ab hymbre ſolet percuſſus ſolibus arcus Inficere ingenti longum curuamine cœlum, In quo diuerſi niteant quum mille colores, Tranſitus ipſe tamen ſpectantia lumina fallit. Semita humida.) Dubium non eſt, inquit Seneca, quin arcus imago ſolis ſit roſcida & caua nube concepta. Videmus enim quum fiſtula aliquo loco rupta eſt, aquam

per tenue foramen elidi, quæ ſparſa contra ſolem obliquè poſitum, faciem arcus repræſentat. Idem uidebis accidere, ſi quando uolueris obſeruare fullonem, quum os aqua impleuit, & ueſtimenta tendiculis diducta leuiter aſpergit, apparet uarios edi colores in illo aëre aſperſo, quales in arcu fulgere ſolent. huius rei in humore cauſam eſſe non dubitaueris. Quidam eſſe aiunt aliqua ſtillicidia, quæ ſolem tranſmittant: quidam magis coacta quàm ut transluceant. itaq; ab illis fulgorem reddi, ab ijs umbram: & ſic utriuſq; interceſſu effici arcum, in quo pars fulgeat quæ ſolem recipit, pars obſcurior ſit quæ excludit. Interuiret.) *Atqui uidemus in eo aliquid flammei, aliquid lutei, aliquid cerulei, & alia in picturæ modum ſubtilibus ducta lineis, ut antè diximus ex Ouidio. ſed ij colores aut remiſſi, aut intenti uiridis omnes ſunt, qui maxime in arcu ſpectatur. Aut exponas* Interuiret, *inter alios colores etiam uiret. hoc magis placet.* Diſcretis nymbis.) *ſectis nubibus.*

Forma loci ſuperat flores, curuata tumore
Paruo planicies, & mollis edita cliuis
Creuerat in collem, niueo de pumice fontes
Roſcida mobilibus lambebant gramina riuis,
Syluaq; torrentes ramorum frigore ſoles
Temperat, & modico brumam ſibi uendicat æſtu,
Apta fretis abies, bellis accommoda cornus,
Quercus amica Ioui, tumulos tectura cupreſſus,
Ilex plena fauis, uenturi præſcia laurus.

Forma loci.) *Situs Ennenſis campi, quem mira carminis enargia poëta deſcribet.* Superat.) *excedit, & longe præſtat.* Flores.) *quos illic ſpectatiſſimos, & copioſè naſci propoſuit.* Curuata tumore.) *Ordo eſt: Planicies curuata, hoc eſt aſſurgens paruo tumore, modica uerruca (ut Cato uocat) & edita mollibus cliuis, clementer educta ſenſim ſeſe tollentibus iugis, creuerat in collem. Collis autem monticuli nomen eſt. Neq; uero (ſi Diodoro credimus) penitus hæc loci deſcriptio ficta eſt.* Fontes.) *perennis aquæ ſcaturigines, à fundendo.* Niueo de pumice.) *Legitur & Miſſi, hoc eſt manantes de pumice, quod leuiſſimum tophi genus eſt, in modum ſpongiæ putre. in Sicilia maxime reperitur, liquefactis Aetnæ incendio lapidibus.*

bus.inde Catinenſis pumex à Iuuenale dicitur:Si tenerum attritus Catinenſi pumice lumbum. quem cæteri maſculino genere dicunt, unus Catullus etiam muliebri. Lambebant.)leniter alluebant. Gramina.)cæſpitem. Roſcida.)ſtillicidijs aſperſa,uel ab aquis proximi fontis humida. Riuis.)aquæ canalibus. Eſt autem riuus,ut ait Vlpianus, depreſſus per longitudinem locus,quà aqua decurrit. Mobilibus.)Proprium aquæ labentis epitheton:ſed ad loci quoq; gratiam non nihil ſpectat.nam quæ ſtant aquæ, minus iucundæ ſunt. Sylua.)Syluã pro luco poſuit. quanuis ea proprie dicatur,unde materia cæditur:à Græco,quod eſt ὕλη. Lucus uero ſacer eſt & incæduus,qualis hic ab Ouidio Claudianoq; deſcribitur. Temperat.) remittit ac frangit. Ramorum frigore.)Expreßit illud Maronis, Frigus captabis opacum,id eſt umbram. Soles torrentes.)nimios æſtus anni.Soles apud Libanium dies ſignificat,ut quum dicit,iram non eſſe producendam in multos ſoles.Seneca:Nate poſt multos mihi remiſſe ſoles.Apud Oratium,calores:Reſponde ſolibus aptum. Vendicat.)ſibi quodam quaſi iure. Brumam.)hyemis algores. Modico æſtu.) quàm minimo calore. nam penitus excludi non poteſt. Quod ſi Medio leges, intellige feruentiſsimum anni tempus illic non ſentiri. Apta fretis abies.)Hæc, ut ait Plinius,expetita nauigijs arbor eſt,& in excelſo montium ceu maria fugerit ſita.Papin.Theb.6.Hinc audax abies:id eſt, quæ mare conſcendit.In Aegyto ac Syria Reges inopia abietis,cedro ad claſſes feruntur uſi. Cornus.) arbor notiſsima. Accommoda.)utilis atq; idonea. Bellis.)Oßea nãq; tota eſt,indeq; fiunt arcus.alioqui non poteſt uideri materies propter exilitatem,ſed lignum non alio pene quàm ad radios rotarum utile. Quercus amica Ioui.)Quercus in tutela Iouis ac Iunonis erat, ut ſcribit Plutarchus in Quæſtionibus.unde qui ciuem ſeruaſſet in prælio, quernã coronã accipiebat,quod uetuſtas eoſdem deos urbium præſtites exiſtimabat.Huic arbori acceßit honos,ex quo parienti Iouem Rheæ latebras in Arcadia dedit,ut demonſtrauimus ex Callimacho. Amica.)grata. Tumulos tectura cupreſſus.)non omnium,ſed tantum nobilium.Lucanus: Et non plebeios luctus teſtata cupreſſus.Diti ſacra cupreſſus eſt, atq; ideo pro foribus ædium poſita funeris erat indicium: quod tradit Plinius.aliam præterea cauſam reddit Verrius,quòd arbor hæc reciſa nõ repullulat: ſicut ex mortuo tam nihil eſt ſperandum. Ilex plena fauis.)Alluſit ad illud Maronis: Et duræ quercus ſudabunt roſcide mella.

Nam robora ferunt mel, ut Heſiodus autor eſt. conſtatq; rores melleos è cœlo cadentes non alijs magis inſidere frondibus. Porrò quercus ilex & robur è glandiferarum genere ſunt, & inuicem ponuntur apud poëtas. Ouid. Flauaq; de uiridi ſtillabant ilice mella. Tibul. Ipſæ melle dabant quercus.

Venturi præſcia laurus.) Arbor Apollini ſacra laurus eſt ob amorem Daphnes, uel ex eo, quòd ignis habet in ſe ſemina, Apolloq; idem cum ſole et ignis eſt. ideoq; nocturna laruarum terriculamenta fugat, & futura præſentit. nam nihil æque tanto cum crepitu flagrat, ut ait Lucretius, & eo prior Theocritus. inde natum Prouerbium contra conuiciatores: Clamoſius obſtrepit, quàm laurea dum crematur. & Daphne Græce dicitur ab intentiua particula δα, atq; φωνῖν, quod eſt clamare. quòd ingenti cum ſtrepitu crematur, ut ilex: unde futura colligebant, ut Porphyrius philoſophus: & Iliados primo ſcribit Euſtathius. Fragroſius enim combuſta felicitatem portendere credebatur. Tibullus: Laurus ubi bona ſigna dedit, gaudete coloni. Contrà ſi tacita conflagraſſet, triſte erat augurium. Propert. Et tacet extincto laurus aduſta foco. Laurus item conferre credebatur ad bonam ualetudinē, ex quo inſtitutum, uti eius frondes nouis magiſtratibus Kalen. Ian. à P.R. darentur, ut in Græcis Rei ruſticæ collectaneis inuenimus. Quid ſi uenturi præſciam propter puellam Daphnen poëta dixit? ea filia fuit Amyclæ, ut de Amantibus ſcribens ait Parthenius: cui ex homine in laurum mutatæ diuinos honores Spartani decreuerunt, & fanum, unde certiſſima reddebantur oracula. quapropter eandem mutato priore nomine Paſiphaën uocauerunt: autor Plutarchus in Agide. Promittit inſuper Antiphon, & Philochorus, quibus Artemon atq; Serapion Aſcalonites aſtipulantur: ſiquis lauri frondes ſub puluillo capiti ſubiectas habuerit, cum uera ſomnia noctu uiſurū, ut inde Claudianus epitheton dederit. Aut certe uenturi præſciam dixit ex hiſtoria. nam quum Tellus oraculum Delphis initio teneret, uatem pro ſe Daphnen poſuit ex ijs unam, quæ circa Parnaſum montem uerſabantur: ut eſt apud Pauſaniam.

Fluctuat hinc denſo criſpata cacumine buxus,
Hic hederæ ſerpunt, hic pampinus induit ulmos,
Haud procul inde lacus (Pergum dixere Sicani)
Panditur, & nemorum frondoſo margine cinctus
Vicinis palleſcit aquis, admittit in altum
Cernentis oculos, & latè peruius humor

Ducit

Ducit inoffenſos liquido ſub gurgite uiſus,
Imaq́ꝫ perſpicui prodit ſecreta profundi,

Buxus.) arbor, quam πύξον Græci uocant: unde quod oppidum Græci cum Srabone Pyxunta, noſtri Buxentum dicunt in ſinu Poßidoniate, ab hac arbore quæ copioſius illic prouenit. Fluctuat.) Nam leuibus auris impulſa maris undabundi motus exprimit. Verg. Et iuuat undantem buxo ſpectare cythorum. Criſpata.) ſpirante uento uibrata. Maro: Bina manu latè criſpans haſtilia ferro. uel ἀκρέκομος, ut de palma Dionyſius Apher ait, ab hominibus ſumpta translatione. Nam Caras Homerus appellat ἀκροκόμους, id eſt qui crines in ſummo capite gerunt, ut criſpi ſunt. Denſo.) quia uiridis ſemper eſt, & folijs concauis ac nunquam profluis. Ouid. Perpetuoq́ꝫ uirens buxus tenuesq́ꝫ myricæ. Serpunt.) Hoc ait, quoniam lentæ ſemper humi repunt, nec abſq́ꝫ amminiculo ſolæ ſtant, præter eam quæ inde appellata ciſſos eſt. Ouid. Vos quoq́ꝫ flexipedes hederæ ueniſtis. Aut ſerpunt, quoniam tenaciter admotis hærent, & ſe ſpargendo dilatant. inde Perſius ſequaces appellauit: Quorum imagines lambunt hederæ ſequaces. Et in Maronis Iuuenilibus: Serpentes hederæ uix habuere locum. Comitatur & hanc etiam fabella non illepida, quam ſumpſimus ex Græcis Rei ruſticæ collectaneis: Ciſſos inquit, adoleſcens olim fuit hiſtrio ſaltatorq́ꝫ Liberi patris, qui dum Thyaſos exerceret in profundum terræ hiatum caſu lapſus interijt. Tellus in gratiam Bacchi pro iuuene remiſit hederæ fruticem, quæ nunc etiam flexipes eſt, & ſaltantis ſpeciem repræſentat, atq́ꝫ per admota ſerpit, quaſi implicitos ſtaticulorum nexus imitetur. Pampinus.) uitis: à parte totum. nam latiora folia uites habent. Naſo: Pampineæ uites et amictæ uitibus ulmi. Induit.) implicat, ac umbra ueſtit. Vlmos.) quibus adiungi gaudent, ut refert Plinius. & Maro: Vlmisq́ꝫ adiungere uites Conueniat. inde Catullus: Vlmum uitis maritum dixit. Haud procul.) non longè. Inde.) ab hoc loco. Panditur.) diffunditur, & latè patet. Frondoſo marg. cinctus.) cuius ambitum circundant arbores. Ennius Annalium libro 7. Rareſcunt frondes ait: à nominatiuo frus, apud antiquos uſitato. Plinius abſq́ꝫ n fros dicendum putat hoc argumento, quod à frus uetuſtißimo recto mutata u in o uenit, & ille non accipiebat n. Itaq́ꝫ Varro Rerum ruſticarum libro primo dicit: Vlmos & populos, unde eſt fros. Idem Antiquitatum 15. Fros, fœnum, meßis. Nam ſi frons dicas, τὸ μέτωπον ſignificas. Palleſcit.) Alluſit ad paluſtris aquæ colorem, qui luridus eſt: ſed & quæcunq́ꝫ aquæ pallere dicuntur. Sedulius: Fuſas in uinum conuertit aquas,

emittere gaudent Pallorem latices. Aquæ diſcrimina coloris habent hæc, ut ait Seneca: puræ ſunt turbidæ, ceruleæ lucidæ. Admittit in altũ Cernentes oculos.)ad imum perſpicuus eſt. Latè peruius.)undiq; penetrabilis.

Admittit.)non excludit. Viſus.)oculos. Quintus Serenus in medicamentis: Summa boni eſt, alacres homini contingere uiſus. Inoffenſos.) quos nihil remoratur, aut impedit, quin acie tranſmiſſa, interiora laticum deprehendant. Sub gurgite.) quia tranſitionem ſignificat, ſub gurgitem dicendum fuit. Sed Vergilium ſecutus eſt, qui hac eloquutione indifferenter uſus deprenditur. ut eſt, Conditus in nubẽ: &, Nota conduntur in aluo. itẽ: Sæua ſedens ſuper arma. et, Gemina ſuper arbore ſidũt. audacius Aeneidos primo: Rapuitq; in fomite flammã. Sed & Cicero: Quod ille in capite ab hoſtiũ duce, inquit, acceperat. Et tertia in V[illegible]em actione: Et ſi fortes fueritis in eo, quem nemo auſus eſt defendere. G. autẽ Iulius Romanus in eo cui titulũ fecit ἀφορμῶν. Quoties, inquit, præpoſitio Sub, in locum ſignificat, accipit accuſatiuum: ut eſt, Iuuat ire ſub umbras. item, Magna mei ſub terras ibit imago. Quoties in loco ponitur, ablatiuum. quale eſt. Troiæ ſub mœnibus altis. et, Clypeiq; ſub orbe tegũtur. Qũum uerò nulla loci demonſtratio eſt, indifferenter uſurpamus. ut eſt: Sub te tolerare magiſtro Militiã. Item accuſatiuum, ſub eundem ſenſum: Ecce autem primi ſub lumine ſolis & ortus. Liquido.)puro. Prodit.)oſtendit. Ima ſecreta.)intimos receſſus. Profundi.)perſpicui, uitrei uadi. Perſpicuum eſt, quod aciem tranſmittit. Pergum dixere Sicani.)Parentheſis. eundem Perguſam, non Pergum Naſo dixit: Haud procul Aetnæis lacus eſt à mœnibus altus, Nomine Perguſa, non illo plura Cayſter Carmina cycnorum labentibus audit in undis. Sylua coronat aquas, cingens latus omne, ſuisq; Frondibus ut uelo Phœbæos ſummouet ignes. Frigora dant rami uarios, humus humida flores, Perpetuũ uer eſt. Nec mirum. nam qui Pruſiadi mons imminet à multis Argathone, à quibuſdam Argathon appellatur. Homerus etiam per apocopen multa protulit, ut Meſſenem Meſſen, ex interpretatione Strabonis & Euſtathij. quanquam Papinius ut diuerſas accepit, Atarnam Tarnam, Apæſum Pæſum. Simmias item Dodonem Dodo dixit. Epicharmus Syracuſas Syraco. Lycophron Aborigines Borigines, Iphigenian Iphin, Aſclepium Epium. Quin & Aeſchylus Argo nauis gubernatorem Tiphyn, ablata prima cõſonante uocauit Iphyn. & alij Membliaron inſulam, Bliaron. Amorginamq; ueſtem, quæ nomen habet ab inſula Amorgo quidam Morgin appellauerunt, ut refert Pollux.

His

Huc elapſa cohors gaudet per florea rura,
Hortatur Cytheræa, legant: Nunc ite ſorores,
Dum matutinis præſudat ſolibus aër,
Dum meus humectat flauentes Lucifer agros,
Roranti prouectus equo: ſic fata doloris
Carpit ſigna ſui, uarios tum cætera ſaltus

Cohors.) uirginum cœtus. Per florea rura.) Maronis hemiſtichium. Cytheræa.) Venus. Hortatur.) ut occaſionem rapinæ daret. Legant.) decerpant flores. Nunc ite ſorores.) Verba Veneris, puellas hortantis ad ſtudium legendi flores. Præſudat.) irroratur. Plinius loquens de melle libro 10. Siue ille eſt cœli ſudor. Solibus matutinis.) albeſcente iam die. nam Matuta, quæ diem proferret dea putabatur, à bonitate quaſi Matura dicta, ut Verrius ait. Lucret. Tempore item certo roſeam Matuta per oras Aetheris auroram defert, & lumina pandit. ab hac Matutinũ. Naſo: Radijs iuga ſubdita matutinis. Lucifer.) Infra ſolem ambit ingens ſidus appellatũ, Veneris, præueniens ſolem Luciferi nomen accipit, & diem maturat. contrà ab occaſu refulgens appellatur Veſper, ut prorogans lucẽ, quam naturam eius Pythagoras Samius primus deprehendit: Vitruuius & Plinius autores. Meus.) Optimo iure ſidus ſibi uendicat, de quo (ſi credimus Eratoſtheni) ſumma contentione cum Aurora certauit. nam Cephali filius & Auroræ fuiſſe dicitur, ut Higynus etiam refert. alij Iunoni, quidam Mercurio tribuerunt, quòd is primus menſes inſtituerit, & ſiderum curſus præuiderit. Euhemerus ait, primam Venerem aſtra conſtituiſſe, edoctumq́; ab ea Mercurium. Humectat.) madefacit. nam genitalis eſt & roſcidus, ut ait Cenſorinus. Agros flauentes.) Verg. Lyciæ flauentibus aruis. Sed hoc ideò minus aptum, quoniam per hyemem res geritur, quando nondum maturæ ſunt ſegetes, ad quas epitheton Maronis alluſit. Aut flauentes, à uarietate florum: quod minus placet. Prouectus equo.) Fabulæ ſoli quadrigas, lunæ bigas, auroræ luciferoq́; ſingulos tribuunt equos. Lycophron Auroræ dat Pegaſum. Tibullus etiã iugales. Hũc precor, hũc illũ nobis auro ranitentẽ Luciferũ roſeis candida portet equis. Rorãti.) cuius exortu ros cadit. Carpit.) ungue ſecat, et legit. inde Carpere, cuipiã detrahere. Mart. Carpere uel noli noſtra, uel ede tua. Signa ſui doloris.) Cynaras Agriopæ F. inuenit tegulas, ut ſcribit Plinius. Alter (ut legimus apud Lycophronẽ) Thiante patre natus ex Myrrhæ filiæ furtiuo cõcubitu genuit Adonim.

fabulam

fabulam narrat Ouidius Metamorph. 10. Theodorum ſecutus eum, qui temporibus Cleopatræ claruit, & paris argumenti tituliq; libros Græce compoſuit. Oppianus ab auo paterno Myrrham, Thiantida uocauit. Adonim Venus integræ iam ætatis amauit, & ab apro extinctum: uel ut alij tradunt, ab ipſo Marte riuali ſub eius animalis ſpecie, luxit impatientiſsimè, eumq; ſui nominis florē conuertit purpureum. Auſonius: Et murice pictus Adonis. hunc intelligit Claudianus. Etſi nonnulli cum Politiano uetuſtam lectionem interpolant, & ſcribunt cruoris, atq; ad roſam referunt, quæ quū prius unius tantum generis eſſet, & alba, ſanguine Veneris infecta purpureum colorē traxiſſe creditur, quum ad opem Adonidi ferendam ſine ſandalijs accurrēs dea roſæ nepribus offendiſſet, ut refert Aphthonius. Plus tamen apud me antiquorum codicum fides et autoritas ualet, quorum habendam rationem doctiſsimus quiſq; omni tempore iudicauit, in quibus doloris ubiq; ſcriptū. nec uſquam cruoris adnotaui, quum præſertim roſas paulopòſt poëta commemoret, magnumq; necati pueri Veneris dolorem fuiſſe, contraq; leuiter acceptæ plagæ perexiguum, indicio illud eſt, quòd alterius gratia inſtituta ſunt ſacra, in quibus matronæ paſsim per urbes cadaueribus ſimiles imagines collocabant, & ad ipſos tumulos inſtar earum quæ mortuos efferunt, profundebantur, qui dies Adoniorum feſtus Athenis tranſigebatur, ut eſt apud Plutarchum, ad repræſentandas lachrymas, quas amiſſus Veneri puer excuſsit. Eundem Romanis etiam cerimonijs inducta Venus in Theatro plorabat (ſi Prudentio credimus) hoc inter probra deorum cultoribus obijcienti: Meretrix ſpadonem uulneratum ſcænica, Libidinoſo plangit affectu palàm, Nec te lupanar Cypridis ſanctæ mouet. Quin etiam Veneris in monte Libano ſimulacrū obnupto capite uiſebatur ſpecie triſti faciem manu læua intra amictum ſuſtinens, ac (ut inquit Macrobius) lachrymæ ſpectantium opinione manare creduntur, & ex eo ſuillum genus ſemper inuiſum Venus habuit, ut docet Verrius. Spinæ uero non minus quàm debuit, notā neglexit adeò, ut eius florem receperit in tutelam. præſtat itaq; florem Adonis accipere, quum præſertim non conſentiant omnes ſanguine Veneris infectam eſſe roſam. nam quidam tradunt in conuiuio deorum ſaltantem Cupidinem poculum nectaris ex incurſu euertiſſe, eoq; ſparſam terram florem roſæ purpureum produxiſſe, quod etiam refert is, qui Rei ruſticæ collectanea Græce fecit. Veneris & Adonidis item Feſta magno mortalium conuentu Seſti celebrabantur in Helleſponti faucibus, ut Muſæus in Leandro canit.

Inuaſere

Inuaſere cohors, credas examina fundi,
Hyblæum raptura thymum, quum cærea reges
Caſtra mouent, fagiq́ꝫ cauo demiſſus ab aluo
Mellifer electis exercitus obſtrepit herbis.
Pratorum ſpoliatur honos, hæc lilia fuſcis
Intexit uiolis, hanc mollis amaracus ornat,
Hæc graditur ſtellata roſis, hæc alba liguſtris.
Te quoqꝫ flebilibus mœrens Hyacinthe figuris,

Cætera cohors.)reliquæ uirgines. Examina fundi.)Periphraſis apiũ. Fundi.)Fundus eſt, quicquid ſolo continetur: ager uerò fundi ſpecies, ad hominum uſum comparatus: autor Modeſtinus. nomen à fundo uaſorum, cuius ſimilitudinem gerit. nam uterq; planus eſt, ut ait Pompeius. Sunt qui fundi infinitum malint, à uerbo fundo: quod non diſplicet. Thymum.) hanc herbam appetunt apes. Verg. Dumq́; thymo paſcentur apes, dum rore cicadæ. Hylæum.) ab Hybla Siciliæ ciuitate, de qua diximus. eius ager floribus et thymo abundat: unde apes paſtæ, mel optimum conficiunt. Ouidius. Nam neq; quot flores Sicula naſcuntur in Hybla, Quot'ue ferat dicam ſpica Ciliſſa crocos. Quum reges.)Natura commenta eſt regem, quod ab alijs animalibus licet cognoſcere, & ex apibus, quarũ regi ampliſſimum cubile eſt, medioq́; ac tutiſſimo loco: onere præterea uacat exactor alienorum operum, & amiſſo rege totum dilabitur examen, nec unquam plures uno patiuntur, melioremq́; pugna quærunt. præterea inſignis regi forma eſt, diſſimilisq́; cæteris tum magnitudine, tum nitore. Hoc tamen maxime diſtinguitur, iracundiſſimæ, ac pro corporis captu pugnaciſſimæ ſunt apes, & aculeos in uulnere relinquunt: rex ipſe ſine aculeo eſt. Noluit illũ natura nec ſæuum eſſe, nec ultionem magno conſtaturam petere, telumq́; detraxit, & irã eius inermem reliquit. Exemplar hoc (inquit Seneca) regibus ingens eſt, tanto hominum moderatiores animos eſſe debere, quanto uehementius nocent. Mouent.)educũt. Caſtra cærea.)Alluſit ad apiũ naturam: quæ quum ad opus exeunt, exercitum repræſentant. Eſt enim tũ ſtatio ad portas more caſtrorum, quies in matutinum, donec una excitet omnes, gemino aut triplici bombo, ut buccino aliquo: autor Plinius. plura leges apud Maronem. Exercitus mellifer.)perſtat in metaphora. Demiſſus.)egreſſus. A cauo fagi aluo.)à ligneo loculo, quo mella condunt. Plinius de fauis: Aluum nunc contingunt obliqui, nunc rotundi, qualiter

aluus poſcit. Vſurpat & faginum pro ligneo Tibullus: Faginus aſtabat quũ ſcyphus ante dapes. Vel arboris antiquæ cauernas intelligit, quas apes plerunq; ſubeunt, & melle ſtipant. Obſtrepit.) bombitat. In herbis electis.) nam quaſdam nõ omnes inuolant: thymum, apiaſtrum, roſam, uiolas, lilium, cythiſum, caſiam, melilotum, meliſſophyllum, cerynthам. Hæc.) ex ijs aliqua. Intexit.) plectit ac conſuit. Spoliatur.) diripitur. Honos pratorum.) flores ſignificat. Hanc.) aliam: dicticos. Ornat.) redimit & coronat. Amaracus.) Aegyptus & Syria ſampſucum uocat, Siculi (ſi Dioſcoridi credimus) amaracum. Et aptè uerbo Siculæ gentis uſus eſt, quum res in Sicilia geratur. Amaracus Theſproti filius fuit, Ephyri pater: à quo Epiri ciuitas Ephyra, cuius in Odyſſea meminit Homerus. Mollis.) plumei tactus. eſtq; Maronis epitheton: Vbi mollis amaracus illum Floribus, & dulci ſpirans cõplectitur umbra. Graditur.) incedit. Stellata.) quibuſdam uelut ſtellis ornata. Alba liguſtris.) candidis liguſtri floribus compta. Vergilius:

Alba liguſtra cadunt, uaccinia nigra leguntur.

Eſt aũt liguſtrũ, arbor oleæ folio, ſemine coriandri, flore candido, & mirum in modum odorato. Coquitur hoc in oleo, premiturq; poſtea, quod cyprinum uocatur, ab ipſa planta, quæ cypros alio uerbo dicitur: à cuius ubertate Cypro Carpathij maris inſulæ nomen inditum quibuſdam placuiſſe ſcribit Euſtathius. illud ex hortis Columellæ, Nigro permixta liguſtro Balſama: niueo caſtigandum uidetur. equidem nigrum liguſtrum necunqnam uidi, nec legi, nec fando audiui. Hyacinthe.) Hyacinthus Amyclæ filius fuit, eius quo patre Daphnem puellam Philarchus editam ſcribit, ex matre Diomede, ut addit interpres Nicandri. ſiue is eſt quem pro Diphilo citat enarrator Theocriti, ſiue quiuis alius, uir abſq; controuerſia diligens & bene doctus. Suſtulit & Amyclas Leucippum Arſinoës puellæ patrem, cui teneræ cognomentum Coronis acceßit, ut de conditoribus Cnidi ſcribens ait Ariſtides. hæc Apollini peperit Aeſculapium, eiusq; dei ſagittis extincta eſt, Elati filio, cui nomen Iſchys erat, furtim cohæſiſſe depræhenſa. hiſtoriam refert Heſiodus, & Artemon. Mendæ pertinax indoles inualuit apud Higynum: in quo duobus in locis Scin Calci filius, pro Iſchys Elati filius ſcriptum uidebis. Mœrens.) tuum fatum, quiq; Apollinis gemitus repræſentas.

Flebilibus figuris.) nam notas habet in folijs αἶ αἶ, quibus dolentis affectus apud Græcos exprimitur. Ouid. Ipſe ſuos gemitus folijs inſcribit, & αἶ αἶ Flos habet inſcriptũ, funeſtaq; litera ducta eſt. Licet aliqui refragentur,

tur, & hya cum Seruio legendum contendant, ut primam Hyacinthi nomine literam ſignificet, argumento quo uulgus ypſilon uocat Phya, doctiores (ut ipſi uolunt) Hya. nec aliter hanc ab Ouidio literā dictam hya, quam bæta à Iuuenale. Sed ij bis peccant, primum quod Hya nemo peritus unquam protulit: deinde quod ypſilon gemitus nota non eſt. nam ſi quos (ut ſimulant) haberent autores, edidiſſent. Interpretes Theocriti, quos ipſi citant, à me ſunt. eorum uerba ſubieci: τὴν ὑάκινθον φασὶν ἀπὸ τοῦ αἵματος τοῦ αἴαντος ἐν τῇ τροίᾳ μανέντος, διὰ τοιοῦτο ἔχειν ἐγγεγραμμένον αἲ αἲ τὴν ἀρχὴν τοῦ ὀνόματος τοῦ αἴαντος. διὰ τοῦτο οὖν καταγραπτὴν εἶπεν. *Hyacinthū ſcrūt ab Aiacis cruore eius qui apud Troiam furore percitus eſt, ob eamq́; rem inſcriptum habet ai ai, primam nominis in Aiace ſyllabam. hinc igitur inſcriptū dixit. Qui Salaminem incolunt, Aiace mortuo tunc primum apud ſe florem enatum aiunt, quem fabulæ cum hyacintho confundunt. Pauſanias ut diuerſum memorat: Flos, inquit, candidus eſt, leuiter rubens, lilio minor, & folijs. inſunt & in eo literæ, quales in hyacinthis. inde Maronis in bucolico carmine ſcirpus eſt: Dic quibus in terris inſcripti nomina regum Naſcantur flores, & Phyllida ſolus habeto.*

Narciſſumq́ metunt, nunc inclyta gramina ueris,
Præſtantes olim pueros. tu natus Amyclis,
Hunc Helicon genuit: te diſci perculit error,
Hunc fontis decepit amor: te fronte retuſa
Delius, hunc fracta Cephiſus harundine luget.

Narciſſum.) Narciſſus coronamentorum generis, radice carnoſa atq; odora, flore purpureo, folia ab radice habens harundineis ſimilia, niſi quod aliquanto ſunt craßiora: dictus ab eiuſdem nominis adoleſcente, Cephiſi filio, ex Liriope nympha ſuſcepto, quem in eundem florem mutatum ex fabula canit Ouidius. Alij cum Plinio medicisq́; duo genera ponunt, unum purpureo flore, & alterum herbaceum: hunc ſtomacho inutilem, & ideo uomitorium, aluosq́; ſoluentem, neruis inimicum, caput grauantem, & à narce Narciſſum dictum, non à fabuloſo puero. Conſentit & Pauſanias, argumento, quod antiquißimus poëta Pamphos, à Proſerpina lectum multis antè ſeculis Narciſſum florem canit, quàm Theſpienſis adoleſcens extiterit. Sed (quod eius pace dictum uelim) Pamphos ex perſona ſua fingit hoc, ut pleraque poëtæ ſolent. qui licet ante Homeri tempora claruerit,

t 2 poſterior

poſterior Narciſſo *certè fuit.* Veris.) *nam per id tempus ubertim flores naſcuntur.* Olim.)*quondam.* Præſtantes pueros.) *eximia forma adoleſcentes.* Tu.)*ſcilicet* Hyacinthe. Amyclis.)*oppido* Laconiæ,*de quo diximus.*Neq; *nos decipiat* Ouidius:Te quoq; Amyclide *poſuiſſet in æthere* Phœbus.*Illic enim non gentile nomen eſt,ut plæriq; arbitrantur,ſed patronymicum. nam filius* Amyclæ *fuit* Hyacinthus,*ut propoſuimus.Similiter apud* Vergilium,Mygdonides *non à loco, ſed à* Mygdone *patre,*Corœbus *eſt:quem fuiſſe tradit* Zenobius *adeò uecordem,ut maris undas enumeraret.* Quintus, κόροιβον μυγδόνος υἷα, Corœbum Mygdone *natum* Diomedes(*inquit*)*haſta tranſadigit.*Pauſanias *in* Aloiſi Troiæ *ex tabula* Polygnoti:Super Eioneum & Admetum Corœbus *eſt,*Mygdonis F. Hunc.) *alterum ſcilicet* Narciſſum. Helicon.) *altißimus* Bœotiæ *mons ad Aquilonem,*Parnaſo *proximus.uterq;* Muſis *ſacer eſt, ut ſcribit* Strabo.*unde* Heliconiades *apud* Heſiodũ, Muſæ.Lucret.Adde Heliconiadum comites, *quorum unus* Homerus. Te.)*ſcilicet* Hyacinthum. Perculit.)*uulnerauit atq; extinxit.* Error diſci.) *quem tu per imprudentiam tollere feſtinabas,ut eſt apud* Ouidium. *Nã qui fruſtrato dei iactu factum dicunt, expiandi mihi uidentur.Eſt aũt diſcus,pertuſus & planus lapis, quo nõ pueri ſolũ (quod quidã ſcribũt)ſed indolis heroicæ uiri* Græco *more exercebantur. dictus à* δίσκω *uerbo,quod eſt iacio.nam iactabatur aluta uinctus,aut ſolus: in quo referendo & periculũ erat, & apparebat ars. Sunt & qui diſcum orbiculatum fuiſſe tradant,quibus* Hammonius *non accedit.Superiora* Tryphon,*de proprietate* Græci *ſermonis libro quinto.* Pindarus *etiam diſcos lapideos appellauit.* Hunc.) Narciſſum. Decepit.)*fefellit.* Amor fontis.) *Nam quum labore uenationis & æſtu languidus ad proximum fontem decubuiſſent,imaginem ſuam cõſpicatus, in proprios amores exarſit,nimioq; ſui deſiderio contabuit.* Statius *in* Syluis: Quemq; irrita fontis imago,Et ſterilis conſumpſit amor.*Fabulam narrat* Ouidius,*hiſtoriam* Pauſanias *in* Bœoticis. Te.)Hyacinthum. Luget.)*raptum queritur.*

Delius.)*Apollo,ab inſula, cuius antè meminimus* Delo: *uel ab eiuſdem nominis monte, prope* Tegyram Bœotiæ *ciuitatẽ, quæ natales* Apollonis & Dianæ *ſibi uendicat, ut refert* Semus, & Plutarchus *in uita* Pelopidæ, *cuius uerba à nobis in* Latinum *uerſa libuit apponere, quo parum diligentis interpretis error appareat: & erubeſcant, ſi qui cæcè ſecuti ſunt eum.* Non procul hinc Apollinis Tegyræi templum ſurgit, aduſq; Medica bella ſub Encherato uaticinijs,& oraculorum fide pollens,ubi deum ferunt editum.

tum. Proximus enim mons Delos appellatur, ad cuius radices Melonis fluuij franguntur undæ. poſt ipſum templum duo mirifici copia aquarumq; frigiditate & ſuaui guſtu fontes: quarum alterum Palmã, alterum Oliuã hodieq; uocitamus, non quòd inter eius nominis arbores, ſed quòd in medio utriuſq; fontis interuallo dea partu leuata ſit. Nam propè eſſe memorãt locũ, ex eo dictum Ptoum, quod inde repente obiecta apri ſpecie ἀναπτοηθῆναι, id eſt exhoruiſſe, metuq; perculſam eſſe Latonam: quæq; de Pythone Tityoq;, & ipſius dei natiuitate traduntur, hic geſta uolunt. Hæc ille. Quis ergo non uideat, interpretem, quiq; eius utuntur teſtimonio pueriliter hallucinatos, qui πτῶον proprium loci nomen ex cauſa quam dixit, inani ſuſpicione præcipitem tranſtulerũt. Ad hunc Oliuam fontẽ Catulli carmen eſſe referendum, decimo ab hinc anno omnium primi indicauimus, quum cæteri Strabonem cum poeta committerent. Neq; mentiri me ſinet Tydeus Actianus, uir & doctus & integerrimus, quo tum præceptore in literis utebamur: nõ Aelius Gorgonius, aut Putius Florentinus in ſtudijs noſtris eminentiſsimus, qui noſtri tum naſcentis ingenij dexteritatem complexus, in margine ſui Catulliani codicis adnotauit. Quid tamen refert? quum nonnulli inuenti ſint, qui noſtrũ qualecunq; hoc inuentum, pro ſuo recitent ac oſtentent? Sed quo pudorem plagiarijs iſtis imponamus, ecce mutata ſententia, ad ipſam etiam arborem referri poſſe contendimus ex Ouidio, qui 6. Metamorph. ita Latonam circuitione deſignat: Illa ſuam uocat hanc, cui quondam regia coniunx Orbe interdixit, quam uix erratica Delos Errantem accepit, tum quum leuis inſula nabat, Illic incumbens cum Palladis arbore palmæ Edidit inuita geminos Latona nouerca. Pauſanias, in omnibus ferè certaminibus, inquit, uictori palma datur ex inſtituto Theſei. is enim ex Creta Delum uectus, ludos Apollini celebrauit, ipſosq; uictores Deliæ palmæ folijs ornauit. cuius Homerus in Odyſſea meminit, ubi Nauſicaæ ſupplicat Vlyſſes. Strabo tamen oliuæ arborem, & Latonæ partum in Ortygiam Ioniæ lucum transfert. quod mirum uideri non debet. Nã quum hominum opinione receptum eſſet, Latonam in nixu palmæ & oliuæ incubuiſſe, ut meminit etiam Theognis: uel palmæ lauroq;, ut Euripides in Polydoro, quicunq; Apollinis & Dianæ incunabula ſibi uendicabant, ad confirmandã uetuſtatis fidem, eaſdem arbores apud ſe quiſq; demonſtrabant. In Ioniæ luco, quem Strabo uocat Ortygiam, natam eſſe Dianam canit Orpheus, & Homerus in hymnis, Apollinem uerò Deli. Fronte retuſa.) perfracto cerebro. Sed præſtat ad ipſum deum referre, cuius in fronte radios amiſſo pue-

ro retuſos & hebetatos fuiſſe poëta ſentit, qualem fulminato Phaëthonte ſcribit Ouidius, ut conueniat cũ ſequenti: Hunc fracta Cephiſus harundine luget. nam ſingula ſingulis opponuntur. Hunc.) ſcilicet Narciſſum, ſubaudi luget. Cephiſus.) Cephiſus ad Lilæan fontem concipit, Edylium Parnaſſumq́; montes interſecat, & ipſam Bœotiam, priuſquam mari miſceatur cuniculo demerſus, occulto meatu labitur. Hæc ex Homero, Strabone, Polyænoq́; Macedone. & Statius: Propellentemq́; Lilæam Cephiſi glaciale caput. In eius uadis Argynnus Leuconis ex Piſidice filia nepos, dum nataret, extinctus eſt, ut tradit Stephanus. Athenæus ait Agamemnonem in Argynni amorem lapſum, quum forte natantem ſpectaſſet in undis Cephiſi, eiusq́; mortem acerbiſsimè deploraſſet, utq́; pueri memoriam propagaret, iuxta ripas amnis erexiſſe Veneris Argynnidis ædẽ. Sed Alcymnius Chius in Dithyrambis ait: Argynnũ formæ gratia Hymenæo charum fuiſſe. Propertius hunc intelligit Argynnum, quum ſcribit: Sunt Agamemnonias teſtantia littora curas, Qua notat Argynni pœna natantis aquas. Et hãc eſſe ueram Propertij lectionẽ, Nicolaus Picens utriuſq; linguæ diligentiſsimus arbitratur, & mecum ſentit. Fracta harundine.) præ dolore. nam fluuiorum Genios harundinibus ornari poëtæ fingunt propterea, quoniam canna paluſtris eſt, & aquoſis gaudet. Ouid. Amnis harundinibus limoſas obſite ripas. & Maro de Tyberino: Crines umbroſa tegebat harundo.

Aeſtuat ante alias auido feruore legendi
Frugiferæ ſpes una deæ, nunc uimine textos
Ridentes Calathos folijs agreſtibus implet,
Nunc ſociat flores, ſeſeq́ ignara coronat.

Aeſtuat.) ardet. Ante alias.) in primis. Auido feruore.) nimia cupidine. Legendi.) ſcilicet flores. Frugiferæ ſpes una deæ.) Proſerpinam deſignat, unicam matri. ſequitur Heſiodum & Apollonium, quorum uterq; Hecaten unicam uocauit. Hecate uerò cũ Proſerpina confunditur. Orpheus, καὶ τότε δὴ ἑκάτην Δηὼ τέκεν εὐπατέρειαν. id eſt, Et tũ flaua Ceres ſummi de ſemine patris Enixa eſt Hecaten. Frugiferæ deæ.) Cereri, quæ prima dedit fruges alimentaq́; mitia terris: ut canit Naſo. Nunc.) interdũ. Calathos.) Quaſillus à noſtris, & neutro genere quaſillũ dicitur, qui Græcè calathus. Tullius in Antonianis: At uero inter quaſilla pendatur aurum. Pompeius: calathos, inquit, Græci: nos dicimus quaſillos. Vimine.) quicunq; uitilis frutex, uimen appellatur à uinciendo. Columella: Nec refert cuius generis uimen feras, dummodo ſit lentiſsimum. Ridentes.) blandos, et aſpectu iucundos. nam quæ delectant, ridere ſpectantiũ opinione uidentur. Horat. Ille

mihi præter omnis Angulus ridet. Nunc.) aliquando. Sociat.) conſerit flores, hoc eſt, ſertum texit. Ignara.) rudis, & quæ quid ageret non intelligebat. Imminentium malorum cladem mortalibus oſtendi Papinius affirmat: ſed eorũ denunciationẽ negligentia noſtra perire, qui nõ obſeruamus, inde caſu non fato nobis aduerſa accidere exiſtimari. carmen eius eſt hoc: Quis fluere occultis rerum neget omnia cauſis? Fata patent homini, piget obſeruare, peritq́; Venturi promiſſa fides: ſic omnia caſum Fecimus, & uires auget Fortuna nocendi. Coronat ſeſe.) ſertum ſibi imponit.

Augurium fatale tori, quippe ipſa tubarum
Armorumq́ potens, dextram qua fortia turbat
Agmina, qua ſtabiles portas & mœnia uellit,
Iam leuibus laxat ſtudijs, haſtamq́ reponit,
Inſolitisq́ docet galeam miteſcere ſertis,
Ferratus laſciuit apex, horrorq́ receſſit
Martius, & criſtæ placato fulgure uernant.
Nec quæ Parthenium canibus ſcrutatur odoris
Aſpernata choros, libertatemq́ comarum
Iniecta tandem uoluit frænare corona.
Talia uirgineo paſſim dum more geruntur,
Ecce repens mugire fragor, confligere turres,

Augurium fatale tori.) Quod fore portendebat, ut Proſerpina cito nuberet. nam nouæ nuptæ Romanorum more, floribus & uerbenis coronabantur. Quippe.) Quinimmo ſeuera alioqui dea Pallas, et quæ delicias auerſatur. Tubarum armorumq́; potens) quæ bella cum Marte curat, ut recitauimus ex Homero. Laxat.) mollit & remittit. Dextram.) manũ, qua maxime pollet. Turbat.) rumpit, & in fugã uertit. Agmina fortia.) bellica uirtute præſtantes acies. Qua.) ſcilicet dextra. Vellit.) euertit.

Stabiles.) firmas urbium portas. Mœnia.) ciuitatum muros, aut ipſas urbes: ſed hoc ideo Palladi ueteres tribuerunt, quoniam uictoria non minus conſilio, quàm bellica uirtute comparatur. Miteſcere.) ſæuitiam deponere. Sertis inſolitis.) nã militares coronæ, quibus illa utebatur, non ſunt è floribus. Apex.) galeæ conus. Laſciuit.) indulget & ipſe Genio. Horror.) formidoloſus aſpectus. Martius.) bellicus & caſtrenſis. Criſtæ.) coni, iubæ. Vernant.) ornantur floribus, qui uerni dicuntur, quoniam uere proueniunt. Placato.) remiſſo & caſtigato. Fulgure.) ardore, qualem Pallas apud Homerum pugnanti Diomedi iniecit,

cunde-a

eundem Verg. in Turni conum tranſtulit, & Aeneæ galeam. Nam de Turno carmen eſt hoc: Tremunt ſub uertice criſtæ Sanguineæ, clypeoq́; micantia fulmina mittunt. De cono Aeneæ ſic: Ardet apex capitis, criſtisq; ac uertice flamma Funditur, & uaſtos umbo uomit aureus ignes. Et alibi: Cui triplici crinita iuba galea alta Chimeram Suſtinet, ætnæos efflantem faucibus ignes. Nec quæ.) Ordo eſt, Nec eſt aſpernata choros, id eſt uirgineos thyaſos et cœtus. nam ſic ex antiquis codicibus legendum eſt, non toros. Quæ ſcrutatur.) indagat. Canibus odoris.) ſagacibus. & uſurpat Maronis uerbum: Et odora canum uis. Parthenium.) Arcadiæ montem, de quo Strabo, eodem nomine Sami fluuius Imbraſus antea dicebatur. Callimachus, ἀντὶ γὰρ ἐκλήθης ἴμβρασε παρθενίου, id eſt, Imbraſe Parthenij nomine dicte prius. unde Parthenia Samos et Imbraſia. De monte Claudianus intelligit, & hac periphraſi Dianã aſperſit. Libertatem comarum.) ſolutos crines. Tandem.) poſt tantum temporis. Voluit frænare.) induxit animum, ut coherceret. Iniecta corona.) impoſito ſerto. Talia uirgineo, &c.) Tranſit ad raptum. Dum.) per id tempus quo. Geruntur.) fiunt hæc. More uirgineo.) puellari ſtudio. Ecce.) hæc particula, quod ſuprà diximus, affert ſemper aliquid inopinum. Mugire.) pro mugiebat, qua figura rerũ ſcriptores, & Liuius frequenter utuntur. Recens.) nouus & inauditus antea ſonus. Nonnulli codices habent repens, id eſt improuiſus, quod ſuperiori particulæ magis conuenit, & terremotui. Dion in deſcriptione terræmotus, πρῶτον μὲν γὰρ μύκημα ἐξαπίνης μέγα ἐβρύχατο. Primũ quidem magnus & repentinus oboritur fragor. Eſt autem graue murmur antecedens terrarum motum. nam quum uis maior frigidi illata in cauernis eſt, quicquid illic calidi latet, frigori cedens abit in anguſtum, et magno impetu agitur, quia nõ patitur utriuſq; natura concordiam, nec in uno moram. Fugiẽs ergo, & omnino cupiens excedere, in proxima quaq; re molitur, ac iactat. Itaq; antequam terra moueatur, ſolet mugitus audiri uentis tumultuantibus. Etenim ſpiritus in concauis partibus uolutatus, edit ſimilem mugitibus ſonum, raucum, æqualem, et continuum. Nec aliter poſſet (ut Vergilius ait) Sub pedibus mugire ſolum, & iuga celſa moueri: niſi hoc eſſet opus uentorum. Fragor.) Fragor eſt ſubitus & uehemens ſonus, qualem ſolemus audire, quum ſuper caput alicuius dirupta ueſica eſt. Repens.) nomen eſt an aduerbium? quum Salluſtius aliquando nomen, aliquando ponat aduerbium temporis, ut grammaticus profeſſor affirmat Aſper. Apud Papinium dubitat Lutatius interpres, participium'ne ſit an aduerbiũ, Theb. 7.

Vocisq́;

Vociſq; repens ſingultus apertum Interrupit iter. Nomen eſt apud Terentianum: Sed ne corpoream repens tabem accerſeret ocium. Tibullus aduerbium repente poſuit: Nunc mare, nunc leti mille repente uiæ. Cicero repentino pro repente dixit, ut Statilius Maximus obſeruauit, & docuit. Afranius quoq; in emancipato: Vt ſunt repentino apparandæ nuptiæ. Sed a'ij ſic aiunt: Ex eo quod eſt repens repenter, & à recens recenter eſſe debuit: uerum repente repentius repentiſsime dicimus: & ex eo quod eſt recens, quum ſit inſulſum dicere recente uel recenter, utimur ſic: recens fecit, quod eſt nomen pro aduerbio: ut libens dixit. non enim dicimus libenter dixit.

Turres.) altiſsima quæq; murorum propugnacula: uel à parte totum muros intelligit. Confligere.) concurrebant.

Pronaq; uibratis radicibus oppida uerti.
Cauſa latet, dubios agnouit ſola tumultus
Diua Paphi, mixtoq; metu perterrita gaudet.
Iamq; per anfractus animarum rector opacos
Sub terris quærebat iter, grauibusq; gementem
Enceladum calcabat equis, immania ſcindunt
Membra rotæ, preſſaq; graui ceruice laborat,
Sicaniam cum Dite ferens, tentatq; moueri
Debilis, & feſſis ſerpentibus implicat axem,
Fumida ſulfureo prolabitur orbita dorſo.
Ac uelut occultus ſecurum prodit in hoſtem
Miles, & effoſſi ſubter fundamina campi
Tranſilit incluſos arcano limite muros,

Oppida.) munita & in alto poſita mœnia, quod opem belli periculo laborantibus præbeant, ut diſcimus ex Pompeio. Prona.) nutantia. Verti.) pro uertebantur. Vibratis radicibus.) conuulſis ab imo fundamentis. ab arboribus ducta Metaphora. Cauſa.) ratio turbationis. Latet.) clam cæteris eſt. Sola.) tantum. Diua Paphi.) Venus. Aſſyrij cultum Veneris primi inſtituerunt, quos Paphij in Cypro imitati ſunt, ac Phœnices qui Aſcalonem in Palæſtina tenent. à Phœnicibus Cytheræi edocti eadem ſacra ſuſceperunt. inde Paphia Venus, & Cytherea. Paphum condidit Agapenor Ancæi F. exciſa Troia rediens in Arcadiam, ſed ui tempeſtatis in Cyprum delatus. Hæc Homerus, Lycophron, & Pauſanias. Agnouit) Nā

ex Ioue didicerat. Tumultus.) terræ motus. Dubios.) incompertos, & alijs obſcuros: ſeu trepidos, ab eff. ctu. ut illud: Dubiæ nutant cum mœnibus urbes. Mixtoq; metu perterrita gaudet.) lætitia ſimul & formidine pulſabatur. Nam gratus Veneri Proſerpinæ raptus erat, quum propagaretur eius imperium: Plutonis tamen aduentum abſq; horrore expectare non poterat, & ſic utrunq; temperauit affectum. gaudet ita tamen, ut timidum puellæ ſexum non exuat. Iamq;.) deniq;. Rector animarum.) Diſpater inferni numen, quo ſolutæ corporibus animæ cõmeant. Per anfractus opacos.) per obſcuros cauernarum receſſus, & curuis flexibus in ſe recurrentes, cuiuſmodi ſunt quæ ſubterraneo meatu in opertos ſpecus deducunt, de quibus Prudentius in Hippolyto: Huius in occultum gradibus uia prona reflexis Ire per anfractus luce latente docet. Veteres anfracta neutro genere declinabant. ab ambitu & frango dictũ, quod Varro docet. idem uerbum Lucretius in mari etiam uſurpat: Quam fluitans circum magnis anfractibus æquor Ionium glaucis aſpergit littus ab undis. Omnis deniq; flexus, anfractus appellatur. Liuius: Quæcunq; ſe claßis circumegerat per littorum anfractus, breuioribus ſemitis occurrebant. Et alibi: Latè inter omnes anfractus montium fugaq; & cædes fuit. Equis grauibus.) quia iugales erant, et magni. Enceladum.) Gigantem, qui ſub Aetna urgetur, ut iam diximus. Rotæ.) currus. Scindunt.) lacerant. Membra immania.) enormes gigantis artus. Laborat.) tanto ponderi par nõ eſt.

Ferens.) ſuſtinens. Sicaniam cum Dite.) Plutonem ſimul & inſulam, cui nomen ex Iberiæ fluuio Sicano profecti coloni dederunt, ut ait Philiſtus. Sed ab eo diſſentiens Timæus, longa diſputatione cõtendit indigenas fuiſſe Sicanos, unde Sicania dicta ſit. Tentat.) conatur. Moueri.) onus excutere. Debilis.) impar labori. Implicat.) idem ſenſus eſt, ſi legas Impedit. Axem.) currum: uel teres illud lignum, circa quod rotæ uertuntur.

Feßis ſerpentibus.) exhauſtis ſerpentum uiribus, quos pro pedibus habuiſſe gigantas, fabulæ canũt. Cauſam reddit Macrob. & nos alibi. Orbita.) rota, uel eius ueſtigiũ: nunc tantũ rota. Prolabitur.) tractim ruit.

Dorſo.) gigantis tergo. Sulfureo.) Ecce cur fumidam rotam dixit. atq; ita obiter conflagrationis Aetnæ cauſam perſtringit. Tertius hæres Saturni.) Pluton, cui mundum cum fratribus ſortienti, Tartarus obtigit, ut fabuloſa tradit hiſtoria: ut Orpheus in hymnis, terra. Callimachus ſortitos omnino negat. quin ultro Ioui ceſſiſſe germanos aſſerit. Veteres neq; enim commenta poëtæ Vera ſatis iactant Saturni pignora quondam Inter ſe ſum

mup

mam rerum ſortita fuiſſe, Et cœlum ceßiſſe tibi. nam quis precor unquam, Quis rudis uſq; ad eo res ut diſcrimine toto Diſtantes, uni ſtultus commiſerit urnæ? cætera quum uoles, illic. nam Latina nos fecimus, in gratiam cuiuſdam principis. Hæres.) filius. Iuuenal. Ludit & hæres Bullatus. Rimatur.) terra rimas explorat. Deuia.) tenebroſa. cæcos & obſcuros ſpecus, qui q; ingreſſus excludunt, ac exitum negant. Sub orbẽ fraternũ.) ſub auras, ubi Iuppiter Plutonis frater habet imperium. Atq; ita dixit, ut Stat. in Theb. Fama ſubit portus uectũ trans alta Thoanta Fraterna regna re Chio. ſcilicet quam Thoantis germanus Oenopion regiã ſibi condidit, ut domeſticus teſtis eſt Ion, qui de ſua patria Græce ita cecinit: Hanc olim Oenopion Theſides condidit urbem. Thoas uerò & Oenopion ex Ariadna, patre Baccho Thoas, Oenopion Theſeo nati ſunt. Hiſtoriã habes apud Plutarchum. meminit & Ouidius in Heroidibus. Ex utroq; parente fratres affirmat eſſe Diodorus. nam qui fraternam Chium uicinam legunt, indigni ſunt de quibus ſermo habeatur. Prodit.) improuiſus emergit. In hoſtem.) aduerſus hoſtium munimenta, operaq;. Securum.) incautum. Tranſilit.) penetrat, & tranſmittit. Fundamina.) ſupremas & imas ſedes. Effoſſi.) egeſto ſolo cauati. Muros incluſos.) obſeſſa, atq; præſidio tuta mœnia. Arcano limite.) per cuniculũ, quod ab eiuſdẽ nominis animali milites didicerũt, ut ſcribit Vegetius, notiſſimoq; carmine Martial. Gaudet in effoßis habitare cuniculus antris, Monſtrauit tacitas hoſtibus ille uias.

Turbaq; deceptas uictrix erumpit in arces,
Terrigenas imitata uiros: ſic tertius hæres
Saturni tenebroſa uagis rimatur habenis
Deuia, fraternum cupiens exire ſub orbem.
Ianua nulla patet, prohibebant undiq; rupes
Oppoſitæ, duraq; deum compage tenebant,
Non tulit ille moras, indignatusq; trabali
Saxa ferit ſceptro. Siculæ ſonuere cauernæ,
Turbatur Liparis, ſtupuit fornace relicta
Mulciber, & trepidus deiecit fulmina Cyclops.
Audijt, & ſi quem glacies alpina cohercet,
Et qui te latis nondum præcincte tropæis
Thybri natat, miſſamq; Pado qui remigat alnum.

Turba.) manus militum. Erumpit.) euadit. Deceptas.) eluſas.

Terrigenas uiros.) ut qui prodierunt è dentibus illius ſerpentis, quem Cadmus extinxit, ut Demoleontem Seriphumq́; ſocios ulciſceretur, quos anguis abſumpſerat. Eorum uero, qui ſatis eius dentibus nati ſunt nomina, Lyſimachus in Thebaicorum collectaneis, & Hellanicus in primo Phoronidos ita memorat: Vdæum, Chthonium, Pelorem, Hyperenorẽ, & Echionem, cuius & Ouidius meminit. Hippias autem Delius, & Atrometus hiſtoriæ fidem ſequuti tradũt, Spartos (quod apud nos ſatos ſignificat) gentem fuiſſe, quæ ſic appellaretur, unde accenſa poëtarum licentia ad mendacium fabulæ cõſpirarit. Palæphatus ait, hos è proximis finibus excitos, arma tumultuaria ſumpſiſſe in Cadmum. quoniam uero repente conſtiterant, ac ſi de terra contracti undiq; conueniſſent, ſpartos, id eſt ſatos aut terrigenas appellatos. Hoc idem inter Iaſonis certamina narrat Apollonius. nam obruit & ipſe eiuſdem draconis dimidia parte dentes, quos Mars & Pallas Aeetæ dederunt, ut Pherecydes in quinto refert: unde armati prodiiſſe dicuntur. quod ex Græcis nonnulli fictum putant, quod ij primi cuniculis in expugnandis urbibus uſi ſint. Ianua nulla patet.) nullus ad hauriendam lucem datur aditus. Prohibebant.) exitum negabant. Rupes oppoſitæ.) lapidum moles obiectæ. Moras.) obſtacula, uel temporis interuallũ.

Indignatus.) iracundè ferens, quod impediretur. Trabali.) uaſto. ſuprà de Dite Claudianus: Squallẽt immania fœdo Sceptra ſitu. Siculæ cauer.) ſpecus, quæ plurimæ ſunt in hac inſula. Liparis.) inſularum, quas Aeoli uocant, omnium maxima. quæ quanquam ſuo quæq; nomine ſeptem ſunt, omnium tamen incolæ communi uerbo Liparæi dicuntur, ut tradit Stephanus, adiecto ſolum loci uocabulo: ut exempli gratia, Liparæus è Phœnicuſſa, Liparæus ab Erycuſſa. Meligunis antea uocabatur, ut diſcimus ex Callimacho, qui Cyclopas illic Vulcani famulos, eorumq́; ſtatuit officinam. Poſtea dicta Liparis eſt (ut placet Euſtathio) ab Auſonis filio Liparo, cui ſucceſſit Aeolus, ut legimus apud Solinum. Liparenſes autem Cnidiorũ coloni fuerunt, ij duce Pentathlo profecti domo ſedes in Sicilia captauerunt ad Pachynum. mox ab Elymæis & Phœnicibus inde pulſi, Liparam traiecerunt, id temporis uacuam penè cultoribus: & ijs eiectis, ſi qui erant, urbem condiderunt, tantæ quondam rei naualis peritiæ potentiæq́;, ut Tyrrhenos claſſe ſuperauerint. hiſtoriam narrat Antiochus Syracuſanus in rebus Siculis. Fornace.) camino. Prudentius in Symmachum de Vulcano: Regnare caminis Fertur, & Aeoliæ ſummus faber eſſe, uel Aetnæ. Callias

item de rebus Agathoclis 10. Fabrilium operum, quæ Vulcanus illic exercet, ſonitum quinquaginta circum ſtadijs audiri tradit, ipſumq; montis hiatum continuis noctibus ardere, interdiu fumi globos & ingentes pumicum moles eructare. Proximum uero mare nō aliter quàm ſubiectis ignibus olla feruet, ut Pythæas in orbis ambitu refert. Mirum quod ait Xenophanes, hoc incendium quandoq; ceſſare, ſed ſeptimo pòſt anno redintegrari. Audijt & ſi quem.) Maronis æmulatio. Si quem.) Eleganter ambigendo dixit. nam quis unquam crederet, in illa orbis plaga homines habitare, tamen habitant, & Inalpini coniuncto uerbo uocantur, ut legimus apud Plinium. Impudenter mehercle nimis, qui Tibulli carmen, quod in antiquis omnibus exemplaribus, Teſtis Inalpinus legitur, Arupinus inuerterunt. Nam quod is Inalpinos intelligat, inſequentia declarant: Quem ſi quis uideat, uetus ut non fregerit ætas, Terna minus Pyliæ miretur ſecula famæ. Quippe Poſidonius & Protarchus alpes & Ripæos montes eoſdem putant, & Hyperbōreos illic ſtatuunt, quos humani ſeculi modum præterire Græcorum noſtrorumq; hiſtoria notum eſt. Cohercet.) Hoc ait, quod Inalpini per hyemem non uagantur, ſed intra ſpeluncas ſe tenent, quas aduerſus immanitatem frigoris ſubeunt. Alpina.) Feſtus ait, Alpes à niuium candore nominatas: quoniam quod ἄλφον Græci, nosq; album, Sabini dicūt Alphon. Et qui te natat ô Thybri.) Romanorum periphraſis, quorum moribus adoleſcentes armis campeſtribus exercitati ad uillam publicam, ſudorem pulueremq; inde collectum abluebant in proximo Tyberi, & natare diſcebant. Horatius ad Lydiam de Sybari: Cur timet flauum Tyberim tangere. Superiora Vegetius, & Porphyrio. Poſt exercitium natabant, inquit, adoleſcentes, quia & hoc uidetur neceſſarium militiæ eſſe. Thybri.) Græcus appellandi caſus, atq; ideo finalem contrahit. Vergilius: Tu ô cum flumine ſancto Thybri pater. Eius nominis ratio diuerſa traditur. Alij ab amne Siciliæ, qui præterit Syracuſas, quem Thybrim Theocritus, Hybrim Theætetus, Aſclepiades Myrleanus per d literam Dybrim uocat. Seruius autem non fluuium Syracuſarum, ſed foſſas autumat: unde profecti coloni, poſitis ad Albulam ſedibus, in antiquæ patriæ monimentum, Thybridis ei nomen dederunt. Verg. Ab eiuſdem nominis rege Tuſcorum: Aſperq; immani corpore Thybris, A quo pòſt Itali fluuium cognomine Thybrin Diximus, amiſit uerum uetus Albula nomen. quem alij proxima fluuio loca latrocinijs infeſtaſſe dicunt, alij illic ex prælio occubuiſſe. Latis nondum præcincte tropæis.) qui nondum latè fines imperij propagaras. Nam ſecu-

tis poſtea temporibus accolæ eius Romani *à* Gadibus *ad mare rubrum fines imperij terminauerunt* Oceano, *qui orbem terrarum amplexu finit, ut ait* Quintius *apud* Liuium. Verg. *ex perſona* Iouis: Imperium Oceano, *famã qui terminet aſtris.* Id *quod apud* Tibullum Sibylla *fore uaticinatur:* Roma *tuum nomen terris fatale regendis,* Quà *ſua de cœlo proſpicit arua* Ceres. Inde *fluuiorũ regẽ* Thybrin *poëta* Dionyſius *appellauit. eius carmẽ* Rhemnius Fannius *ita* Latinum *fecit:* Regius *irriguo dirimit qui gurgite* Romam Thybris. *&* Ouid. Cuiq; *fuit rerum permiſſa potentia* Thybri. Miſſamq; Pado qui remigat alnum.) *& cymbæ gubernator in* Pado Venetiæ *fluuio, quem mons* Veſulus *inter* Alpium *iuga ſuperantiſsimus, gremio ſuo fundit, uiſendo fonte in* Ligurum *finibus. unde ſe primum proruit, ſummerſusq; cuniculo rurſus extollitur, nulli amnium inferior claritate: à* Græcis *dictus* Eridanus. Intumeſcit *exortu canis, tabefactis anni tempore niuibus, & liquentibus brumæ pruinis, auctusq; aquarum agminibus, triginta flumina defert in* Adriaticum: Plinius *&* Solinus *autores.* Sed *hic alnum, pro lintre & nauigio minoris formæ poſuit, imitatione* Maronis: Vndam *leuis innatat alnus* Miſſa Pado. *quod alnus in ripis* Eridani *primum uiſa creditur, & illic ſpectatiſsimè et magna copia uiret, ut ait* Pauſanias, *ex hiſtoria quam narrat* Ouidius. Nam *quum* Phaëthon *impetratos à patre currus male regeret, fulmine* Iouis *in hunc amnem deiectus eſt, quumq; eĩ ſorores impatientiſsimè flerent, in populos (uel ut* Apollonius *&* Græci *ſcribunt) in alnos uerſæ dicuntur.* Earũ *nomina ſunt:* Phaëthuſa, Phœbe, Lampetie: *quæ liberos quinq; genuit ex* Aeſculapio, Machaonem, Podalirium, Iaſo, Panaceam, *&* Aeglen *cognomento iuniorem: quod in* Senarijs *iambo primo tradit* Hermippus. Sed Ariſtides *de* Gnidi *cõditoribus ſcribẽs:* Aeſculapius *inquit, ex* Epione Podalirium *&* Machaonem *filios habuit.*

Sic quum Theſſaliam ſcopulis incluſa teneret,
Penæo ſtagnante palùs, & merſa negaret
Arua coli, trifida Neptunnus cuſpide montes

Palus incluſa ſcopulis.) *undiq; ſepta rupibus.* Theſſaliam.) *Aiunt ali quando* Oſſam Olympo *cohæſiſſe, deinde terrarum motu receſsiſſe, et ſciſſam unius magnitudinem montis in duas partes, tũc effugiſſe* Penæum, *qui paludes, quibus latuerat* Theſſalia, *ſiccauit: abductis in ſe quæ ſine exitu ſtagnauerãt aquis:* Herodotus *autor et* Strabo. Diodorus, Catullus, *&* Tragœdiarum *ſcriptor* Seneca, *addunt ex fabula:* Iunctos *olim perpetuo iugo colles* Herculem *diremiſſe, atq; patefacta mole montium, qua nunc it, exitũ*

Peneo feciſſe. Sed incolæ Neptunno tribuunt opus, in quo cauſa terræmotus eſt: ut Homerus indicat, & refert Gellius. Theſſalia uerò multis antea nominibus dicebatur. à Pyrrha Deucalionis uxore Pyrrhæa, ab Aemone rege Aemonia: demum ab eiuſdem filio Theſſalo, Theſſalia. Vniuerſa regio ab Aleuato Pyrrhæ filio quatuor in partes diuiſa eſt: Theſſalioten, Pelaſgioten, Phthioten, & Eſtioten: ut Ariſtoteles de cõmuni Theſſalorum rep. ſcribens autor eſt. Stagnante.) *inundante.* Penæo.) *fluuio Daphnes puellæ patre, ut noſtræ fabulæ canunt. Is Araxes antea dictus eſt, quod per abrupta montium ſe proruat: ut ſcribit Euſtathius in Dionyſium. Præter Oſſan Olympumq; decurrit, collibus dextra læuaq; molliter curuis. nemoroſis conuallibus in Theſſalia facit, quæ Tempe uocant: undiq; apertioribus Magneſiam interluens, in Thermæum ſinum conditur. Eiuſdem filius Atrax fuit, ex Bora nympha ſuſceptus, Hippodamiæ pater, eius quæ Pirithoo nupſit, à quo Theſſaliæ gens Atraces.* Negaret.) *nõ pateretur.* Montes aduerſos.) *obſtantes rupes, quas ſuprà ſcopulos appellauit. nã hæc inuicem ponũtur. Verg. Scopuli de uertice paſtor: id eſt montis. Et alibi Claud. Illius & duri fleuere ſilentia montes: hoc eſt, etiam ſaxa, ut illic expoſuimus.* Neptunnus.) *Spiritus intrat terram per occulta foramina, ſicut & ubique, ita & ſub mari. deinde quum obſtructus ille trames, per quem deſcenderat, reditum, aut illi à tergo reſiſtens aqua abſtulit, huc & illuc fertur, & ſibi ipſe occurrens terram labefactat. ideo frequentiſſimè mari oppoſita uexantur, ut longa diſputatione Calliſthenes docuit. Inde Neptunno hæc aſſignata terram mouendi potentia, ex qua Siſichthon ab Homero uocatus eſt.* Trifida cuſpide.) *Periphraſis fuſcinæ, quæ tridẽs eſt. hoc autem telum Neptunno tribuitur, propter tris mediterranei maris ſinus, quos refundit Oceanus, ut Apher Dionyſius ex interpretatione Euſtathij canit. aut propter aquæ triplicem naturam, fontium dulcem, æquoris ſalſam, ſtagnorum mediam, nec amaram, neq; guſtu gratam.*

Impulit aduerſos, tum forti ſaucius ictu
Diſſiluit gelido uertex Oſſæus Olympo,
Carceribus laxantur aquæ, fractoq; meatu
Redduntur fluuijsq; mari, tellusq; colonis.
Poſtquam uicta manu duros Trinacria nexus
Soluit, & immenſo latè diſceſſit hiatu,
Apparet ſubitus cœlo timor, aſtra uiarum

Mutauere

Mutauere fidem, uetito ſe proluit Arctos
Aequore, præcipitat pigrum formido Booten,

Diſsiluit.) in hiatum patuit, & auulſus eſt. Vertex.) in noſtro capite ſumma pars: ut docet Fabius à flexu capillorum, ſed hic tantũ mons, notiſsima translatione. Oſſæus.) Oſſa Theſſaliæ mons, ut antè diximus. Olympo.) multorum montium nomen Olympus eſt: Elidis, Arcadiæ, Ciliciæ, Theſſaliæ, Macedoniæ. Theſſali, quem Claudianus intelligit, meminit Apollodorus, & in eo ludos Olympicos Eleis æmulos celebrari tradit. Alius in Myſia redditur Olympo regi cognominis, à cuius uxore Nepæa (quod Dionyſius Mileſius etiam tradit) eiuſdem regionis campus dictus eſt. Gelido.) frigido, quod in ſumma quoq; ſerenitate poteſt accidere. nam uinoſum intelligere abſurdũ eſt, quum conſtet Olympum adeò in altum ſurgere, ut nubes excedat, & ultra tempeſtates attolli credatur. Lucan. Nubes exceſsit Olympus lege deũ. Claud. alibi: Sed ut altus Olympi uertex qui ſpacio uentos hyemesq; reliquit, Perpetuum nulla temeratus nube ſerenũ Celſior exurgit pluuijs, auditq; ruentes ſub pedibus nimbos, & rauca tonitrua calcat.

Laxantur.) effunduntur. Carceribus.) undiq; præcludentium rupiũ clauſtris. Fractoq; meatu.) ruptis obijcibus, atq; exitu patefacto. Adiuuat hanc opinionem Lyte proximus tempe locus à λύσαι, quod eſt abrumpere nominatus, ut ſcribit Stephanus Malè qui facto legunt. Redduntur mari.) Hoc ait, quoniam fluuios à mari nonnulli manare diſputant, & incrementa inde ſumere, ut refert Seneca. Tellus.) ſubaudi redditur.

Colonis.) incolis ad habitandum: uel ad ſementem ut referas, ad id quod antè dixi: Cum merſa negaret arua coli. Pelaſgus eo tempore rerum potiebatur in Theſſalia, cui populare feſtum celebranti Pelor emiſſum Penæum facto terræmotu nunciauit, eaq; res adeò grata fuit, ut Pelori diſcumbere iuſſo rex ipſe miniſtrauerit. inde Peloria ſacra ſunt inſtituta, in quibus heri ſeruis ſuis epulas procurabant, quemadmodum Romæ Saturnalibus, ut Sinopenſis Baton autumat. Victa manu.) ui Plutonis abſciſſa. Et immenſo latè deſceſsit hiatu.) Enna mediterranea Siciliæ ciuitas eſt, & ab ea non longè nemus, quod in media inſula ſitum, umbilicus Siciliæ nominatur, ubi æquata agri planicies & aquæ perennes. Tota uerò omni aditu circunciſa atq; direpta eſt, quâm circa lacus luci'ue ſunt plurimi, & lectiſsimi flores omni tempore anni. Propè eſt ſpelunca quædam conuerſa ad Aquilonem infinita altitudine, qua Ditem patrem ferunt repente cum curru exiſſe, abreptamq; ab eo loco Proſerpinam ſecum aſportaſſe, & ſubitò non longè à

Syracuſis penetraſſe ſub terras. Lacumq́; in eo loco repente extitiſſe. Vbi Syracuſani feſtos dies anniuerſarios agebant, celeberrimo uirorum mulierumq́; conuentu. Propter huius opinionis uetuſtatem: autor in Verrem Cicero, Ariſtoteles, Diodorus, Solinus: Orpheus tamen & Pauſanias in Attica rem geſtam uolunt, quà Cephiſus amnis Eleuſin præterit, in cuius etiam ripis legentem flores Orithyiam Chærilus à Borea raptam canit Simonides, & Apher Dionyſius ex Iliſſo. Sunt qui tradāt ab Acheruſio ſpecu Ponti emerſiſſe Plutonem, quum Proſerpinam rapuit ex agro Cyziceno iuxta montem Dindyma. Propert. Dindymon & ſacræ fabricata inuenta Cybeles, Raptoriſq́; tulit quæ uia Ditis equos. Hermionei ſpecus oſtendunt haud procul à Lerna palude, quà Pluton hauſta luce Proſerpinā rapuerit, ut eſt apud Pauſaniam. Apparet ſubitus cœlo timor.) repente cœlum turbatur, quod inferni numinis aſpectu fieri poëtæ fingunt. Papinius de Charonte: Qualis ſi puppe relicta Exoſus manes nigri ſulcator Auerni Exeat ad ſuperos, ſolemq́; & pallida turbet Aſtra, nec ipſe diu fortis patienſq́; ſuperni Aëris. Aſtra.) ſidera, quæ ſunt in zodiaco propriè dicuntur. Euripides ὦ τὴν ἐν ἄστροις οὐρανοῦ τέμνων ὁδόν. O qui per aſtra cœli teris ſemitam. Mutauere fidem uiarum.) ſolitos curſus reliquerunt. Arctos.) ſidus in quod Lycaonis filia Calliſto migrauit ex urſa in quam Iunonis indignatione, cuius erat pellex, mutata dicitur: aut Dianæ, quoniam uirginitatem prodidiſſet. Fabulam narrat Ouidius & Higynus. & rectè ad Septentrionem poſita ſidera, formidine capta prius inducit. nam ſpecus unde Diſpater emerſit, ad Aquilonem obuerſus eſt, ut recitauimus ex Cicerone.

Proluit ſe.) mari merſit. Aequore uetito.) Tethys Oceani coniunx in Iunonis alumnæ ſuæ gratiam Arcton, ut alias ſtellas in mare non recipit, ut eſt apud Naſonem. Sed qui de Siderū ratione ſcripſerunt, inclinationē mundi dicunt efficere, cur id ſidus non occidat, lege Manilium. Firmicus in Apologia matheſeos: Cur Septentriones inquit, nunquam cœli rotato uertice ad occidentem transferuntur, orientiq́; reſtituūntur? Formido.) terror ex aſpectu Plutonis. Præcipitat.) rapit ad occaſum. Bootem.) Bootes, ut in deorum natura ſcribit Cicero, Arctophylax etiam dicitur. quod Manlius affirmat, & Auienus hoc uerſu: Arctophylax, ſiue ut ueteres cecinere Bootes. Arctophylax appellatur, quòd adhibitus ut quidam cuſtos urſæ uideatur: Bootes quòd in modum bubulci plauſtrū ſequitur. Magnus ſideris ambitus: alijs ad Icarum, nonnullis ad Arcadem Iouis ex Calliſto filium referentibus, unde Arcadia dicta ſit: ut ait Pauſanias. Sed Duris de Rebus Ma-

cedonicis quintodecimo tradit: Arcadem, qui nomen Arcadiæ dedit, Orchomeni filium fuiſſe eius, à quo Orchomenus ciuitas appellationẽ ſortita ſit. de hoc Higynus fabuloſa perſequitur, quamuis ex hiſtoria uideantur. Pigrum.) Iuuenal. Frigida circumeunt pigri ſarraca Bootæ. Boues tardi ſunt. Ouid. ad Auroram: Prima uocas tardos ſub iuga panda boues. Tibullus: Aut ſtimulo tardos increpuiſſe boues. Inde tardus epitheton bubulci proprium eſt. Verg. Tardi uenere bubulci. Nam legendum ſic eſt, non ut Seruius & alij, ſubulci: quos in bucolico carmine nunquam Theocritus introducit. & Donatus tria tantum paſtorum genera, quæ dignitatem in bucolicis habent, enumerat: bubulcos, opiliones, & omnium minimos αἰπόλους, id eſt caprarios: quod nomen cautè conſultoq; in ijs quæ ſumpſit à Theocrito Verg. omiſit, ut obſeruauit & docuit Gellius. Sed ipſe Theocriti uerſus, quem noſter æmulatur, ubi ſubulci mentio nulla fit, à nobis eſt, ἦνθον ταὶ βοῦται, τοὶ ποιμένες, ᾡπόλοι ἦνθον. Ductores ouiũ, et qui paſcũt rure capellas, Et uenere boum cuſtodes. Eſt & ratio mathematica, cur Arctophylax piger appelletur. nam adeò cardini iunctus eſt, ut nunquam totus occidat, ac opinione proſpectantium in eiſdem ueſtigijs ſtare exiſtimetur. Orion.) ex deorum urina natus eſt, ut ait Nigidius, & in Faſtis canit Ouidius, & apud Græcos Pindarus, & Ariſtonicus. Eundem Diana ſubdolo fratris ſuaſu, ſagitis extinxit, ut ſcribit Iſter. nam cum dea uiri conſuetudine delectaretur uſq; ad infamiam, idq; Apollo grauiſſimè ferret, nec obiurgationibus quicquam proficeret, quod ſolum caput natantis Orionis extabat, ſorori procul indicauit, cum ſponſione contendens, eam non poſſe telum mittere ad id, quod in mari nigrum appareret. quæ cũ uellet in eo ſe ſtudio artificem maximè probare, miſſo telo caput Orionis traiecit, defunctumq; defleuit acerbe, & inter ſidera ſtatuit. Hæc eſt Orionis amaſia, cuius deſiderio Orion pallebat, ut eſt apud Ouidium: Pallidus in lyncem ſyluis errabat Orion. id eſt, quum Dianæ comes Orion uenaretur, ipſius deæ cura carpebatur. Nam qui uel auroram ſuſpicantur Orionis amicam, uel Lyñcem puelle nomen exiſtimant, non minus quàm ſequentis uerſus hiſtoriam non percipiunt: Pallidus in lenta Naide Daphnis erat. nam Daphnis, cuius à Marone prætermiſſa mentio non eſt Mercurij filius fuit. cum Nympha quedã dilexit, quam Soſitheus Thaliam uocat: quæ ſuſpicione pellicis offenſa, Daphnidis congreſſus auerſata eſt. at ille amoris deſiderio contabuit, cuius mortem longo carmine deflet Theocritus. Naidem uerò lentam dixit Ouidius, quæ moriente Daphnide ceſſauit, nec opem tulit. Alibi tamen Naſo

Daphnin

Daphnin in lapidem obduruiſſe refert. Vulgatos taceo, dixit, paſtoris amores, Daphnidis Idæi, quem Nymphæ pellicis ira Contulit in ſaxum: tantus dolor urit amantes. Heſiodus ait, Neptunnum compreſſa, nō ut inuerſus Higyni codex habet) Euryale, ſed ut Nicandri ſcribit interpres, Hyclo Minois filia, Orionem procreaſſe: qui patris beneficio ſuper fluctus ſuſpenſis ueſtigijs, ut in terra curreret, ſicut Iphyclo datum dicitur ut incederet per ariſtas, nec eas infringeret. Caſtigandus obiter eſt apud Higynum locus, in quo dempta priore uocali, perperam Phyclus legitur: quum Iphyclus ſcribendum ſit, ex interprete Apollonij, qui de Iphyclo Phylaci filio idem quod Higynus recitat, ex Heſiodo.

Horruit Orion, audito palluit Atlas
Hinnitu, rutilos obſcurat anhelitus axes
Diſcolor, & longa ſolitos caligine paſci
Terruit orbis equos, preſſis hæſere lupatis
Attoniti meliore polo, rurſusq; uerendum

Horruit.) Affectauit hoc in Orione uerbum, quod eius ſidus inter horrida ponitur. Plinius: Hæc, inquit, ab horridis ſideribus exeunt, Arcturo, Orione, Hœdis. Itaque ſi timuit horrificum ſidus Orionis, quanto magis alia? Seneca: Fera coma hinc exterret Orion deos. Papinius: Quantus mucrone minatur Noctibus hybernis, & ſidera terret Orion. Palluit.) territus eſt, aut dubia cœlum ceruice remiſit, ut ait Papinius. Atlas.) In extremis Libyæ mons eſt ad occaſum, Diris ab incolis appellatus. huic proxima gens Atlantum ſomnia non uidet, ut Arrhianus, & è noſtris Cicero tradit. Monti nomen dedit Iapeti filius Atlas, ex Aſia ſuſceptus, Promethei frater: quem Perſeus prolato Gorgonis capite in montem conuertit, quod hoſpitium ſibi negaſſet. fabulam narrat Ouidius. Anhelitus.) afflatus equorum. Diſcolor.) niger: ut decolor, id eſt fuſcus & ater Indus. Ouidius: Oriens tibi uictus ad uſque Decolor extremo quà cingitur India Gange. Vel Diſcolor, id eſt, uitiatus. nam diſcoloratur, aut decoloratur, cuius color uitiatur, nō mutatur: ut ait Seneca. Obſcurat.) caligine obducit. Axes.) Hic tantū polos, id eſt extremas cœli partes. Sed et ſtipes teres, circa quē rota uertitur, et tabula ſectilis, axis dicitur, ut docet Verrius.

Orbis.) à rotunda ſpecie ſol; aut lux qua nos incolæ terrarum fruimur.

Equos.) Plutonis. de quibus Naſo: Diurnum Lumen inaſſueti non patiuntur equi. Solitos caligine paſci.) Quibus atra nebula pabulū eſt apud Inferos: aut qui denſiſſimis in tenebris habent præſepia, quod ſuprà poëta teſtatur: Qui paſcua mandunt Cocyti, ſpacijsq; Erebi nigrantibus errant.

Hæſere.) immoti conſtiterunt. Preſſis.) intra dentes aſtrictis, quod duræ ceruicis equi plerunq; faciunt. Lupatis.) Lupi, fræna quæ contumacibus induntur equis, quos Lycopadas appellant Græci. Plutarchus in ſecundo Sympoſiacorum: Lycopadas equos eſſe, qui luporum morſus effugerunt, & hos affirmat optimos haberi. Attoniti,) conſternati. nam qui ſubito uicini fragoris ſono ſtupent, attonitos appellamus: ut autor eſt Seneca. Meliore polo.) clariore cœlo quàm quod apud inferos malignè lucet.

In Chaos obliquo pugnant temone reuerti,
Mox ubi pulſato ſenſerunt uerbera tergo,
Et ſolem didicere pati, torrentius amne
Hyberno, totaq; ruunt pernicius haſta,
Quantum nõ iaculum Parthi, non impetus Hauſtri,
Nec leue ſolicitæ mentis diſcurrit acumen.
Sanguine fræna calent, corrumpit ſpiritus auras
Lætifer, infectæ ſpumis uitiantur harenæ.
Diffugiunt Nymphæ, rapitur Proſerpina curru,
Imploratq; deas, iam Gorgonis ora reuelat
Pallas, & intento feſtinat Delia cornu,
Nec patruo cedunt, ſtimulat communis in arma
Virginitas, crimenq; feri raptoris acerbat.

Pugnant.) luctantur. In Chaos uerendum.) ad horrendas Inferni ſedes. & hoc ait, quoniam manes ſolis aſpectum nõ ferunt, inde Anchiſæ umbra apud Verg. queritur. Et me ſæuus equis oriens afflauit anhelis. Sed ipſi quoq; dij ſuperi interdiu non uagantur. Papinius: Huc & ſub nocte ſilenti, Quum ſuperis terrena placent, tua turba relicto Labetur cœlo, miſcebitq; oſcula iuxta. Vbi (parcant Domitij manes) quid ineptius? quàm excidium Romani imperij intelligere? quod propter rerum geſtarum magnitudinem perpetuum fore uaticinati ſunt omnes? quum ſuo Cæſari blandiens poëta dicat: Flauiæ gentis deos quos Domitianus conſecrauerat, eiuſdem Coloſſum cœlitus inſeſſuros, quum ſuperis terrena placent, id eſt noctu, quo tempore dij terras inuiſunt. Verſo temone.) reflexo curru. Mox.) deinde. Sen-

ſerunt

ſerunt.)paßi ſunt. Verbera.) plagas,aut ſcuticā. Tibullus:Intorto uerbere terga ſeca. Pulſato.)flagris cæſo. Verg. Pulſatuſ'ue parens.id eſt, plagis affectus. quanquam pulſare leuioris eſt incōmodi quàm uerberare.

Et ſolem didicere pati.)ad ſolis lumen caligare deſierunt. Ruunt.) effunduntur ad curſum. Torrentius amne hyberno.)rapidius torrente qui collectis hymbribus incitatißimus fertur. hybernus aūt ita ab hymbre deducitur,ut à patre paternus. Tibullus:Aut gelidas hybernus aquas quum fuderit hauſter,id eſt pluuius. Pernicius.)celerius. & Catullus Atalantā, quæ pedum curſu ualuit, pernicem dixit. Haſta torta.)miſſo iaculo. Quantum non diſcurrit.)quantum non euadit. Et amplificat comparationis exceſſu uelocitatem. Iaculum Parthi.)ſagitta quam Parthus eques excußit.nam Parthos iaculandi ſtudio claros eſſe conſtat. Ouidius in Artibus:Tergaq́; Parthorum,Romanaq́; pectora dicam,Telaq́; ab auerſo quæ iacit hoſtis equo. Non impetus.)effrena uis. Hauſtri.) uenti.ſpecies pro genere. Non leue ſollicitæ mentis diſcurrit acumen.)Mira ſuperlatio.nam ſumma celeritas mentis eſt,ut inquit Homerus,& Thales,præſertim ſi curis æſtuat momento temporis, quantumcunq; diſtantia penetrat et aſſequitur,habentq́; mens & iaculum ſimilitudinis inter ſe quandam cognationem.nam per haſtam mentis acumen in Pallade repræſentatur, ut placet Capellæ. Calent ſanguine.)tepido cruore perfunduntur,ut equi generoſi conſueuerunt,quum frena mandunt. Sedulius: Nec terga frementis Ardua preßit equi,phaleris qui pictus & oſtro,Ore cruentatum mandenti concutit aurum. Letifer ſpiritus.)grauis & peſtilens uapor. Corrumpit auras.)Rem ſeriam ſuo more fabula inuoluit. In Plutone peſtilentē noxiumq́; uaporem ſentit,qui per ſecula conditus tenebris ipſa triſticia loci creuit in uitium,mora grauis,eo peior quo ſegnior, ubi exitum nactus eſt, & æternum illud umbroſi frigoris malum,& æternam noctem ſoluit, ac regionis noſtræ aëre infuſcat:inde ſubitæ mortes,& breuis,& longa clades,prout uitia ualuere. Nymphæ.)Proſerpinæ comites. Diffugiūt.) in diuerſa labuntur. Rapitur Proſerpina curru.)Noua nupta plauſtro uehebatur in domum uiri,quod iunctæ mulæ,uel boues trahebant,ut Pauſanias grāmaticus refert,ad quod Claudian.alluſit. Curru.)ſeptimus caſus. aut datiuus ex antiqua proportione,quam Cæſar probauit. Lucilius: Quod ſumptū atq; epulas uictu præponis honeſto.legas ergo: Curru,pro currui, id eſt, in currum. Verg. It clamor cœlo. Imploratq́; deas.)à ſororibus opem petit. Iam Gorgonis ora reuelat.)Aperit Aegidem, quam ueſte

obtexerat. ſuprà Claudian. Tantū ſtridentia colla Gorgonis, obtectu pallæ fulgentis obumbrat. Et eleganter hoc ait. nam Verg. appellauit Aegidem armairatæ Palladis. & Martial. Accipe belligeræ crudū thoraca Mineruæ Ipſa Meduſææ quo tumet ira deæ. Mineruæ autem ſignum ita effictū Athenis erat, ueſte ad imos talos demiſſa, eburneo Meduſæ capite in eius pectore, in manu haſta quatuor cubitis amplior, ad pedes ſcutum iacebat, iuxta haſtam draco, quem Erichthonium ſuſpicari licet ex fabula: lege Pauſaniā. uel Gorgonis ora reuelat, expone, clypeum promit in quo Meduſæ caput erat: ut ipſum ſuperius accipias abſconſum. Seneca de Minerua: Cuius in læua ciet Aegis feroces ore ſaxifico minas. Delia.) Diana. Feſtinat.) properat ad opem ferendam. Cornu.) arcu. Intento.) nam remiſerat, ut antè eſt dictum. Nec patruo cedunt.) nec ullam habent rationem, quod Pluto frater eſſet Iouis, quo parente utraq; nata erat. Nam patris mei frater, mihi patruus eſt. Stimulat in arma.) excitat ad ſuppetias. Communis uirginitas.) quod & ipſæ uirgines erant, & pudicitiam raptorum inſidijs expoſitam eſſe nolebāt. Acerbat.) Atrocius uideri facit. nā quo pluris illæ pudicitiam faciebant, eo magis indignitate rei mouebantur. Feri raptoris.) Ditis, quem deæ rapta Proſerpina ſæuiſsimum iudicabant. aut eſt certum Plutonis epitheton, ferus.

Ille uelut ſtabuli decus, armentiq́; iuuencam
Quum leo poſſedit, nudataq́; pectora fodit
Vnguibus, & rabiem totos exegit in armos,
Stat craſſa turpis ſanie, nodoſq́; iubarum
Excutit, & uiles paſtorum deſpicit iras.
Ignaui domitor mundi, teterrime fratrum,
Pallas ait, quæ te ſtimulis facibuſq́; profanis
Eumenides mouere? tua cur ſede relicta
Audes Tartareis mundum inceſtare quadrigis?
Sunt tibi deformes Diræ, ſunt altera Lethes
Flumina, ſunt triſtes Furiæ te coniuge dignæ.
Fratris linque domos, alienam deſere ſortem,
Nocte tua contentus abi. quid uiua ſepultis
Admiſces? noſtrum quid proteris aduena mundum?

Talia

Talia uociferans auidos umbone minaci

Ille.) ſcilicet Pluton, ita dearum uocibus non mouebatur, ut leo. Quum poſſedit.) prædatus eſt. Iuuencam.) uitulam. Decus armenti.) eximiã, quæq; ſui generis omnibus forma præſtaret. Fodit unguibus.) lacerauit. Nudata.) detracto corio. Exegit rabiem.) expleuit famem. In totos armos.) uorato ferè toto pectore. Stat craſſa turpis ſanie.) Comparationis ecbaſis non inſobria. nam duos uerſus non excedit. Craſſa turpis ſanie.) cruore fœdatus, ac oblitus tabo. Excutit.) inter edendum uibrat. Nodos iubarum.) nodoſas & impexas iubas. quod generoſi leonis indicium eſſe, iam diximus. Deſpicit.) aſpernatur, ac negligit. Viles iras paſtorum.) uilium paſtorum minas. & eſt hypallage. Pallas ait.) Obiurgatio Palladis in Plutonem. Domitor.) Illudit, ut apud Maronem Neptunnus: Regiq; hæc dicite ueſtro. Ignaui mundi.) inertium umbrarum. quod initio dixit: Dij quibus innumerum uacui famulantur Auerni Vulgus iners. Et recte Pallas ignauiam uituperat, quæ ſolers ac ſtrenua ſemper inducitur, & auerſari deſidiam. Teterrime.) peſsime. quippe qui deteriorem mundi partẽ ſortitus eſt. Eumenides.) A contrario dicuntur Furiæ, quoniam beneuolæ minus ſunt: ut ignis ſacer in corporum morbis, id eſt execrandus. de quo noſtra traductione Callimachus: Mentimurq́; ſacrum qui dicimus. Auget autem Plutonis admiſſum Pallas, quem non amore, ſed furijs, quæ ſemper ad ſcelus impellunt, actum ait, ut Proſerpinam raperet. Facibus profanis.) rogalibus & abhominandis, quibus ad ſcelera mortales deprauant. Tua ſede relicta.) tua regia, ſcilicet Tartaro. aut præcipitem quendam inferni locũ ſignificat, quæ Scelerata ſedes uocatur, ut eſt apud Ouidium. Tibullus: At Scelerata iacet ſedes, in nocte profunda Abdita, quam circum flummina nigra ſonant. Audes.) tanta animi licentia uteris, ut tibi permittas? Inceſtare.) uiolare. Quidam deprauant infeſtare: ſed ij ſunt Ialemo frigidiores. Mundum.) quod alio nomine cœlum dicimus. nam mundus & cœlum unius rei duo uocabula ſunt, ut docet Plinius. Proinde inepta quorundã curioſitas eſt, qui mundum ne ſcribi hic oporteat, an cœlũ, longa diſputatione contendunt. Quadrigis Tartareis.) infernali curru. Sunt tibi deformes Diræ.) habes apud te turpes Diras, et te dignas ultrices deas. nã Diræ Furiæ ſunt in uita, dictæ quaſi deorũ iræ. Verg. Peſtis & ira deum, id eſt Diræ. Et alibi: Vltricesq́; ſedent in limine Diræ. Diras preterea Romani uocant execrationes, quas ſolenni

quodam

quodam ritu peragebant,quibus obnoxij grauiſsimas pœnas à diuinitate dare cogebantur:autor Plutarchus.*hinc* Horatius: *Diram grandinem dixit ultricem.* Altera Lethes *flumina.*) *Lethe cuius* Strabo *meminit,* Hiſpaniæ *fluuius eſt.hic* Inferni,*de quo* Virg.*& nos alibi.*Legitur *& numina:utrũq; commode.* Triſtes.)*ſeueræ,crudeles.* Dignæ *te coniuge.*) *quæ merito matrimonium tuum ſequantur.* Fratris *domos.*) *lucem, quæ* Iouis *ſors eſt,& non tua.* Alienam *ſortem.*)*potentatum quem ſortis euentu* Iuppiter *aſſequutus eſt.* Abi.)*faceſſe.* Nocte *tua contentus.*) *tibi ſatis eſſe debẽt inferni tenebræ, quas per ſortẽ tuliſti.* Quid *uiua ſepultis* Admiſces.)Hoc ut *ſcelus obijcit,quoniam* Verg. ait:Corpora *uiua nefas* Stygia *uectare carina.* Quid.)*cur.* Aduena.) *alterius cœli.* Proteris.) *calcas.* Noſtrum *mundum.*) *ſummas terras quæ ſuperis ad habitandũ ceſſerunt.*Id *quod totum ſeſe,cunctaq; complectitur,extra quod nihil eſt,à pulcherrima partium diſpoſitione, mundum* Pythagoras *primus appellauit.* Democritus *&* Epicurus *inane,immenſum & infinitos in eo mundos ſtatuerunt.*Platonicæ *familiæ philoſophi bifariam mundum diuiſerunt,quorũ alterum facit:alterum patitur.& illud facere dicitur,quod quum ſit immutabile, alteri cauſam & neceſsitatem permutationis imponit:hoc autem pati, quod per mutationes uariatur, & mutabilem quidem mundi partem, à ſphæra quæ aplanes appellatur, uſq; ad globi lunaris exordium:inde uero ad terram mutabilem eſſe dixerunt, & illic* Ditis *ſedem atq; inferos ſtatuerunt.* Irata Pallas *orbem terrarum ſuperis & ſibi uindicat, alioquin in ſortitione mundi tellus indiuiſa permanſit, & fratribus cõmunis.*Statius: 8.Thebaid. O *rerum media indiuiſaq; magnis fratribus.* Ferit *umbone minaci.*)*infeſto clypeo.à parte totum.*

Cornipedes tranſire ferit,clypeiq; retardat
Obijce,Gorgoneisq; premens aſsibilat Hydris,
Prætentasq; aperit criſtas,libratur in ictum
Fraxinus,& nigros illuminat obuia currus.
Miſſaq; penè foret,ni Iuppiter æthere ſummo
Pacificas rubri torſiſſet fulminis alas,
Confeſſus generum. Nymbis Hymenæus hiulcis
Intonat,& teſtes firmant connubia flammæ,
Inuitæ ceſſere deæ,compeſcuit arcum
Cum gemitu,talesq; dedit Latonia uoces.

Sis

Sis memor ô,longumq́ꝫ uale.reuerentia patris

Cornipedes.)equos. Auidos tranſire.)Infinitũ pro gerundij modo poſuit,autoritate notiſſima. Cicero pro Quintio:Conſilium cœpiſſe hominis fortunas funditus euertere: pro euertendi. Verg. Sed ſi tantus amor caſus cognoſcere noſtros: pro cognoſcendi. Terent. in Hecyra:Adeamus uiſere. pro ad uiſendum.Verg.Et cantare pares,& reſpondere parati:pro ad cantandum & reſpondendum. Retardat.)remoratur,nec elabi ſinit. Obijce clypei.)oppoſito ſcuto. Aſſibilat hydris Gorgoneis.)ſtridentibus Meduſæ crinibus equos abſterret.hos in pectore Pallas geſtare dicitur.Prudentius: Et dum Mineruæ pectus hydris aſperat. Prætentaſq́; aperit criſtas.)prætendit & reuelat ſerpentum iubas.Antiqui codices legũt,Prætentaq́; operit criſta:id eſt,Pallas umbra coni Plutonem tegit. Fraxinus.) haſta. nam fraxinus arbor (ut inquit Plinius) procera ac teres eſt, pinnata & ipſo folio: multumq́; Homeri præconio, & Achillis haſta nobilitata.

Libratur in ictum. Componitur ad inferendũ uulnus. Obuia.) protenta atq; infeſta. Illuminat.)quia cœleſtis erat, et aurea. Currus nigros.) obſcuras Ditis quadrigas. Penè.)propemodum. Miſſa.)contorta. Parum, inquit, abfuit quin Ditem Pallas haſta transfoderit. Torſiſſet.)uibraſſet. Summo æthere.)ab arce cœli, unde fulmina mittit Iuppiter,ut eſt apud Ouidium. Summã petit arduus arcem.) Vnde ſolet nubes latis inducere terris, Vnde mouet tonitrus,uibrataq́; fulmina iactat.

Fulminis alas.)Fulmẽ ex altera tantum parte pennas habere dicitur,ut apud Ariſtophanem ueteris Comœdiæ poëtam legimus,& Maronem. An magis ignem ſignificat?quem uolucri ſpecie uetuſtas à Ioue mitti credebat, quum quid monere uellet, aut plectere? quod ad noſtram religionem Prudentius peritè tranſtulit in Agne,quum ſcribit:En ales ignis fulminis in modum Vibratur ardens atq; oculos ferit. Pacificas.)Primæ manubiæ fulmen intelligit,quæ pacata eſt,& monet,atq; ipſius Iouis conſilio mittitur, ut Cecinna prodidit.quod ideo ſolum placabile fingitur, quia Iouem, id eſt regem ſolum non niſi prodeſſe oportet:ut ſentit Seneca.de fulminum manubijs etiam Pompeius. Rubri. ut illud Horatij: Rubenti Dextera ſacras iaculatus arces. Confeſſus.)teſtatus. Generum.) ſponte filiam Plutoni concedere. Hymenæus.)hic Apollinis ex Calliope filius,Orphei frater fuit,ut de Tragœdia ſcribens Aſclepiades libro ſexto refert.Vrania,nõ Calliope matre genitum,Catullus ait: Collis ô Heliconij cultor,Vraniæ genus,Qui rapis teneram ad uirum uirginem ô Hymenæe.Nonnulli Veneris

filiũ ſuſpicantur, mala Capellæ carminis interpretatione, quoniam is ait: O Hymenæe decens, Veneris qui maxima cura es. *Is enim curam non ut in Aſcanio Vergilius accepit, ſed ut Elegia apud Ouid.* Sum leuis, et mecum leuis eſt mea cura Cupido. *Quippe Hymenæus perpetuus Veneri comes hæret, ut alibi Claudianus oſtendit:* Hunc Muſa genitum legit Cytheræa, ducemq́; Præfecit thalamis. *Quin & Capella, cuius autoritate nituntur, per initia ſtatim primæ Satyræ, Hymenæum muſa editum ita canit:* Tu quem pſallentem thalamis, quem matre Camœna Progenitum perhibent. *Et infrà:* Seu tibi quod Bacchus pater eſt, placuiſſe choræas Cantare ad thalamos, ſeu genitricis habes. *Nec à uero nimis abhorret, quod apud nos tradit Donatus, & Seruius repetit: Hymenæum primitiali nuptiarum die uel nocte, collapſa domo extinctum eſſe. nam ſcribit Orpheus, eundem Aeſculapij beneficio reuixiſſe, ideoq́; Aeſculapium à Ioue fulminatum.* Intonat nymbis hiulcis.) *miſſo fulmine tonitrus edit. nam quum fulget proſpectantium opinione ſcindi nubes uidentur. Inde fulmen hiulcum Papinius appellauit, potiuſquàm quod hiare facit, ut Lutatius interpretatus eſt. Deos, qui fulmina mittũt, ex Plinio, nec in ijs Hymenæum, nouimus. Sed ita dixit, ut Iuno Vergiliana:* Tu potes Aeneam manibus ſubducere Graium, Proq́; uiro nebulam, & uentos obtendere inanes, Et potes in totidem claſſem conuertere nymphas. *quæ per alios egiſſe Venerem conſtat: ſed ei, cuius gratia datum eſt, imputatur. Ita nunc tonitrum, quo matrimonium Iupiter approbauit, Hymenæo poëta tribuit. Attalus enim philoſophus, Etruſcæ diſciplinæ diligentiſsimus, ita fulminum genera diuiſit: ut inſpicias, ubi factum ſit, quando, cui, in qua re, quale, quantum. Claudianus itaq; ab Hymenæo miſſum fulmen ait, in cuius honorem factum ſit.* Flammæ teſtes.) *fulminis interuentus.* Firmant connubia.) *fœdera matrimonij rata faciunt, ex antiqua nuptiarum religione. nam noua nupta ignem & aquam iubebat attingere. Cauſam refert Plutarchus in problematibus, & Lactantius, ac utroque prior Varro. Sed locum hunc commode poëta tranſpoſuit ex illo Vergilij:* Fulſere ignes, & conſcius æther Connubij. Deæ.) *Pallas & Diana. nã Venus confecta re iam diſceſſerat.* O.) *Suſpende particulã, quo mitior affectus exprimatur: ut apud Verg.* O longũ formoſe uale, uale inquit Iola. Longũ uale.) *Verg.* Salue æternũ mihi maxime Palla, Aeternumq́; uale. *nam mortuos hac ſalutatione tanquam non amplius uiſuri dimittebant, ut Varronis teſtimonio demonſtrauimus.* Reuerentia patris Obſtitit auxilio.) *pietas in Iouem noſtra non ſinit, ut opem tibi feramus.*

Obſtitit

Obſtitit auxilio, nec nos defendere contrà
Poſſumus, imperio uinci maiore fatemur,
In te coniurat genitor, populoq; ſilenti
Traderis, heu cupidas non aſpectura ſorores,
Aequalesq; choros. Quæ te fortuna ſupernis
Abſtulit? & tanto damnauit ſidera luctu?
Iam neq; Partheniis innectere rætia luſtris,
Nec pharetram geſtare libet: ſecurus ubiq;
Spumet aper, ſæuiq; fremant impune leones.
Te iuga Taygeti, poſito te Mænala flebunt
Venatu, mœſtoq; diu lugebere Cyntho,
Delphica quinetiam fratris delubra tacebunt.

Nec nos defendere contrà Poſſumus.) Anthypophora: quod ſi maxime uellemus, irriti conatus eſſent in ſummum deum. Iuppiter apud Homerum de ſe prædicat hunc in modum: Si catena, inquit, aurea cœlitus demiſſa uinctus eſſem, quicquid deorum dearumq; eſt, me de gradu pellere detrahereq; non poſſent: contra ſolus ego uinctos itidem deos deasq; omnes, in terras ac maria facile deducam. Fatemur.) ingenuè de nobis dicimus. Vinci maiore imperio.) impares eſſe Iouis numini. Mars apud Statium: Quo pectore contra Ire Iouem, dictasq; parem contemnere leges? Cui modo (prò uires) terras cœlumq; fretumq; Attremere oranti, tantosq; ex ordine uidi Delituiſſe deos. Idem fatetur Iliados octauo Neptunnus. Genitor.) utriusq; pater Iupiter. Coniurat in te.) conſpirat ad hanc rapinam. Teſtatur & Heſiodus, Iouis permiſſu raptam eſſe Proſerpinam. Populo ſilenti.) Vmbrarum periphraſis, quæ uoce carent. Non aſpectura.) quæ poſthac non uidebis. Sorores cupidas.) ſtudioſas & amantiſſimas tui. Mire dixit, ex perſona Dianæ: quã ſecutus Aegyptios Aeſchylus, ait editã eſſe ex Cerere, non ex Latona. Aequales choros.) æqualium uirginum cœtum. Quæ fortuna.) quæ ſors aduerſa. Abſtulit te ſuperis.) eripuit cœleſtibus. aut ex hac luce. Iam.) te amiſſa. Neq; libet.) non ſedet animo, neq; iuuat. Innectere retia luſtris Partheniis.) Parthenii montis ſaltus indagine cingere. in hoc frequenter Dianam uenari ſolitam cum uirginibus, antè diximus: unde nomen ἀπὸ τῶν παρθένων, ut ſcribit Seruius.

Extant & Probi quædam gloſſemata,quæ ſic habent: Parthenius Arcadiæ mons, dictus à uirgine Atalante,quod in eo exercebatur. Nec pharetrã *geſtare libet.*) Nam ſagittarum thecam uel ocioſa Diana nõ reponit. Vergilius:Illa *pharetram* Fert *humero.* Aper.)*agreſtis ſus:ab aſperitate ſetarum, ut Varro ſentit: uel à Græcis,qui* κάπρον *dicunt.* Spumet.) *Alluſit ad apri naturam,qui ſpumã frendens emittit. inde* Verg. *Aut ſpumantis apri curſum clamore prementem.* Saeui.)*feroces.* Fremant.)*rugiant. quod nimiæ ſecuritatis indicium eſt. nam in periculis & timore tacent.* Impune.) *paßim.* Te flebunt.)*Affectum traxit ab hyperbole.*

Iuga.)*Iuga montium nomen acceperunt ab ipſa continuatione,qua iunguntur:ut ſcribens de limitibus ait* Higynus. Taygeti.)*montis Laconiæ, qui Spartæ & Amyclis imminet. ita quàm cæteri montes* Dianæ *gratior, ut ex urbibus* Perge, *ex inſulis* Doliche: *autor in hymnis* Callimachus. *Eſt autem* Doliche *è regione Chimeræ Lycij montis inſula.* Perge *uero Pamphiliæ ciuitas, unde* Diana Pergæa. *Monti* Taygete *nympha nomen dedit,* Eurotæ *mater,ut ſcribit* Stephanus. *illic erãt denſißimi ſaltus,* Lacænarum *uenationibus,quas hic intelligit.* Mænala.) *mons Arcadiæ,* Lycaonis *filio cognominis, ut antè eſt dictum.* Poſito uenatu.)*omiſſo uenandi ſtudio.nam illic etiam* Nymphæ *uenabantur:inde quum uenatricem uellet deſignare* Vergilius, *ait: Aut uirginis arma Spartanæ.* Diu.) *perpetuò.* Papinius Thebaid. 3. *de geminis fratribus eodem fato functis: Ite diu fratres.* Cyntho.) *Deli monte. Sed & ipſa quandoq; Delos ita dicta eſt,à* Cyntho Oceani *filio, quod tradit* Stephanus: *inde primum* Diana *profectã in* Atticam *ad* Agras,*uenationem exercuit ,ut legimus apud* Pauſaniam.

Quinetiam. *præterea.* Delubra fratris. *Apollinis fanum.* Delphica.) Calliſthenes *de Rebus Græcis* 3. *Clara Græciæ oracula enumerat hæc: Iſmenium in agro* Thebano, Trophonium *in* Lebadæa,*& quod* Phocenſe *uocant ad* Abas,*omniumq; præſtantißimum* Delphis *in* Bæotia *iuxta* Parnaſum,*de quo* Trogus & Strabo *plura.* Delphis *nomen à ſe dedit* Neptunni *filius* Delphus,*ex* Melantho *ſuſceptus,filia* Deucalionis, *ut ſcribit interpres* Lycophronis,*quam* Neptunnus *in* Delphinem *mutatus compreſſit:unde nato puero nomen. Fabulam percurrit* Ouid. *in eiuſdem dei mentione:Te ſenſit equum crinita colubris Mater equi uolucris, ſenſit Delphina* Melantho.*Ex eadem* Neptunnus *etiam* Pythin *puellam ſuſtulit,quæ* Pythoni *nomen urbi dedit, ut* Myclus Neopolitanus *autumat. Equidem non ſum neſcius, hanc hiſtoriam mutatis nominibus aliter à* Pauſania *tradi: ſed*

nos

nos opinatiſsimos habemus autores. Quæritur & à nonnullis, etiam bene doctis, cur Neoptolemi cædem ſcribens Vergilius, Delphicas Apollinis aras primas appellarit. Equidem ſicut affirmare non auſim, uana ne ſit hiſtoria quam Seruius affert, an non: ita omiſsis ambagibus, ἁπλῶς primas illic aras accipio, quoniam Pyrrhus ad aras eiuſdem dei obtruncatus eſt, cuius antea pater eius Achilles. quod etiam Pauſanias notauit, qui ad hanc ſententiam Græce loquitur. Subit admiratio cogitantem, omnibus qui Aeacidarum cognomine cenſebantur, unam necis ſortem diuinitus obtigiſſe. ſiquidē Achillem à Paride Priami filio & Apolline interfectum, Homerus autor eſt: Pyrrhi Achillis filij cædem oraculum Delphis imperauit: poſtremo Pyrrhus Aeacidæ filius, Argis diem obijt, necis autore Cerere, ut Argiuorum fides aſſeuerat, & Leucæas carmine complexus eſt. Hæc in Atticis. In rebus item Meſſeniorum: Neoptolemo, inquit, Achillis filio, qui Priamū iugulauit ad aram Iouis Ercei, accidit, ut & ipſe Delphis ad Apollinis aram trucidaretur. inde pœna talionis, Neoptolemi pœna dicitur. Maronis ergo Andromache patrias aras dixit, quaſi Achilli Pyrrhoq́; fatales. Tacebunt.) Et hoc ab hiſtoria. nam religioſis quibuſdam diebus Delphis reſponſa non reddebantur, ut Plutarchus in Alexandro refert. Meminit & Auſonius ad Paulinum. Papinij imitatio, apud quem milites Argiui ſic Amphiaraum deflent: Mutisq́; diu plorabere Delphis.

Interea uolucri fertur Proſerpina curru,
Cæſariem diffuſa noto, planctuq́; lacertos
Verberat, & queſtus ad nubila fundit inanes.
Cur non torſiſti manibus fabricata Cyclopum
In nos tela pater? ſic me crudelibus umbris
Tradere? ſic toto placuit depellere mundo?
Nulla ne te flectit pietas? nullum'ne paternæ
Mentis ineſt? tantas quo crimine mouimus iras?
Non ego te contra, quateret quū Phlægra tumultus,
Signa deis aduerſa tuli: non robore noſtro
Oſſa pruinoſum uexit glacialis Olympum.
Quod conata nefas? aut cuius conſcia culpæ,
Exul ad immanes Erebi detrudor hiatus?
O fortunatas, alij quaſcunq; tulere,

Raptores, ſaltem communi luce fruuntur,
Sed mihi uirginitas pariter cœlumq́ꝫ negatur,

Interea.)dum hæc Diana conqueritur. Fertur.)rapitur. Volucri curru.)citatis dei quadrigis. Cæſariem diffuſa noto.)paßis ad uentum crinibus. Fundit queſtus inanes.)uanas querelas. Ad nubila.)in auras, quò ſpiritus omnis commeat.& ipſa uox aër ictus eſt, ut philoſophi diſputant.aut ſpargit in uentos,à quibus irrita uerba dißipari dicũtur. Tibullus: Hæc mihi fingebam,quæ nunc Eurusq́; Notusq́; Iactat odoratos uota per Armenios. Pater.)affectum mouet hoc nomen. Torſiſti.)iaculatus es. In me.)licet filiam. Manibus fabricata Cyclopum tela.)Fulminis circumlocutio.De Cyclopibus, qui fulmina Ioui fabricant,repete quæ ſuprà diximus.Eſt autem pathos à minore.nam quum de coelo tangi per ſe magnum ſit,minus tamen eſſe contendit,quàm ita rapi. Sic me? ſic me?.)breuibus huiuſmodi interrogatiunculis infinita prope miſeratio comparatur.

Placuit.)uiſum eſt. Vmbris.)manibus. Pietas.)ſanguinis charitas.

Nullum mentis paternæ.)nihil affectus paterni, qui nimirum magnus eſt.Vergilius: Patrius neq; enim conſiſtere mentem Paſſus amor. Tantas quo crimine mouimus iras.)Inſtat interrogando, quoniam difficilis eſt reſponſio.nam quid aliud à Ioue dici poſſet,quàm nullo? Non ego.)Vergilij locus,apud quem Dido:Non ego cum Danais Troianã excindere gentem Aulide iuraui. Signa deis aduerſa tuli)Plus eſt quàm ſi diceret arma ſumpſi. Nam militari Romanorum more non niſi ſtrenuißimo cuiq; uexilla committebantur,quos totus exercitus ſequebatur.inde tractũ,ut in quacunq; re princeps metaphoricè ſignifer appelletur.Prudentius in Diuo Romano:Tu cauſa mortis,Tu malorũ ſignifer:id eſt autor. Quateret quum Phlægra tumultus.) Pallene Thraciæ ciuitas,cui Pallene Sithonis filia,Cletiq́;(ut Egeſippus ait)uxor à ſe nomen dedit,Phlægra dicta prius eſt,ob ea quæ de Gigantibus illic geſta hominum opinione referuntur.Verum Theagenes de rebus Macedonum ſcribens,aliter hiſtoriæ fidem prodit.Pallenem quæ ueteri nomine Phlægra uocabatur, homines, inquit,tenuerunt, quibus immanitas & ſuperbia morũ Gigantũ cognomen peperit. in hos ineunte prœliũ Hercule,fulmina de cœlo ferri, donec ſe fugæ cõmiſerũt,magnaq́; uictoria ſuperati ſunt.inde rumor in uulgus,belli contra deos Gigantũ manauit.Idem ſentit Eudoxus.Eſt & altera Campaniæ Phlægra, quam par hiſtoria comitatur, ut Diodorus & Strabo. ab utraq; Phlegræus deducitur: et uni Lycophroni Phlægrus. Robore.)ui. Oſſa.)Theſſaliæ mons:

de quo

de quo ſuprà. Glacialis.) *niuoſa.* Vexit.) *impoſitum tulit. Negat à ſe montes congeſtos, ut olim à Gigantibus, quum iter affectarent in cœlum. Vergilius in Aetna: Conſtruitur magnis ad prælia montibus agger, Pelion Oſſa creat, ſummus premit Oſſan Olympus.* Olympum.) *Macedoniæ montem, cuius antè meminimus.* Pruinoſum.) *roſcidum. nam ſereno cœlo ros etiam cadit: niues, non niſi turbato. atq; Olympus adeò ſublimis eſt, ut credatur altius etiam quàm unde hymbres cadũt ſurgere, quia de aris quas in uertice ſuſtinet, nõ abluitur cinis: autor Solinus. Aut intellige ninguidũ.* Homerus enim ἀγάννιφον *uocat* ὄλυμπον, *Iliados primo: quem tamen in Odyſſea nubes ait excedere, nec ullam de cœlo tempeſtatem pati. Proinde quidam ninguidum, circa radices accipiunt in Iliade.* Detrudor.) *impulſu pellor.* Immanes hiatus.) *barathrum.* Erebi.) *inferni.* O fortunatas.) *Exclamatio, quæ ſignificationem doloris habet, & pathos excitat, ut illud Andromaches apud Maronem: O felix una ante alias Priameia uirgo Hoſtilem ad tumulum Troiæ ſub mœnibus altis Iuſſa mori.* Raptores.) *quicunq; prædones. & non hic.* Saltem.) *Confirmat ſententiam.*

Communi luce fruuntur.) *lumen ſolis uſurpant, quod omnibus æquè patet. Ouidius: Communemq; prius ceu lumina ſolis & auræ Cautus humum longo ſignauit limite foſſor.* Negatur. *aufertur.* Pariter.) *una.* Virginitas & cœlum.) *pudor ac dies: quod inſequentia declarant.*

Eripitur cum luce pudor, terriſq; relictis
Infelix Stygio ducor captiua tyranno.
O malè dilecti flores, deſpectaq; matris
Conſilia: ô Veneris deprenſæ ſerius artes.
Mater io, ſeu te Phrygiis in uallibus Idæ
Mygdonio buxus circumſonat horrida cantu,
Seu tu ſanguineis ululantia Dindyma Gallis

Captiua.) *non uxor, aut pellex, quæ uoluptatis nomina ſunt: ſed quo pathos augeat, captiua dixit.* O malè dilecti flores.) *quorum gratia rapinam patior.* Malè.) *mea cum pernicie. Eſt & quando ſignificat inutiliter. Lucanus nono: Sic malè deſeruit, nulloſq; reliquit in uſus, Hanc partem natura ſui.* Deſpectaq; matris conſilia.) *Nam filiæ diſcedens Ceres mandauerat, ne pedes extra limen efferret. Suprà de Proſerpina Claudianus: Iamq; audax animi, fidei q; oblita parentis, & cætera.*

Artes

Artes.)fraudes. unde illud Maronis: Artificis ſcelus. nam quam Græci technam, nos artem uocamus, & dolum. μηχανίτην id eſt, artificem Venerem colebãt Arcades, à nectendis fraudibus indito cognomento, ut eſt apud Pauſaniam. Deprenſæ.)detectæ. Serius.)tardò. nam prius oportuerat, quàm nocerent. Iò.)dolendi particula. Tibullus: Vror iò remoue ſæua puella faces. & apud Sophoclẽ Philoctetes identidẽ clamat Io io. Exprimit et lætitia geſtientis affectũ. Naſo: Dicite io pæan, & io bis dicite pæan.

Seu Phrygijs in uallibus Idæ.)Hypallage. eſt enim ordo, in uallibus Idæ Phrygiæ de qua ſuperius expoſuimus. Cantu Mygdonio.)Lydio. nã Lydia Mygdonia dicta eſt à Mygdone Corœbi patre, ut refert Pauſan. Carius enim Iouis et Torrebiæ nymphæ filius, quũ forte uagus erraret, incidit in paludẽ, cui quum nondũ nomen eſſet, ab eius matre Torrebia uocitauit. ibi Nympharum, quas Muſas Lydi appellant, auditos cantus edidicit, autorq; Lydiæ modulationis extitit, ut Nicolaus Damaſcenus in quarto refert. Xanthus uero Lydius in patria hiſtoria narrat Atyos extitiſſe filios, Lydum Torrebumq;, qui de ſuo nomine Lydios & Torrebios in Aſia uocarint: ut inde Torrebia quoq; palus eſſe potuerit. Martianus Capella ita ſcribit in nono: In Lydia nympharum inſulas dicunt, quas etiam recentior aſſerentiũ Varro ſe uidiſſe teſtatur, quæ in medium ſtagnum à continenti procedentes, cantu tibiarũ primo in circulum motæ, dehinc ad littora reuertuntur. Eundem ſanè locum deſignat Plinius libro Naturalis hiſtoriæ 2. In Lydia quæ uocantur Calaminæ, nõ uentus ſolum, ſed etiam contis quò libeat impulſæ, multorum ciuium bello Mithridatico ſalus. Sunt & in Nymphæo paruæ ſaltares dictæ, quoniam in Symphoniæ cantu ad ictus modulantium pedum mouentur. Fugerũt hæc Hermolaum, qui Calminas caſtigat Stephani teſtimonio: quum tamen is non Calbin, ſed Calbion in Lycia fontem memoret, quem alij Calenon, nonnulli per m Calemon (ut ait) uſurpent: & illic de fluctuantibus inſulis, non de fontibus, aut aquis agat Plinius. Quæ uero tanta nominis eſſe poteſt affinitas, ut tota prouincia diligentiſsimus locorum perſcrutator aberrarit? Nos in Lydia contendimus eſſe, non in Lycia: neq; fontem, ſed inſulas Calaminas appellatas, à calamis, ad quorum cantum numeroſius mouebantur. nam καλάμινος αὐλός, id eſt calamina tibia eſt ea, quæ Tityrina dicitur ab ijs, qui ſunt in Italia Dorienſibus, ut linguæ Doridis tertio ſcribit Artemidorus. inde paſtor apud Vergilium, Tityrus à fiſtulæ cantu, cui uacabat, appellatus eſt. Ariſtophanes enim καλαμίνην σύριγγα dixit, id eſt harundineam fiſtulam, quam Dorienſes Tityrinon. Eædem ſaltares

etiam

etiam nominantur. quippe Nymphæus à Nymphis illic habitantibus, & Torrebia, duo lacus unius nomina ſunt: inſulasq́; Calaminas nõ diuerſas accipimus. Quin ipſa Plinij uerba ſic emendanda cenſemus: Sunt in Nymphæo paruæ, Saltares etiam dictæ. ut uerbũ Sunt, cũ ſuperiore ſimul ac ſequente clauſula cõiungatur, & quas antea nomine Calaminas in Lydia conſtituerat, eaſdem in Nymphæo lacu reddat: quæ Saltares alio uerbo memorentur, ex cauſa quam refert. Eius ſtagni meminit Natural. hiſtoriæ 31. Hoc idem & in Lydia in ſtagno Nympharum tradunt. Confer uerba Nicolai, Stephani, Varronis, & Capellæ, cum Plinianis, & nihil ambiges. Multorũ uero ciuium Mithridatico bello ſalus fuerunt: quoniam regis iuſſu, quum quicquid ciuium Romanorum in Aſia fuit, trucidatum eſſet, ut narrat Liuius, in has inſulas complures elapſi ſunt à cæde. Seu incolis.) ſeu te nũc habent. Dindyma.) deum matri ſacer mons, imminens Cyzico: dictus (ut autumat Philoſtephanus) quod illic ubera extiterint gemina, quæ Didyma Græci uocant. Strabo tantum numero multitudinis, Statius ſingulariter etiam declinauit: Cui uertice ſacro Dindymon, & cæſis decreuit montibus Ida. Græcus autor Horus de populis & urbibus ſcribens ait, monti nomen inditum διὰ τὴν δίνησιν, id eſt à capillorum rotatione, quam illic fanatici factitabant: unde mos iactandi per furorem capitis ad alios manarit. alij, quoniam didymis, hoc eſt duobus iugis aſſurgat. Nonnulli ferunt, in Ponto Dianæ comitem puellam fuiſſe, cui nomen Aura: quæ Liberi uim paſſa, quum Dianam uereretur, in eum locum confugerit, enixamq́; uno partu geminos, quos διδύμους Græci uocant, appellationis cauſam dediſſe. ut Procridis apud Ouidium timor non fuerit omnino uanus, quæ tanquam puellæ nomen accepit Aurã, quam Cephalus à uenatione captabat. Vlulantia.) Catullus de ſacris Cybeles: Vbi ſacra ſancta acutis ululatibus agitant. Gallis.) Gallus & Attis adoleſcentes, officij formæq́; gratia deûm matri dilecti, quum forte numinis offenſam contraxiſſent, acti furore pudenda ſibi abſciderunt. Quorum Gallus ad Terian Phrygiæ fluuium conſedit, qui poſtea Gallus ab eo dictus eſt, ut Polyhiſtor Alexander de Phrygibus ſcribens libro tertio refert. Ab hoc amne Berecyntiæ ſacerdotes Galli memorantur: cuius aqua epota mentem mouet, ut Callimachus autor eſt. & Ouidius in Faſtis: Inter ait uiridẽ Cybelen, altasq́; Celenas, Amnis it, inſana nomine Gallus aqua. Qui bibit inde furit. Ad hoc Ouidij carmen ex Arte amandi nonnulli referunt: Porrige & ancillæ, pœnas quæ luce pependit, Luſa maritali Gallica ueſte manus. Nos autẽ Qua luce legimus, ex Ariſtide Mileſio, qui de

rebus Italicis ſcribens libro primo ſic ait: Gallorum dux Atepomorus, quũ Romanos longa feſſos obſidione uideret, poſtulauit, ut ſi ſaluos ſe uellent, matres familias & uirgines ad ſtuprum dederent. Senatus Retanæ ancillæ conſilio, ad hoſtes habitu dominarum ſubmiſit ancillas, datoq́; ab eis ſigno, eruptione facta Romani ſomno meroq́; depoſitos Gallos omnis obtruncãt, parta uictoria Ancillariorũ diem ſollennem perpetuo ſanxerunt. hiſtoriã repetit Plutarchus, Polyenusq́; Macedo Stratagematon octauo. Macrobius alios ſequutus annales, ab Ariſtide paulò deflexit. Ouidius amanti præcipit, ut Nonis Caprotinis, quo die Galli cæſi ſunt, aliquid ancillæ largiatur, ut alacrius operam nauans, iter affectet ad dominam. Galli Cybele miniſtrant, argumento, ſi qui indigent ſemine, eos oportere terram ſequi. Quod apud eam Galli ſe iactant, præcipitur (inquit Varro) qui terram colunt, ne ſedeant. ſemper enim eſſe quod agant. Sanguineis.) qui ſua membra diſſecant. quem morem noſter Prudentius inſectatur, & Papinius expreßit: Pinigeri rapitur Simoentis ad undam Dux ueſana chori, cuius dea ſanguine lecto Ipſa dedit ferrum.

Incolis, & ſtrictos Curetum deſpicis enſes:
Exitio ſuccurre meo, compeſce furentem,
Comprime ferales torui prædonis habenas.
Talibus ille ferox dictis fletuq́; decoro
Vincitur, & primi ſuſpiria ſentit amoris.
Tunc ferrugineo lachrymas deterſit amictu,

Deſpicis.) ſpectas. aliqui Exeris legunt, id eſt euaginas ac ſtringis. unde nudus gladius, exertus dicitur. Nã præpoſitiones, ut numeris obſequantur, inuicem poëtæ ponunt. Statius: Haud aliter ſaltu deuertitur orbus Paſtor ab agreſtum nocturna ſtrage luporum. pro reuertitur. Curetum. De his longa Strabonis eſt diſceptatio. quos alij in Creta, alij in Eubœa, alij in Samothracia, alij in Phrygia Iouem nutriuiſſe ſentiunt. ij ne uagitu puer ſeſe proderet, excogitato nouo luſus genere, clypeolis æneis inter ſe concurrentes, æris tinnitu atq; numeroſi pedis compoſitione (qui dactylus ab eis dictus eſt) Saturnũ celauerunt. Eorum fabuloſam originem Diomedes Grammaticus exequitur: Aiunt inquit, opem in Idam Cretenſem ex fuga delatã, quum puerperij tempus inſtaret, primam montis partem manibus apprendiſſe, atq; ita partu ſolutam ex impreßione palmarum Curetas prodijſſe, quos ab effectu Græci nominis Dactylos, id eſt digitos, et Idæos à monte nominauerunt,

minauerunt,

minauerunt: ut à pupulis oculorum, quas Græci κόρας appellant, uel à galearum cono, Curetes. Idem uidetur confirmare Lucretius hoc uerſu: Terrificas capitũ quatientes numine criſtas. Apollonius & eius interpres ex Steſimbroto, non ut Diomedes ab Ope, ſed à nympha quam uocant Anchialen, id factum narrãt. Affert Vibius in opuſculo de Fluminibus, Atacini Varronis ſuper hac ipſa re carmen, cuius etiam teſtimonio Seruius utitur. id eſt huiuſmodi: Quos magno Anchiale partus adducta dolore, Et geminis capiens tellurem Oaxida palmis: id eſt Cretæ ſolum, cuius fluuius Oaxes eſt, ut ipſe quoq; Seruius ex Pliſthene Græco (ut arbitror) autore recitat. Quis ergo Politianum ferat? qui ſuper Oaxe fluuio & Creta fœde lapſum Seruiũ ſcribit, quum is multo quàm ipſe copioſius de Oaxe Cretæ amne diſſeruerit. Teſtantur aliquot eius antiqua exemplaria, teſtatur Boccatius, qui neſcio quid de hoc ipſo Oaxe iamdudum ex interpretatione Seruij ſuis genealogijs inſeruerat. Sed & ipſe quoq; deprauatum codicem nactus, Antilenã corrupto puellæ nomine pro Anchiale tranſcripſit: & Pliſthenem Apollinis F. malè ſuſpicatus eſt. Idem uitium ſequuti ſunt, qui Maronis opera Mediolani nuper impreſſerunt, deflexo in deterius (ut ſolent) loco. quippe qui nunc Antilenam, quandoq; tutelam ſcripſerint. Steſimbrotus in eo libro cui titulum fecit περὶ τελετῶν, Iouis & Idæ nymphæ filios ait Idæos eſſe: uel editos ex puluere, quem Iouis nutrices ipſius dei monitu poſt tergum iecissent. Agathon Græcus autor, hunc in modum Curetas apud ſe loquentes inducit: Plures Proci filiam Pronacti in matrimonium petebamus, uoto fruſtrati comam ferro ſuccidimus, quam læti animi putant argumentum: inde Curetes appellati. Exitio ſuccurre meo.) neci. nam ſimplici quodam puellari timore uidebatur ſibi mortem obire. Vel expreſsit hiſtoriam. nam uero ſublata de medio, rapta fingitur à Plutone. Comprime.) ſtare coge.

Habenas ferales.) mortiferum currum. Prædonis.) raptoris. Torui.) atrocis, quod ex aſpectu colligebat. Ferox.) quamuis ferox ac flecti indocilis, ut ſuprà dixit. Fletu decoro.) pulchro. nam quanquam lugentium deprauantur ora, & gratiam ſi quam habent amittunt, nonnullæ tamen formoſiores in luctu uidentur: ut in Tecmeſſa notauit Ouidius, quæ mœrens Aiaci placuit. Primi ſuſpiria ſentit amoris.) ducto gemitu teſtatus eſt amori ſuccubuiſſe. Detexit.) ſcribe Deterſit, id eſt ſiccauit. Amictu.) ueſte. Ferrugineo.) proprius inferni color is eſt. Vergilius de Charonte: Et ferruginea ſubuectat corpora cymba.

Et placida mœſtum ſolatur uoce dolorem.
Deſine funeſtis animum Proſerpina curis,
Et uano uexare metu, maiora dabuntur
Sceptra, nec indigni tædas patiere mariti.
Ille ego Saturni proles, cui machina rerum
Seruit, & immenſum tendit per inane poteſtas,
Amiſſum ne crede diem, ſunt altera nobis
Sidera, ſunt orbes alij, lumenq́; uidebis
Purius, Elyſiosq́; magis mirabere campos,
Cultoresq́; pios, illic precioſior ætas,
Aurea progenies habitat, ſemperq́; tenemus,
Quod ſuperi meruere ſemel, nec mollia deſunt
Prata tibi, Zephyris illic melioribus halant
Perpetui flores, quos nec tua protulit Aetna.
Eſt etiam lucis arbor prædiues opacis,
Fulgentes uiridi ramos curuata metallo

Deſine.) noli. Vexare.) ſollicitare. Animum.) ſcilicet tuum puellarem. Funeſtis curis.) mortis metu. nam ſe perditum iri Proſerpina dubitabat: aut certè pernicioſis, quæ corpus extenuant, & necem maturant.

Vano.) nam nihil eſt, quod timeas. Nec indigni tædas patiere mariti.) non nubes inglorio. Tædas.) faces. non quod ex eo pini genere faces adhiberentur in nuptijs, quam tædam Plinius appellat: ſed quia uulgò tæda familiariſſima facibus eſt. fax enim nuptialis ex alba ſpina fiebat auſpicatiſſima: uel quoniam idem fecerunt paſtores, qui rapuerunt Sabinas, ut Maſſurio placet: uel, ut Varro ſentit, cauſa purgationis. Ille ego Saturni proles.) Extenuat culpam commemoratione ſuæ dignitatis, quam amplificat emphaſi gẽminati pronominis. Pluton (quod ex Euhemero ſcribit Ennius) Saturni filius fuit & Rheæ, Iouis frater. Cui.) mihi. Seruit.) famulatur. Machina rerum.) mundi elementa. nam quicquid oritur, in terram recidit, ut dictum eſt. Poteſtas.) imperium. Tendit.) propagatur, ac ſe porrigit. Per inane.) per inferos, qui uacui ſunt, & omnium capaces, ut Ouidij carmine iam docuimus. & Verg. Perq́; domos Ditis uacuas, & inania regna. De ſede Plutonis & potentatu, repete quæ ſuperius ex Macrobio copioſè expoſuimus. quippe nonnulli ex grauioribus & Platonicæ

ſectæ

ſectæ philoſophis diſputabant,inter lunam terrasq; locū mortis et inferorū uocari,ipſamq; lunam eſſe uitæ mortisq; confinium,& animas inde ad terram fluentes mori,inde ad ſupera meantes ad uitā reuerti. Immenſum.) *infinitum: quod* Democritus, Epicurus,& *Lucretius ſenſerunt.* Altera *ſidera.) præter ea quæ ſunt apud ſuperos, aut certe clariora.* Vergilius *in Elyſiorum mentione:* Largior hic campos æther,& lumine ueſtit Purpureo, ſolemq; ſuū,ſua ſidera norunt. *Nam purior iis fulget ſol,qui colunt Elyſios,in lunæ corpore:quàm nobis,qui longius abſumus.* Lucanus de Pompeio: Vidit quanta ſub nocte iaceret Noſtra dies. Orbes.) *aſtrorum globi, uel terræ ſpacia.* Magis mirabere.)*longè ſuſpicies.& alluſit ad illud Maronis:* Quamuis Elyſios miretur Græcia campos. *quos in* Bœotia celebrat Lycophron: *in agro Thebano,* Plutarchus: Dion,& Philoſtratus,*in inſulis quas alij* Britannicas, *alij uocant* Atlanticas,*ad* Oceanum. *quibus aſtipulantur* Euripides, Heſiodus,& Homerus. *In Arcadia quoq; redduntur,& circa Leſbum,& in Hiſpania, quod ſcribit etiam Strabo.* Herodotus *et* Duris *Aegypto contribuunt,non procul à ciuitate cui nomen Auaſis.* Eoſdem Deiotari *gener* Caſtor *ille* Romani *nominis ſtudioſiſſimus,in lunæ globo conſtituit. unde inſtitutum ait, ut qui natalibus apud* Romanos *eſſent illuſtribus, lunulas in calceis ferrent: argumento: quod obita morte rurſus animi ſubiectis pedibus lunam calcabunt. id quod* Lucanus & Papinius *affirmauerunt.* Polemon *ait:* Athenienſes, Elyſios *appellare locum ſub terris, ubi diuerſentur ij,qui iuſte uixerunt.* Pios.) *nam ſolum qui cum uirtute uixerunt,illuc accedunt. Infrà* Claudianus: Exultant cum uoce pij. Precioſior ætas.) *præſtantius hominum genus. Alluſit autem ad quatuor illas ætates, quas à metallis* Heſiodus *appellauit.* Aurea progenies.)*qualis ſub* Saturno *fuiſſe dicitur:* Quæ uindice nullo,Sponte ſua,ſine lege,fidem,rectumq; colebat:*ut eſt apud Ouidium. Prudentius in Symmachum de Saturno:* Hæc cauſa eſt & origo mali, quod ſecla uetuſto Hoſpite regnanti crudus ſtupor aurea finxit. Semperq; tenemus,quod ſuperi meruere ſemel.) *Superos,quibus opponuntur inferi,deos aut homines aptè poſſumus hic intelligere: ſed in dijs altior erit ratio. quippe tum nos inferos ſtatuemus, qui ſemel animam cœlitus ſortiti,non amplius amittimus. nam ſubinde per corpora migrat,ut Aegyptios ſequutus* Pythagoras *aſſerebat. Si uero ſuperorum nomine mortales accipias, perſpicuus ſenſus eſt.* Mollia.) *florulenta,quæ ſubſtratis herbis plumeum torū præbent. Contrà* Tibullus *humum cultam,pro dura poſuit,quod arata tellus & herbis nuda,mollem ia-*

centi conſeſſum non exhibet: Et te dum liceat teneris retinere lacertis, Mollis & inculta ſit mihi ſomnus humo. Halant. *ſpirant.* Melioribus Zephyris.) *quorũ flatu ſpecioſius terra Floreat: aut uere formoſiore, quo tempore ſpirat Fauonius.* Perpetui.) *per totum annum.* Quos.) *id eſt quales. Vergilius: Quos'ue dabas gemitus.* Tua Aetna.) *Suboritur illa eadẽ controuerſia, Aetna ſcribendum ne ſit, an Enna. Callimachus in hymno Cereris, Etnam deæ ſacram canit. Sed & Aetna defendi poteſt, ut diximus.* Eſt etiam arbor.) *Aemulatio Maronis, qui primus (ut ſentit Seruius) commentus hoc eſt.* Prædiues.) *aureo ramo.* Lucis opacis.) *Expreſſit illud Maronis: Hunc tegit omnis Lucus.* Fulgentes.) *aureos, ex illo Vergilij: Diſcolor unde auri per ramos aura refulſit.* Viridi.) *fuluo.*

Hæc tibi ſacra datur, fortunatumq; tenebis
Autumnum, & fuluis ſemper ditabere pomis.
Parua loquor. Quicquid liquidus complectitur aër,
Quicquid alit tellus, quicquid maris æquora uerrũt,
Quod fluuij uoluunt, quod nutriuere paludes,
Cuncta tuis pariter cedent animalia regnis,
Lunari ſubiecta globo: qui ſeptimus auras
Ambit, & æternis mortalia ſeparat aſtris.
Sub tua purpurei uenient ueſtigia reges,
Depoſito luxu, turba cum paupere mixti.
Omnia mors æquat. Tu damnatura nocentes,
Tu requiem latura pijs, te iudice ſontes
Improba cogentur uitæ commiſſa fateri.
Accipe Lethæo famulas cum gurgite Parcas.
Sit fatum, quodcunq; uelis. Hæc fatus, ouantes
Exhortatur equos, & Tartara mitior intrat.

Sacra datur.) dicatur. Vergilius: Iunoni infernæ dictus ſacer. Autumnum fortunatum.) *precioſos & aureos fructus: ab anni tempore, quo proueniunt. hinc Autumnus (ut Feſtus autumat) dictus eſt, quod tum maxime coactis fructibus hominum opes augentur.* Fuluis pomis.) *Vergilius: Auricomos quam quis decerpſerit arbore fœtus.* Lunari ſubiecta globo.) *Pythagoras exiſtimauit à lacteo circulo deinceps incipere Ditis imperium, quia animæ inde lapſæ uidentur iam à ſuperis receſſiſſe. inde primã naſcen*

tibus

tibus alimoniam lactis ait offerri: quia primus animis motus à lacteo incipit, in corpora terrena labentibus. Qui.) *ſcilicet globus & orbis lunæ.* Verg. *Lucentemq́; globum lunæ. Sed & Solis etiam globus dicitur.* Prudentius: *Vna uirtus condidit globos dierum, noctiumq́; præſides.* Et alibi: *Cadet rotatus ſolis in terram globus.* Septimus.) *in ordine planetarum: qui ſunt, Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, et ipſa poſtrema Luna. lege Plinium.* Ambit.) *circuit.* Auras.) *cœlum.* Separat.) *diſcludit.*

Mortalia.) *caduca. nam ſic appellant noſtri.* Ab aſtris æternis.) *à cœleſtibus ſemper manſuris.* Purpurei.) *ſcilicet in uita.* Verg. *Illum non populi faſces, non purpura regum.* Seneca in Thyeſte: *Reges non faciunt opes, Non ueſtis Tyriæ color.* Papinius: *Cultusq́; inſignia regum Purpureos.*

Luxu.) *ambitioſo cultu, ad impetrandam ueniam: quod Deiotarum tetrarcham Gallogræciæ feciſſe legimus apud Hircium. qui depoſitis regijs inſignibus, neq; tantum priuato ueſtitu, ſed etiam reorum habitu ſupplex ad Cæſarem uenit oratum, ut ſibi ignoſceret.* Omnia mors æquat.) *Inde Romanus ille uir ærumnis et animi robore clarus, ita apud Prudentiũ perorat: Hoc perdo ſolum, quod peribit omnibus, Regi, clienti, pauperiq́;, & diuiti, Sic uernularum, ſic ſenatorum caro tabeſcit, imò quum ſepulchro condita eſt. Iratis dijs, propitijsq́; moriendum eſt. Hoc habet inter cætera iuſtitiæ ſua natura præcipuum, quod cum ad exitum uentum eſt, omnes in æquo ſumus, ut inquit Seneca. Nam ſola mors ex omnibus dijs, neq; muneribus, neq; promiſſorum ſpe capitur, ut canit Aeſchylus: nec ordinis, nec ætatis, nec fortunæ rationem habet ullam. Hinc illa Sexti Perpennæ è ſepulchro querela: Vixi quemadmodum uolui, quare mortuus ſum neſcio. Libet eius manibus conuicium facere: Neſcis igitur hominem te eſſe natum? neſcis naturalem fatorum conditionem? neſcis ea lege te intraſſe, ut exires? Quanto ſapientius ille, qui filiolæ tumulum ſic inſcripſit: Decipimur uotis, & tempore fallimur, & mors Deridet curas: anxia uita, nihil. Aut mors æquat omnia, quod apud inferos (ut ait Propertius) Lydus Dulychio nil diſtat, Crœſus ab Iro: Conſule cum Mario capte Iugurtha ſedes.* Sontes.) *ſcelerum conſcij.* Improba commiſſa.) *delicta.* Accipe.) *me largiente.* Parcas.) *fatorum deas præſtites, quæ tua faceſſent imperata non ſecus ac ancillæ.* Sit fatum quodcunq; uelis.) *compone fortunas hominum pro libidine, quo nec dari maius, nec fingi potuit.* Exhortatur.) *calcaribus, aut uerbis increpat.* Equos ouantes.) *parta uictoria lætos. Quid autem proprie ſit ouare, longa diſputatione docet Gellius.*

Mitios

Mitior.) aliquanto pacatus, minusq́; ſolito ſæuus. Eſt enim comparatiuũ per imminutionem. nã quando mitis eſt Pluton? Sic illud Maronis: Triſtior & lachrymis oculos ſuffuſa nitentis: in Venere Seruius exponit. et in Charonte: Iam ſenior, ſed cruda deo uiridisq́; ſenectus, autoritate Varronis & Plinij. Cenſorinus uero uſq; ad 60. annum ſeniores uocitatos ait: quod tunc primum ſeneſcere corpus incipiat, inde uſq; in finem uitæ uniuſcuiuſq; quintum gradum factũ, in quo qui eſſet, ſenex appelletur. Intrat Tartara.) ſubit inferos. Tartarus ſub utroq; cardine ſine ullis ſolibus triſte nubilo cœlum eſt, nebulaq́; continua, atq; ex humido ſpiſſa caligo, ut ſcribit Crates: uel ut Homerus accipit, locus in quo Saturnus eiusq́; ſocij ſub terra cohercetur. inde Tartareus penultima frequentius breui: ſed etiam longa, exemplo Euripidis, qui per diphthongon enunciauit. quod ſi Tænara leges (ut nonnulli codices habent) Orcum ſimpliciter intellige: ut quum dicimus Auernum, & ipſius Ditis ſedem ſignificamus. nã Tænarum Laconiæ promontorium eſt, aduerſum Aphricæ: & in eo ſpiraculum, quod ſcribit Solinus. quippe Tænarus Iouis filius Geræſti frater, aſſumpto altero germano nomine Calabro, Laconiam præteruectus eſt, & occupato loco templum Neptunno erexit, & à ſe Tænarum nuncupauit, ut inquit Stephanus. Fuit & alter Tænarus, Icario patre natus: à quo ciuitas, portus, et Laconiæ promontorium, nomen accepiſſe dicitur. & ſi ſuperius ex alijs autoribus diuerſa rettulimus.

Conueniunt animæ, quantas truculentior Auſter
Decutit arboribus frondes, aut nubibus hymbres
Colligit, aut frangit fluctus, aut torquet harenas,
Cunctaq́ præcipiti ſtipantur Tartara curſu,
Inſignem uiſura nurum, mox ipſe ſerenus
Ingreditur, facili paſſus molleſcere riſu,
Diſſimilisq́ ſui. Dominis intrantibus ingens
Aſſurgit Phlegethon: flagrantibus hiſpida riuis
Barba madet, totoq́ fluunt incendia uultu.
Occurrunt propere lecta de plæbe miniſtri,
Pars altos reuocant currus, frænisq́ ſolutis
Vertunt emeritos ad paſcua nota iugales,
Pars aulæa tenent, alij prætexere ramis

Limina

Limina, et in thalamis cultas extollere ueſtes.
Reginam caſto cinxerunt agmine matres
Elyſiæ, teneroſq; leuant ſermone dolores,
Et ſparſos religant crines, & uultibus addunt
Flamea ſollicitum præuelatura pudorem.

Conueniunt.) undiq; officij gratia coëunt. Quantas frondes.) quot folia. cõparatio Maronis. Quantas, id eſt quot. Suprà Claudian. Quantaſq; per oras Sollicito genitrix errauerit anxia curſu. Statius: Et quanta recuſas, Quanta uetas. Terentianus de ſe: Maurus item quantos potui cognoſcere Graios. Hauſter.) à meridie ſpirans uentus, ut ſcribit Vitruuius: ab hauriendis aquis: ut Græcè Notus ab humore dictus. Truculentior.) uiolentus, & noxius arboribus. Statius: Sylua capax æui, &c. Et ſtatim: Haud illam brumæ minuere Notus'ue Ius habet. Eſt etiam nobis parum ſaluber. aures enim hebetat, ſenſus tardat, capitis dolores mouet, aluum ſoluit, totũ corpus efficit hebes, humidum, languidum. Decutit.) quatiendo deijcit.

Colligit hymbres.) inducit pluuias. Stipantur.) complentur. à nauiũ ſaburra, uel onere ſumpta translatio. Præcipiti curſu.) feſtinantiũ uulgò. Serenus.) ſoluta fronte. Molleſcere.) mitigari. Diſſimiliſq; ſui.) diuerſus ab eo de quo dixit, Diræ riget inclementia formæ. Dominis.) Diti ac Proſerpinæ. ſic item Curtius de matre & uxore Darij Dominis ait. Sed hic muliebre genus uirili figuratè conceſſit. Aſſurgit.) Aduenientibus aſſurgere honoris eſt. Verg. Vtq; uiro Phœbi chorus aſſurrexerit omnis.

Phlegethon.) inferni fluuius. de quo ſatis multa. Barba hiſpida.) hirſutum mentum. Prudentius in diuo Romano: Hirſuta barbis ſoluitur carptim cutis. Riuis ardentibus.) igneo fluento. Miniſtri.) famuli. Lecta de plebe.) Hypallage: id eſt lecti de multitudine miniſtrorum. Statius de miniſtris Domitiani: Inſignis facie, decora cultu ſtat plæbs altera non minor ſedente. Pars.) eorum. Reuocant.) loco reſtituunt: aut reducunt, & à temone ſuſpendunt aſſere ſuppoſito. Statius: Pars meritos uertunt ad molle iugales Gramen, & erecto currum temone ſupinant. Altos currus.) Emphaſis. nam per hoc equorũ proceritas intelligitur, ut in illo Maronis: Stabant tercentum nitidi in præſepibus altis. Solutis frænis.) detractis habenis. Vertunt.) agunt. Iugales.) equos, qui iuncti currum trahunt.

Emeritos.) poſt laborem. Sic etiam Verg. emeritos boues in Georgicis appellauit. Nam milites emeriti dicuntur, qui completis ſtipendijs, militiæ

ſacramento ſoluti ſunt. Quintil. Emeritis hinc bello ſtipendijs. Pars.) *ſamulorum.* Aulæa.) *uela & ornamenta, quibus parietes & aulæ teguntur: dicta, quòd in aula Attali regis Aſiæ primum inuenta ſunt, quum is populum Romanum ſcripſiſſet hæredem: autor Seruius.* Limina.) *ianuam.*

Ramis.) *Antiquo Romanorũ more diebus feſtis, aut publica priuatáue lætitia, arborum rami pro foribus affigebãtur, & imprimis è lauro. Iuuenalis: Ornentur poſtes, & grandi ianua lauro. Meminit huius conſuetudinis Septimus Tertullianus, & Apuleius in hiſtoria Mileſiaca.* In thalamis.) *in lecto iugali, qui Genio medijs in ædibus ſternebatur. uel ornando cubiculo, quod magis placet.* Veſtes.) *Ex interpretatione Iuriſconſulti, qua quicquid induitur, aut tegitur, ueſtis appellatur. Catullus: Hic ueſtis priſcis hominum uariata figuris: id eſt aulæum.* Reginam.) *Proſerpinam.* Matres Elyſiæ.) *heroicæ indolis mulieres, quas illic eſſe canit Homerus, et Maro.* Cinxerunt.) *circumfuſæ texerunt. Papinius de puellis Adraſti nubentibus: Caſta matres cinxere corona Argolides. Apud Siciliam dies Proſerpinæ feſtus celebrabatur, hoc argumento: quem Theogamia uocabant, ut refert Pollux.* Leuant ſermone.) *ſolantur.* Teneros.) *puellares. & hoc à Papinio: Virginibus circum undiq; fuſæ Fœdera conciliant noua, ſolanturq́; timorem.* Et ſparſos religant crines.) *nam dixerat, Cæſariem diffuſa noto.* Addunt.) *opponunt.* Flamea.) *lutei coloris tegmina, quibus puellæ nubentes amiciebantur boni ominis cauſa: quòd id uelum erat in aſſiduo uſu Flaminiæ, id eſt Flaminis uxoris: cui diuertere per leges à matrimonio non licebat. Hæc ex Plinio accepimus, et Pompeio. Dionyſius Alicarnaſeus ait, inſulas et ſacerdotum pileos appellari flamea: unde flamines dicti ſunt. & ſi peruerſa apud eum dictio eſt Flama, pro Flamea.* Præuelatura.) *ut tegerent.* Pudorem.) *uerecundiam, qua nuptura uirgo ſuffundebatur. Tibullus: Vt iuueni primum uirgo deducta marito, Inficitur teneras ore rubente genas.* Sollicitum.) *qui Proſerpinæ pectus angebat: ab effectu. nubentes enim puellas, ut inquit Statius, Subit ille ſupremus Virginitatis amor, tacitæq; modeſtia culpæ.*

Pallida lętatur regio, genteſq́; ſepultæ
Luxuriant, epuliſq́; uacant Genialibus umbræ.
Grata coronati peragunt conuiuia manes,
Rumpunt inſoliti tenebroſa ſilentia cantus.
Sedantur gemitus Erebi, ſe ſponte relaxat

Squallor,

Squallor, & æternam patitur rareſcere noctem.
Vrna nec incertas uerſat Minoia ſortes:
Verbera nulla ſonant, nulloq́ꝫ frementia luctu
Impia dilatis reſpirant Tartara pœnis,
Non rota ſuſpenſum præceps Ixiona torquet,
Non aqua Tantalicis ſubducitur inuida labris:
Soluitur Ixion, inuenit Tantalus undas,

Pallida lætatur regio.) Orcus, ab umbrarū colore. de quibus Lucretius: *Simulacra modis pallentia miris.* *Sepultæ.)* conditæ. *Vmbræ.)* manes. *Vacant.)* indulgent, & operam dant. *Epulis Genialibus.)* feſtis dapibus, Genius (ut A. Fuſius ait) Deorum filius eſt, & parens hominū, ex quo homines gignuntur. inde cuiuſq; Genius appellatur, quod eum genuit. eundem Genium eſſe & Larem, Granius Flaccus in ijs quibus indigitamenta complexus eſt, multis argumentis probare contendit. Nonnulli binos Genios in ijs tantum domibus, quæ maritæ forent, colendos eſſe putauerunt, ut Cenſorinus. Is enim deus ad connubium gignendorum liberum cauſa inſtitutum pertinet. ideo geniales hic epulas, nuptiales intellige. *Manes.)* inferni dij. *Coronati.)* Veteri more, qui ſertis ornati conuiuia agitabant, ut diſcimus ex Plutarchi Sympoſijs, & Athenæo. Tibull. Iamdudum Syrio perfuſus tempora Nardo, Debueram ſertis implicuiſſe comas. Antiquiſſimum præterea coronarum genus ex lana fuit, autore Verrio. inde Papinius in patris Epicedio: Fugere meos Parnaſsia crines Vellera: id eſt ſerta. quanquam nihil impedit, infulas illic exponere. nā 4. Thebaidos ait: Vatem cultu Parnaſsia monſtrant Vellera. Et infrà: Nunc humeros, nunc ille manus & uellera preſſat Anxius. Et octauo, de Thyodamante: Atq; is ubi intorto ſignauit uellere crinem. Niſi forſan alluſit ad flaminum floccos. *Cantus.)* Nam muſicos in nuptijs exhibebant. Ouidius quinto Metamorphoſeon, In nuptijs Andromedes: Tibiaq́; & cantus animi, felicia læti Argumenta ſonant. *Sedantur gemitus Erebi.)* ſontium pœnæ differuntur, & ita luctus deſinunt. *Squallor.)* aër, qui craſſus & immotus hæret, ut inquit Seneca. aut certe ſitus. *Se ſponte relaxat.)* ultro remittitur. *Rareſcere.)* tenuari. *Aeternam noctem.)* perpetuas tenebras. *Vrna Minoia.)* Minos ab Heſiodo regno digniſsimus, ab Homero diſcipulus & Iouis neceſſarius appellatur. Peruicit tamen Tragicorū conſenſus, qui eum crudelitatis in gratiam Athenienſium (ut ait Plutarchus) inſimulant,

Ex quorum ſententia Vergilius Minoëm iudicem apud inferos, tanquam ſi prætor ſit rerum capitalium, Quæſitorem uocat, ex interpretatione Pediani. Dat illi ſortitionem, ubi urnam nominat: dat reiectionem iudicum, quum dicit, Concilium uocat: dat cognitionem, quum ſubdit, Vitasq; & crimina diſcit. inde hæc Claudianus. Verſat.) agitat. Incertas ſortes.) Hoc ex antiquo iudiciorum more. nam Romani ſortito cauſas audiebant, ut refert Seruius. Verbera.) Furiarum flagella, quibus umbræ ſontium uapulabant. Verg. Continuo ſontes ultrix accincta flagello Tiſiphone quatit inſultans, toruosq; ſiniſtra Intentans angues, uocat agmina ſæua ſororum. Impia.) ubi ſcelesti cruciantur. Reſpirant.) parumper quieſcunt. ab ijs ſumpta metaphora, qui ſub onere curſu ue ſubſiſtunt, donec ſpiritum recipiant. Rota, quod Cicero tradit in Tuſculanis, tormenti genus eſt. Præceps.) uolubilis. Torquet.) cruciat aßiduo circumactu. Ixiona.) Phlegyæ, uel Aethonis filium, qui ſocerum eius Eioneum per inſidias necauit. hiſtoriam recitauimus ex Pherecyde. quumq; prouocaſſet ad ſtuprum Iunonem, damnatus apud inferos aßidua rotæ uertigine rapitur. Tibullus: Illic Iunonem tentare Ixionis auſi Verſantur celeri noxia membra rota. Non ſubducitur.) nō ſubtrahitur. Inuida.) quæ Tantali iā iā poturi ſitim deſerit, ut ait Tibullus. Labris Tantalicis.) Tantalus (ut Xanthus Lydius in 4. ſcribit) Hymenæi filius & Aſcali frater, alter Iouis & Plutus, ut Aſclepiades: ut alij Smyrnam Phrygiæ, quæ tum Naulochos dicebatur: ut alij Sypilum tenuit. is apud inferos, ut canit Homerus, aquis ori allabentibus perpetua ſiti laborat. Supplicij cauſam non omnes eandem tradunt. nam quidam dicunt eum pœnas luere, quòd Pelopem filium dijs hoſpitibus epulandum appoſuerit. Nonnulli referunt, canem templi Iouis in Creta cuſtodem à Pandareo Mileſio ſurreptum, ad Tantalum perueniſſe: quem quum repetenti Mercurio abiuraſſet, hac affectum pœna. canis aureus erat, & ſpirans, ut Aſclepiades ex fabula refert. Ouidius, quoniam deorum ſecreta mortalibus reuelarit: Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat Tantalus, hoc illi garrula lingua dedit. Euripides ait, in aëre ſuſpenſum, impēdenti ſaxo torqueri. Sunt qui ſubiectum Sypilo monti tradant in Lydia. Petronius in Tantalo repræſentari auaros autumat, quibus opes uſui non ſunt, & ſiccis faucibus conditis pecunijs incubant. Huius filius Pelops acceptis equis pennatis ab amatore Neptunno Piſam delatus eſt, ut ſcribit Pindarus: atq; Oenomao curuli certamine ſuperato, Hippodamiam uictoriæ præmium duxit. Ineuntibus enim certamen procis eam concedebat Oenomaus, ut eodem

curru

curru ſedentem ueherent, ac intra currendi ſpaciũ à carceribus ad metas ſecũ raperent. quod Lycophronis & Pindari narrat interpres, et Apollonij carmen indicat, Ἐν δὲ δύω δίφροι πεπονήατο δηριόωντες, Καὶ τὸν μὲν προπάροιθε πέλοψ ἴθυνε τινάσσων Ἡνία σὺν δέ οἱ ἔσκε παραιβάτις ἱπποδάμεια, *id eſt. Stant gemini currus, pendetq́; in uerbera pronus Hinc ſocer, inde Pelops. fugit hic, premit ille, Dat ſpacium Pelopi, comes aſſidet Hippodamia. Pauſanias in Eliacis: Effictus, inquit, eſt & Oenomaus, inſequens Pelopem habentem Hippodamiam. utrinq; duo aſtant equi, quorum qui Pelopis eſt, pennas habet. Ouidius ad Auguſtum: Quid non Tantalides agitante cupidine currus, Piſæam Phrygijs uexit eburnus equis. Inde poëtæ conſpirãt, ut alienis quadrigis Hippodamiam per epitheton uectam dicant: quod non ſuo, neq; paterno, ſed procorum curru rapiebatur. Ouidius in Heroidibus: Quà duo porrectus longè freta detinet Iſthmos, Vecta peregrinis Hippodamia rotis. Eundem uerſum repetit in artibus & Propertius: Nec Phrygium falſo traxit candore maritum, Auecta externis Hippodamia rotis. Ad hoc et Naſonis illud referri debet: O quàm penè Pelops Piſæo concidit axe, Dũ ſpectat uultus Hippodamia tuos. Spectabat Hippodamiam Pelops, quam ſecum uehebat eburneo curru, quem Neptunnus ei largitus eſt, ut in Tuſculanis refert Cicero. Meminit & Papinius in Thebaide: Neptunnia tendit Lora Pelops. Ex Hippodamia liberos quidem ſuſcepit multos, ex Danaide nympha Chryſippũ furtiuo cõcubitu, quẽ Laius Thebanus amauit & rapuit. Is poſtea captus à Thyeſte & Atreo, benignè à Pelope tractatus eſt, quod amoris cauſa puerũ abſportaſſet, ut Græcus autor Doſitheus de Pelopidis ſcribens ait. Sed Grammaticus Ariſtophanes in Periocha Phœniſſarum fabulæ Euripidis, ex oraculo refert, ab Oedipo filio Laium iugulatum, propter diras quas in eum Pelops ob raptum Chryſippum effudit. Praxilla tamen Sicyonia Chryſippum à Ioue raptum canit, ut de Ganymede fabulantur. Hũc ipſum mox Hippodamia nouerca, Atreo Thyeſteq́; nõ audentibus, dormientem iugulauit, inſimulato cædis ipſo Laio, cui tum puer accubabat, ut legimus apud Plutarchum. Hoc argumento Euripides Tragœdiam dedit, & apud nos Accius: unde teſtimoniũ citat Verrius, in uerbo Rhodus. Ex hac hiſtoria M. Tullius ait in Tuſculanis: Quis aut de Ganymedis raptu dubitat, quid poëtæ uelint? aut nõ intelligit, apud Euripidem quid & loquatur, & cupiat Laius? Hæc uberius ideò perſcripſimus, quoniam Ciceronis, Ouidij, Propertij & Papinij quos dixi locos, alij non attigerunt.*

Et Tytius tandem ſpacioſos erigit artus,
Squallentisq; nouem detexit iugera campi,
Tantus erat: laterisq; piger ſulcator opaci,
Inuitus trahitur laſſo de pectore uultur,
Abreptasq; dolet iam non ſibi creſcere fibras.
Oblitæ ſcelerum, formidatiq; furoris
Eumenides, cratera parant, & uina feroci
Crine bibunt, flexisq; minis iam læne canentes

Et Tityus tandem.)Tytius(ut ait Pherecydes)Iouis et Elaræ filius fuit, eius quam genuit Orchomenus. Telluris tamen dictus eſt, quòd eo grauida mater Elara, Iunonis metu terræ cauernã ſubiens, illic puerum peperit. Indicat in Bœotia Strabo ſpecum, Elaram à re geſta nominatam. Alij ſentiunt ideo Terræ filium dici, quòd ex hominum genere ſæuos & immanes, cuiuſmodi Tityus fuit, Fabulæ ex Terra natos fingunt. & Callimachus, atrociſſimas quaſq; beſtias terræ genus appellat. In nouem iugera diſtentus apud inferos paſcit uultures, ut autor eſt Homerus, quoniam uim Latonæ inferre tentauit. uel ut canit Euphorion, Dianæ uitium intulit: quapropter Apollinis & Dianæ telis extinctum refert Pindarus. Erigit.)attollit. Artus ſpacioſos.)uaſtiſſima membra, ut quæ tantum agri occuparent. Cleon Magnes ait, homines inuſitatis & portentoſæ narrationis rebus ideo fidem non adhibere, quòd eadem ſua tempeſtate non accidant. ſe uero credere, Tityum fuiſſe quantum canit Homerus, quum Gades ad Herculis fretum profectus ex negocio, ſpectauerit hominis cadauer eiectum fluctibus ad quinq; iugera littoris occupare, multisq; mortalibus fuiſſe ſpectaculo. ſeſe ſuſpicari ex eo genere hominum extitiſſe, qui ſedes habent in uadis Oceani, de quibus Iuuenalis: Oceani monſtra, & iuuenes ſpectaſſe marinos. Nouem iugera.) nam tot iacens premebat. Tibull. Porrectusq; nouem Tityus per iugera terræ. Iugeri menſura ducentos & quadraginta pedes habet in longitudine, dimidium in latitudine: ex dimenſione Quintiliani. Homerus nouem plethra dixit, quæ ſingula centum pedes habent, ut Mathematicus Hero docet, Iuliusq; Frontinus de Agrorum qualitate. Sed noſtri pro iugero tantum accipiunt. Vultur.)Homerus geminos uultures admotos Tityo canit, Ouidius unum: Iugeribusq; nouem ſummus qui diſtat ab imo, Visceraq; aſſiduæ debita præbet aui. Sulcator.)ales, qui Tityo quaſi carnifex additus erat. et Prudentius: Milites teterrimi ſulcãt per artus longa tractim uulnera. Eſtq;

metaphora

metaphora ſumpta ab aratoribus. Opaci.) *liuentis.* Tibull. *Aßiduas atro uiſcere paſcit aues: aut umbroſi, ut inde per metalepſim magnitudinem corporis exprimeret.* Piger.) *aßiduus, & qui nuſquam auolat, ſed affixus iecori ſemper hæret, aut inerti corpore.* Fibras.) *iecur, quod ſubinde reparatur, ut canit* Vergilius. Eumenides.) *Furiæ.* Scelerum.) *ad quæ mortalium mentes deprauant.* Formidati.) *timendi.* Feroci.) *anguineo.* Flexis minis.) *remiſſo furore.* Læne.) *aduerbium eſt.*

Extendunt ſocios ad pocula plena Ceraſtas,
Ac feſtas alio ſuccendunt lumine tædas.
Tunc & peſtiferi pacatum limen Auerni
Innocuæ tranſiſtis aues, flatumq́ repreſſit
Amſanctus, tacuit fixo torrente uorago.
Tunc Acherontæos mutato gurgite fontes
Lacte nouo tumuiſſe ferunt, hederiſq́ uirentem
Cocyton dulci perhibent ſtagnaſſe Lyæo.
Stamina non rumpit Lacheſis, ne turbida ſacris
Obſtrepitent lamenta choris: mors nulla uagatur
In terris, nulliq́ rogum planxere parentes,
Nauita non moritur fluctu, non cuſpide miles,
Oppida funerei pollent immunia læti,

Ceraſtas.) è ſerpentũ genere, quæ quadrigemina præferunt cornicula, quorũ oſtentatione ueluti eſca ſollicitatas aues perimũt. nã reliqua corporis de induſtria harena tegunt, nec ullũ indiciũ ſui præbẽt, niſi ex ea parte qua inuitatis dolo paſtibus, necem auium aucupantur: autor Solinus. Homines *præterea Ceraſtas cornibus inſignes olim tenuiſſe Cyprum, ſcribit* Androclides: *unde inſula Ceraſtia dicta eſt.* Xenagoras *tamen ita denominatã à ſitu putat, quod procurrentibus promontorijs, uelut infeſtis cornibus aſſurgat. Cum Androclide Naſo conuenit in* 10. Metamorphoſeon. Feſtas tedas.) *Nuptiales faces.* Alio.) *non rogali.* Tunc.) *per id tempus, quo celebratæ ſunt nuptiæ.* Limen.) *ſpiraculũ, fauces ac oſtium.* Auerni.) *Campaniæ lacus, de quo antè eſt dictum.* Peſtiferi.) Nam *peſtilens inde exhalatur uapor. in quem ſi aues inciderint, in ipſo uolatu decidunt.*

Pacatum.) *non infeſtum.* Tranſiſtis innocuæ.) *ſuperuolaſtis abſque noxa.* Aues.) *apoſtrophe.* Flatumq́ repreßit.) *mortiferum quem exhalat ſpiritũ, ut tradit* Plinius. Amfractus.) *Ita quidem legitur in omnibus ferè codicibus: nos Amſanctum emendauimus ex* Vibio Sequeſtri

qui Lucaniæ fontem Amſanctum reddit, ab inferis erumpentem, ut hominũ fert opinio. Cicero de Diuinatione libro primo: Terrarum mortifera quædam pars eſt, ut & Amſancti in Hirpinis, et in Aſia Plutonia quæ uidemus. de Amſancto longum Vergilij carmen extat: Eſt locus Italiæ in medio ſub montibus altis, Nobilis, et fama multis memoratur in oris, Amſancti ualles. Et paulopóſt: Hic ſpecus horrendum, & ſæui ſpiracula Ditis Monſtratur, ruptoq́; ingens Acheronte uorago Peſtiferas aperit fauces. Addit & nominis rationem Seruius: Amſanctum dici, quaſi undiq; ſanctum. Locum nos aliquando ſpectauimus, cũ Daunios & Salentinos, quibus tum ius dicebamus, Neapoli peteremus: incolæ Mephytim uocant, à Pregento non procul. Nec abeſt à uero Donatus, qui ſtatuit ad Calorem. nam qui Samnitas interſecat Calor amnis, illac præterfluit. Vt uero Canuſio proximũ diceret, urbis illius nobilitas effecit, quum cætera proxima regione oppida obſcura ſint, nec eius generis, unde locorum noticia peti debeat. Fixo torrente.) Verg. Medioq́; fragoſius Dat ſonitum ſaxis, & torto uertice torrens. Acherontæos fontes.) In Theſprotide palus eſt Acheruſia, et amnis Acheron, ut Thucydides & Strabo ſcribunt. ibi Cocytus quoq; labitur, aqua inſuauiſsima. Pauſanias arbitratur Homerum, quum hæc loca uidiſſet, commentum inferorum aggreſſum, & in poëma ſuum tranſtuliſſe. Mutato gurgite.) Nã prius Acheron turbidus incedebat. Papinius: Liuẽtes Acheron eiectat harenas. Lyæo.) mero: quod Liberi munus eſt, qui Lyæus appellatur, quoniã ſoluit animi curas, Id quod Vticenſis Cato in ſe quandoq; periclitatus eſt, ut ait Plutarchus. & Tibullus tentauit: Adde merum, uinoq́; nouos compeſce dolores, Occupet ut feſsi lumina uicta ſopor. inde Liberũ quoq; dictum plæriſq; placet: ſed Alexander ait ita uocatum, quod pro communi Bœotiæ libertate pugnauit. Lacheſis.) Parca. Non rupit ſtamina.) De colo fatali ſuperius expoſuimus. Sed Atropos filum truncat, non Lacheſis: ut iactato incondito illo carmine notum eſt. Sed Lacheſin Claudianus ἁπλῶς pro quacunq; Parca poſuit: aut ſororem pro ſorore, ut Maro Pollucem pro Caſtore, Propertius Androgeum pro Glauco: Et deus extinctum Creſis Epidaurius herbis, Reſtituit patrijs Androgeona focis. Nec.) Mea quidem ſententia ſcribe Ne. reddit enim cauſam, cur à ſuo munere mors & Parca ceſſaret, ne ſcilicet morientium gemitus feſta turbarent. Mors.) necis dea, Noctis (ut Heſiodus ait) filia, quoniam fatalẽ ſibi diem nemo nouit. ex hoc & atra dicitur à Tibullo: Abſtineas mors atra precor, non hic mihi mater. Nulla uagatur.) in gratiã Ditis ocio uacat. eſt enim ſub eius Imperio.

Seneca

Seneca de Plutone: Et Mortis dominus pertimuit mori. Morti Gadibus ara fuit, in honorem cõmunis omnium quietis, ut Arrhianus in eo quem de prouidentia ſcripſit autor eſt. Rogum *)mortem liberorum. nam Vetuſtas cadauera comburebat, ut in legibus ſcribit Cicero. Romæ Corneliorum primus Sylla cremari uoluit, ut autor eſt Plinius. apud Græcos buſtum primus inſtituit, Hercules antea ignotum. Sed hoc in Tibullum copioſius.* Fluctu. *)maris aduerſa tempeſtate.* Miles. *)bellator, & qui caſtra ſequitur, appellatus à ſenſu contrario, quod minime mollis ſit, ut ſentit Aelius. uel à numero: nam legio trium milium primo fuit, et à ſingulis tribubus, Tatienſiũ, Rhamnium, Lucerumq;, milia militum mittebantur. Eutropius ait, quum Romulus initio mille delectos ex populo armaſſet, à numero milites placuiſſe.* Cuſpide. *)telo, aut haſta: à parte totum.* Pollent. *)florent.* Immunia. *) Munus onus quandoq; ſignificat. id quum remittitur, immunitas præſtari dicitur, ut iuris interpres Paulus ait.* Leti funerei. *)mortis, & exequiarum.*

Impexosq; ſenex uelauit harundine crines
Portitor, & uacuos egit cum carmine remos.
Iam ſuus inferno proceſſerat Heſperus orbi,
Ducitur in thalamum uirgo, ſtat pronuba iuxta
Stellantes nox picta ſinus, tangensq; cubile,
Omina perpetuo genitalia fœdere ſancit.
Exultant cum uoce pij, Ditisq; ſub aula
Talia peruigili ducunt exordia plauſu:
Noſtra parens Iuno, tuq; ô germane Tonantis,
Et gener, unanimis conſortia ducite ſomni,
Mutuaq; alternis innectite colla lacertis.
Iam felix oritur proles, iam læta futuros
Expectat natura deos, noua numina rebus
Addite, & optatos Cereri proferte nepotes.

Senex. *)Charon magiſter cymbæ, qui mortuos per Acheruſiam paludem traijcere putabat, ut in ſecundo Bibliothecæ ſcribit Diodorus ex repræſentatione Aegyptiorum.* Portitor. *)Portitores appellantur, ut ſcribit Nonius, qui portum obſident, atq; excutiunt omnia, ut uectigal accipiant. qua ratione Charon portitor dici poteſt: quippe qui ab umbris illuc appulſis*

obolum, quaſi portorium exigat, ut narrat Apuleius in hiſtoria Mileſiaca. meminit & Propertius: Vota mouent ſuperos, ubi portitor æra recepit, Obſeruat umbroſos lurida porta rogos. Quin & uectorem cũ Seruio poſſumus intelligere. nam quem Græci πορθμέα, nos etiam portitorem rectè dicimus. Martialis de ariete, quo traiecta eſt Helle: Quid meruit Nemees terror? quid portitor Helles? quod hemiſtichium mutuatus eſt à Lucano, et Columella. ubi nihil dici poteſt, quin uectorem ſignificet. Impexos crines.) Vergil. de Charonte: Cui plurima mento Canicies inculta iacet. Cantat.) nautico more, de quo noſter Naſo: Cantat, & innitens limoſæ pronus harenæ, Aduerſo tardam qui trahit amne ratem. Suus Heſperus.) Nam ſua ſidera manes habent, ut diximus. Heſperus Atlantis filius, quum in uertice montis à patre dicti ſiderum curſus obſeruaret, extinctus eſt, & à ſuis ob inſignem pietatem relatus in cœlum, ſideri nomen dedit. autor Diodorus. Proceſſerat.) apparebat. Obſeruatum eſt à maioribus, ut ueſpertino eius ortu noua nupta eundem torum cum uiro iniret. quod teſtatur etiam Catullus, inductis puellis & & adoleſcentibus hoc argumento certare. notum carmen. Nox.) dea parens (ut Orpheus inquit) omnium: quæ Cypris, hoc eſt Venus, eadem memoratur. inde ueteris Comœdiæ poëta Ariſtophanes, Amorem Nocte genitum dicit. Pronuba.) quæ celebrandis nuptijs præerat ex parte uxoris, ut auſpex ex parte uiri. inde Iuno pronuba, quæ matrimonia curat. de auſpice Iuuenalis: Veniet cum ſignatoribus auſpex. Tangens.) precantium more, qui tenebant aras, ut diſcimus ex Macrobio. Sancit.) ratis optat uotis. Omina genitalia.) numeroſam feliceмq; ſobolem. Perpetuo fœdere.) indiſſolubili connubio. Pij.) cultores Elyſij. Exultant.) plaudunt, & motu corporis geſtiunt. Cum uoce.) cum cantu: uel eodem linguæ fauore Plutoni bene precantes. Exordia.) uerba. Peruigili.) nam totam noctem per cantum uinumq; duxerunt. Noſtra parens Iuno.) Applauſus & piorum congratulatio, uice carminis Feſcenini. Iuno eadem cum Proſerpina eſt, ut per operis initia demonſtrauimus. Germane.) frater, eiuſdemq; ſtirpis & germinis, ut Feſto placet. aliter Seruius ex Varrone. Gener.) Nam Proſerpinam Iouis & Cereris filiam duxerat. Conſortia ducite ſomni.) Nocturnos complexus intelligit. nam conſortes cuiuſcunq; rei participes appellamus. Conſortem patriæ, conſortem lyræ, conſortem tori dicit Ouidius. & pro ſimili Propertius uſurpauit: Tu qui conſortem properas euadere caſum: id eſt qualem ſubijt Gallus. Vnanimis.) concordis. & rectè. nam poſſunt etiam,

qui ſimul accubant, non conuenire. Sed nemo lites uxorias ſedare ſperet, quas lectus non dirimit, ut ad Polianum ſcribens ait Plutarchus. Mutuaq; *alternis innectite colla lacertis.) non diſsimilis Galieni Cæſaris ad nepotes extat hortatio:* Non *murmura ueſtra columbæ,* Brachia non hederæ, *non uincant oſcula conchæ.* Rebus.) *mundo.* Nepotes.) *Ominatur eis prolem.* Orpheus in Hymnis *canit:*Eumenidas *Proſerpinæ filias ex* Dite *ſuſceptas, quas poſſumus hic intelligere. nã ut nepotes potiuſquàm neptes dicerent, optandi ratio poſcebat. quoniam deterioris ſexus liberos nemo non deprecatur. Aut utriuſq; ſexus intellige. nam* Pos *omnia terminata producuntur, & ſecundum tertiam declinantur inflexionem: ſi ſint duũ generum tis faciunt genitiuo, ut hic & hæc nepos, huius nepotis. quamuis hæc neptis multi dicant, non hæc nepos. Hæc ex Catholicis Probi. Sed alij dicunt,* Nepos *anomalè facit neptis, ut ſenex anus.*

LIBRI TERTII ARGVMENTVM

Iupiter ut ſuperum iam conſediſſe ſenatum
Conſpicit, accitu Thaumantidos, orſus ab alto
Exponit ſolio, cur uitæ larga prioris
Commoda ſubſtulerit, regnataq; ſæcula patri,
Scilicet ut curis acuat mortalia corda.
Nunc (ne ſe toties queſtu natura fatiget)
Chaonio ſtatuiſſe homines auertere uictu,
Atq; ideò Cererem longo diſcurrere luctu
Decretum, donec natæ lætata repertæ
Indicio, tribuat fruges, pœnaſq; minatur,
Si quiſquam Cereri raptorem prodere diuum
Audeat. illa diu Phrygijs bacchata ſub antris,
Nocturno tandem monitu ſua tecta reuiſit.
Agnoſcitq; domus cladem. petit illicet amens
Aethera. quumq; nihil miſeram lamenta iuuarent,
Cœlicolum patuere doli. tum faucibus Aetnæ
Succenſas quatiens pinus, erroribus aptas
Noctiuagis, oras Siculas accincta peragrat.

Omnia quæ ſenſu,&c.)Hos elegos alieniſſimo loco librarius male ſedulus inſeruit,arbitratus huic etiam libro, quum duo ſuperiores habeant, addendam Præfationem.Sed in antiquis codicibus Panegyrico Sexti conſulatus Honorij præludit:quorum fidem ſecutus, hinc expungendam cenſeo,ueteri Praxiphanis & Ariſtarchi exemplo, qui procemium ſuſtulerunt ab Heſiodi Georgicis,quod in antiquis exemplaribus non extabat.

LIBRI TERTII PERIOCHA.

RApta iam Proſerpina,Iupiter in contionem deos aduocat, indictaq; pœna iubet,nequis audeat indicare Cereri raptorem filiæ, eiusq; conſilij rationes in medium profert. Ipſa uero Ceres in ſomnio de raptu Proſerpinæ facta certior, in Siciliã ſe recepit:compertaq; ſuæ domus clade, curſum rapit in cœlum. quumq; apud Iouem cæterosq; deos neq; conuicijs, neq; precibus aut querelis quicquam proficeret, faces ab Aetnæ caminis accendit,atq; ita auſpicatur errorem.

CL. CLAVDIANI DE RAPTV PROSERPINAE LIBER Tertius.

IVpiter interea cinctam Thaumantida nymbis
Ire iubet,totoq; deos accerſere mundo.
Illa colorato Zephyros trãſgreſſa uolatu
Numina conclamat pelagi, Nymphasq; morantes
Increpat,& fluuios humentibus euocat antris.
Ancipites trepidiq; ruunt,quæ cauſa quietos
Excierit:tanto quæ res agitanda tumultu?
Vt patuit ſtellata domus,conſidere iuſſi.
Non confuſus honos:cœleſtibus ordine ſedes
Prima datur,tractum proceres tenuere ſecundum
Aequorei,placidus Nereus,& lucida Phorci

A. IANI PARRHASII IN CLAVDIANVM DE RAPTV PROSERPINAE COMmentarius Tertius.

INterea.)dum hæc aguntur.atq; ita ſuperioribus librum connectit, ut Aeneid. 5. Verg. Interea medium Aeneas iam claſſe tenebat. Iupiter.) Quorundam nominũ duo tantum caſus inueniuntur, ut Iupiter, ô Iupiter. nam qui declinat hic Iupiter, huius Iouis: poteſt & hic Phœbus, huius Apollinis declinare: & hæc Minerua, huius Palladis: & hic Hercules, huius Alcidæ. hæc in Catholicis Probus. Alij tamen hunc in modum præcipiunt: Omnia nomina genitiuo ſingulari, aut ſyllaba creſcunt, aut æquata nominatiuo conueniunt. abſq; Iupiter, & calamus: faciunt enim, Iouis & cannæ, propter Cacophaton. Ire iubet.)mittit. Thaumantida.)Irin, quæ Thaumantis & Electræ filia fuit, Harpyiarum ſoror, ut canit Heſiodus. Cicero tamen & Macrobius, nominis cauſam reddunt admirationem, quæ θαῦμα Græcè dicitur, & arquum ſpectantium ſubit animos. Iris, ut in Theogonia canit Heſiodus, nuncia tantum Iunonis eſt. Heſiodo Papinius accedit in Syluis: Summi Iouis aliger Arcas Nuncius, hymbrifera potitur Thaumantide Iuno. Sed ut Vergilius, omnium deorũ: Aëriam cœlo quum Iupiter Irin Demittit. Nymbis.)nubibus, in quibus arquus cauſa eſt: ut Senecæ teſtimonio recitauimus. Accerſere.)euocare. Toto mundo.)Nam dij regionatim ſedes habent, ut Capella ſcribit. Colorato.)picto. Numina pelagi.) maris deos. Increpat.)arguit deſidiæ. Nymphas morantes.)Naiades & Nerei filias contabundas: quod ingenioſè poëta fingit. arquus enim collectis humoribus inducit pluuias. Tibullus: Quamuis prætexens nigra ferrugine cœlũ, Venturam admittat hymbrifer arquus aquam. Fluuios.) amnium Genios. Antris.)nam ſpecus inhabitant. ſuprà Claudianus: Letatur in antro Amnis: id eſt Hermus, de quo loquitur. Ancipites.)ſuſpenſi, dubijq;. Trepidi.)pauidi atq; feſtini. Ruunt.)Alluſit ad incitatos amnium curſus. Quos.)Scribe quæ cauſa. nam reddit rationem, cur illi ambigerent. Excierit.)euocarit. Quietos.)pacatis rebus: quũ deos omnis in concilium cogere, nõ niſi in ſumma rerum difficultate moris eſſet.

Quæ res agi.) quid in deorum ſenatu referendum. Tanto tumultu.)tanta trepidatione. Vt patuit ſtellata domus.)poſtquàm cœli copia facta eſt. Conſidere iuſsi.)Nam Iouis iniuſſu non auderent. Stat. Theb. primo: Nec protinus auſi Cœlicolæ, ueniam donec pater ipſe ſedendi Tran

quilla iubet eſſe manu. Non confuſius honos.)non promiſcuè,ſed pro ſua quiſq; dignitate conſedit. Et conſuetudinem Romani Senatus expreſſit.

Prima ſedes.)primus ordo ſedendi. Datur cœleſtibus.) dijs ſuperis, & ijs inprimis quos Selectos appellant, quorum nomina Q. Ennius uno diſticho complexus eſt: Iuno, Veſta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercurius, Iouis, Neptunnus, Vulcanus, Apollo. Sed hic abfuiſſe Cererem non eſt admonendum, quum ex ipſius poëtæ uerbis apertè pateat. Proceres æquorei.) principes maris dij. nam proceres eminentes in ædificijs mutili dicuntur, & trabium capita, quorũ ſimilitudine principes ciuitatis proceres uocari cœperunt, ut ſcribit Varro. Tenuerunt ſecundũ tractum.) proximi cœleſtibus conſederunt. Nereus.) omniũ Ponti liberũ natu maximus, ex Oceani filia Doride Nymphas genuit, quas à patre Nereidas appellamus: autor Heſiodus. nomen à Græco uerbo νίχω, quod eſt urino. nam Nereus, ut omnia maris numina demerſas aquis ſedes habet in maris fundo. uates etiã fuit, inq; uarias formas ut Proteus uertebatur, quẽ Themidis natarum monitu impeditũ uinculis, ad reſponſa coëgit Hercules. hiſtoriam tradit Pherecydes de nuptijs Iunonis 10. Horatiùs ex hac hiſtoria Nerei uaticinium de Troiæ excidio finxit. Lucida Phorci Canicies.)Phorcus Ponti filius, Thaumantis et Nerei frater, Græas à partu ſtatim canas, ut prodit Heſiodus, ex Ceto ſorore ſuſcepit, quas intelligit Claudianus. alioqui comarum canicies Nereo magis congrueret, qui natu grandior fuit, ut diximus: & ab Heſiodo longæuus, ac ſenior appellatur. Sed ne fabuloſa diutius conſectemur, Phorcus extremi maris ambitũ repræſentat, & inde Ponti ac Terræ filius dicitur. is Cetonis compreſſu Græas, hoc eſt ſpumas breuibus incidens creat: quòd qua mari terra committitur, in primis euenit. duas tantum Græas tradit Heſiodus, Pemphredo, & Enyo: tertiã nominat Pherecydes Ino. Caſtigandus & obiter eſt deprauatus apud Higynũ locus, ubi Igræas una ſuperante litera legitur. Varro Sardiniæ regem fuiſſe Phorcũ refert, & ab Atlante cũ magna copiarũ parte nauali prælio deletũ, tantũ ſui deſideriũ populis reliquiſſe, ut inter maris deos relatus ſit. Herodotus ait, initio tenuiſſe Aruenij Achaiæ promontorij uallem, quæ Phorcynis appelletur. inde in Cephaleniam profectum, habitaſſe locum, cui nomen Ammon. indidem migraſſe mox in Ithacæ portum, qui Phorci memoratur ab eius nomine.

Canicies. Glaucum ſeries extrema biformem
Accipit, & certo manſurum Protea uultu.
Nec non & ſenibus fluuijs conceſſa ſedendi

Gloria,

Gloria, plæbeio ſtat cætera more iuuentus.
Mille amnes, liquidis incumbunt patribus hudæ
Naiades, & placidi mirantur numina Fauni,
Tum grauis ex alto genitor ſic orſus Olympo:

Glaucum.) Glaucus Polybi filius Anthedonius, ex Eubœa piſcator in balenam cõuerſus eſt, tractata herba cuius attactu piſces quos captos extraxerat, rediuiuos in æquor reſiliſſe conſpexerat. Herbam fuiſſe, quam Græci uocant ἀείζωον, *noſtri ſedum ſemperq; uiuam, tradit interpres Lycophronis, & eo prior Athenæus. notiſſima fabula, cuius etiam Strabo meminit. Palæphatus ad hiſtoriam referens, ait eum ſummum fuiſſe urinatorem, qui quum aquis ſe conderet, perq; longa maris ſpacia ad inſulam quandam cultoribus uacuam ſecreto natatu penetraret, inde poſtriduo rediens, apud maris deos ſe fuiſſe profitebatur, quod rudi tum ſeculo facile perſuaſit. itaq; ſibi diuinitatis opinionem comparauit. Series extrema.) ſupremus ordo. Et ad ipſius Glauci patriam alluſit. quippe Anthedon, ut poſt Homerum canit Papinius, in Eubœæ tractu ultima eſt. Protea.) Proteus Neptunni filius ex Phœnice ſuſceptus, ut ſcribit Stephanus, Pallenem Macedoniæ quandoq; tenuit. Sed quum Tmolus atq; Telegonus, quos ex Torones puellæ matrimonio ſuſceperat, hoſpites lucta ſuperatos extinguerent, liberorum impietate offenſus à patre impetrauit, ut ductis per maris uada cuniculis in Aegyptum ſiſteretur. ubi Tmoli ac Telegoni nece audita, gauiſus non eſt, ut pater: nec item doluit, ut qui iure cæſos intelligebat. Hæc apud Lycophronẽ legimus, in Alexandra. Manſurum certo uultu.) formã præſentibus dijs nõ mutaturum. nam uarias ſpecies induebat Proteus, ut refert Euphorion. Hiſtoriæ ueritatem prodit Diodorus. Idem Periclymeno Nelei filio Neptunnus auus conceßit, ut diſcimus ex Heſiodo: & Eriſichthonis filiæ Meſtræ, cui uitium deus obtulerat, ut Palæphatus Incredibilium primo tradit.*

Necnon.) præterea. Conceſſa gloria,) facta poteſtas, qui ſummus honor fuit, in conſpectu Iouis. Senibus.) igitur ætati, non generi datum eſt. Atq; obiter oſtendit poëta, quantus ab antiquis olim Romanis ſenectuti tributus honos fuerit, ut teſtatur Iuuenalis, et nos ex Gellio recitauimus. Stat.) non ſedet. Plæbeio more.) ut incondita turba in comitijs aut ludis ſolet. Mille.) Mille, centum, & ſexcenta, pro infinito numero accipiuntur.

Naiades.) fontium deæ. Incumbunt.) ſuperſtant. Liquidis patribus.) amnibus, quorum filias poëtæ Nymphas eſſe dicunt. Callimachus: Νύμφαι θεσσαλίδες ποταμοῦ γένος. *id eſt, Nymphæ Theſſalides amnis genus.*

Elegantius

pulucre: fontes alios aqua, alios lacte, quoſdam melle, pleroſq; uino, nonnullos oleo incitatos fuiſſe. ſed hominibus à ſacietate uerſis in delicias & contumeliã, iratũ Iouem cuncta ſuſtuliſſe, uitamq; per laborẽ cõſtituiſſe. tũ frugalitate cæteriſq; uirtutibus in mediũ prodeuntibus, iterũ bonorũ copiã reſtitutã. Euripides in Helena *longã narrat hiſtoriã*: Cybelem *raptu filiæ (quam ipſe uocat* σατίναρ*) dijs & hominibus iratam, omnia uitæ commoda corrupiſſe: fœcunditatẽ agrorũ, pecus, aquas, fontes, & quicquid animantes alit. quumq; nullus honos aut res diuina dijs eſſet, à* Ioue Gratias *et* Muſas *ad eam ueniſſe cum* Venere*: itaq; deam placatam.* Hæc *& longè plura apud* Euripidem Chorus*. unde diſcimus,* Cybelem *fuiſſe eandem cũ* Cerere.

Adduxere meas iterum mortalia curas,
Iam pridem neglecta mihi, Saturnia poſtquam
Ocia, & ignaui ſenium cognouimus æui,
Sopitoſq; diu populos torpore paterno,
Sollicitæ placuit ſtimulis impellere uitæ,
Incultis ne ſponte ſeges grandeſceret aruis,
Vndaret neu ſylua fauis, neu uina tumerent
Fontibus, & totæ fremerent in pocula ripæ.
Haud equidem inuideo (nec enim liueſcere fas eſt,
Vel nocuiſſe deos) ſed quod diſſuaſor honeſti
Luxus, & humanas oblimat copia mentes,
Prouocet ut ſegnes animos, rerumq; remotas
Ingenioſa uias paulatim explorat Egeſtas,
Vtq; artes pariat Sollertia, nutriat Vſus.

Adduxere iterum meas curas.) effecerunt ut rurſus illis uacem, atq; animum intendam. Saturnia.) Temporis illius ignauiam, quo Saturnus *rerum potitus eſt. Atq; ita adducit in inuidiam patrẽ, quem regno exuit, & ubiq; inſectatur.* Inde Prudentius de Saturno: *Quem ſi beatè uiuere audit* Iupiter, *Plectat neceſſe eſt occulendi conſcios. Senium.) tædium à ſenectute, quòd ſenes omnibus odio ſint, ut docet* Nonius. Actius in Epinauſimache*: Mors amici ſubigit, quæ mihi eſt ſenium multo accerrimum. An ſenium dixit, corporis tarditatem, qualem ſpectamus in ſenibus?* Tibull. *Poſtq; uenit tardo curua ſenecta pede. hoc magis conuenit. Aeui.) ſeculi. Ignaui.) deſidis & inertis. nam tunc omnia tellus ultro ferebat, & homines ab*

omni negocio ceſſabant: ut canit Heſiodus & Tibullus, ac Plato meminit.

Sollicitæ placuit ſtimulis impellere uitæ.) uiſum nobis eſt quaſi calcar hominibus addere, ut ad ueſtigandas artes excitarentur. Vergil. in primo Georg. Pater ipſe colendi Haud facilem eſſe uiam uoluit, primusq́; per artē Mouit agros, curis acuens mortalia corda, Nec torpere graui paſſus ſua regna ueterno. cætera illic, unde totum hunc locum Claudianus accepit. Ne ſeges.) Ea proprie ſignificat fruges eorum ſeminum, quibus conficitur panis, nondum demeſſa. Ouid. Dum cadet incurua falce reſecta ſeges. Grandeſceret.) ad maturitatem ſurgeret. Actius in Meleagro: Frugis perhibent pergrandeſcere. Aruis incultis.) inaratis ruribus. Vndaret fauis.) melle complecteretur, id eſt, ne mella ex arboribus paßim fluerent, ut ætate Saturni. Verg. in Aetna: Aurea Saturni quis neſcit ſecula regis? Quum domitis nemo Cererem iactaret in aruis, Venturisq́; malas prohiberet frugibus herbas, Annua ſed ſaturæ complerent horrea meſſes, Ipſe ſuo flueret Bacchus pede, mellaq́; lentis Penderent folijs, & pingui Pallas oliuo? Neu uina tumerent fontibus.) ne fontes uini auctu ſcaterent. Totæ ripæ.) quilibet amnes. Fremerent in pocula.) mero plenæ cum ſonitu laberentur. nam uas, & quod in eo bibitur, poculum dicimus. Haud.) negandi particula nō coniunctiua, ut in omnibus exemplaribus ferè ſcribitur. Equidem.) Ego quidem, quod [illegible] Græci dicunt: & Vergilius & Cicero, quiq; purè locuti ſunt, non niſi primæ perſonæ coniungunt. ut illud: Non equidem inuideo. Et alibi: Equidem merui, nec depr ccor inquam. Sed uſurpatur interdum pro quidem. Perſius: Non equidem hoc dubites amborū fœdere certos Conſentire dies. Inuideo.) Philo Iudæus ex ſententia Moyſi de mundi creatione ſcribens ait, Opificem rerum omnium deum bonum eſſe, nec ulli corū quæ ſunt inuidere. propterea mundū condidiſſe. Negat et Phocylides, deos inuidia laborare. Non inuidet, inquit, Luna Soli, non Tellus Cœlo, non Amnes Ponto. Neq; enim.) Reddit cauſam per interpoſitionem, cur non inuideat, quod is affectus à dijs alienus eſt. nam deus inuidia uacat & ira: quarum altera alieno bono angitur, altera eſt appetitio alieni mali cum libidine ulciſcendi. Ex quo ſcire eſt, eum quoq; odio uacare, quū nulla ſit eius uoluntatis ad malum procliuitas. Vel nocu.) Et hoc etiam multo minus. nam benefica natura diuina eſt: neq; cuiquam nocere, præſtantißimæ atq; optimæ congruit poteſtati. propterea Stoici in deo gratiam quidem eſſe, iram non eſſe contendebant. Cicero in Officijs: Nocere deos non putant. & Sophocles: Inhonora peſtis, inquit, eſt, hoc eſt: indigna cui res diuina fiat. nam

deos eſſe beneficos oportet, illa uero perdit homines. Hæc autē ſententia mirificè Ioui cōuenit, cuius mite numē eſt. Lucanus: Nāmitis in alto Iuppiter. Pindarus tamē ait, Deos ubi ſemel profuerūt, bis poſtea nocere. In quo uult oſtendere, multo plures in uita clades accidere, quàm ſucceſſus. Luxus.) immodica rerum copia. Diſſuaſor honeſti.) Luxuria cottidie ſe ipſam incitat, & ingenio adiuuat uitia, primo ſuperuacua capit cōcupiſcere, inde contraria, nouiſſimè corpori animum addixit, & illius deſeruire libidini iuſſit.

Oblimet.) obtundat & hebetes reddat, à limo tractū. Verg. Hoc faciunt nimio ne luxu obtuſior uſus Sit genitali aruo, & ſulcos oblimet inertes. Senecæ de Nilo: Iuuat agros duabus ex cauſis, & quod inundat, & quod oblimat. Egeſtas.) rerum inopia. Ingenioſa.) ab effectu. Arrianus in libro de prouidentia ſcribit, à Gaditanis egeſtatem & artem ſtructis aris honorari: Egeſtatem quidem, ut placata non obſit: Artem, uelut egeſtatis remediū. Venit & illud Euripidis in prouerbium: Sapientiā ſortita paupertas eſt. quoniam qui re familiari laborant, multas ad uitam conducentes artes excogitant. inde Manlius: Et labor ingenium miſeris dedit, & ſua quenq; Aduigilare ſibi iuſſit fortuna premendo. Lucan. Fœcunda uirorū Paupertas. Prouocet.) impellat, excitet. Animos ſegnes.) inertia mortaliū corda. Paulatim.) ſubinde atq; in dies. Exploret.) inueniat. Remotas uias.) occultas rationes. Sollertia.) mentis & ingenij perſpicacitas, atq; induſtria. Tibul. Quæ tua formoſos cœpit ſollertia, certe Non tibi barba nitet, nec tibi culta coma eſt. quod uerbum liquidam geminat, ut placet Capellæ. Pariat.) inueniat atq; comparet. Vſus.) peritia. Manlius: Per uarios uſus artē experientia fecit Exemplo monſtrante uiam. Diuus Cæſar: Omniū rerū magiſter uſus hominū adhibita ſollertia. Nutriat.) alat, & in uita detineat, ne diffugiant ac euaneſcāt. Artes.) Poſidonius, quibus in cottidiano uſu uita utitur, à philoſophia inuentas autumat. Sed ab eo Seneca diſſentiens affirmat, Sapientes uictu faciles fuiſſe, nec excogitaſſe inſtrumenta luxuriæ. Itaq; ſagacitas, inquit, hominū, nō ſapientia, protulit in lucē. Sunt qui dicant, artes à caſu atq; obſeruatione profectas, uſum & experientiam aluiſſe: cognitionē atq; ratiocinationē ad ſummū perduxiſſe, ſubinde noui quid inuentis addendo.

Nunc mihi cum magnis inſtat natura querelis,
Humanum releuare genus, dirumq́; tyrannum,
Immitemq́; uocat, regnataq́; ſecula patri
Commemorat, parcumq́; Iouem ſe diuite clamat.
Cur campos horrere ſitu, dumiſq́; repleri

Rura uelim:nullis exornem fructibus annum:
Sciam quæ nutrix mortalibus antè fuiſſet,
In diræ ſubito mores tranſiſſe nouercæ.
Quid mentem traxiſſe polo:quid profuit altum
Erexiſſe caput:pecudum ſi more pererrant
Auia,ſi frangunt communia pabula glandes:
Hæccine uita iuuat ſylueſtribus abdita luſtris:
Indiſcreta feris:Tales quum ſæpe parentis
Pertulerim queſtus,tandem clementior orbi

Nunc.) ſublata prioris uitæ facilitate. Natura.) Naturam nonnulli definiunt,quæ quidq; gignat,atq; inde dictam quoniam naſcendi potens ſit. de qua Columella: Neq; fas eſt exiſtimare, rerũ naturam, quam primus ille mundi genitor perpetua fœcũditate donauit,quaſi quodam morbo ſterilitate affectam. Quidam eſſe dicunt eorum quæ ſunt, et quoquo modo ſub intellectum cadunt. quoquo modo diximus,quoniam deus (ut Prudentius noſter ait)non cogitando,non uidendo clauditur, excedit omnem mentis humanæ modum. neq; uero uerbum ſunt, ocioſè adiectum. quippe uel ipſum nihil aliquid ſignificat, ſed non naturã. non enim quod aliquid ſit oſtendit, ſed eſſe tollit. Aliter in ijs etiam ſolis,quas ſubſtantias noſtri uocant, natura deſcribitur: etiam ſi negat Ariſtoteles ea, quæ corpus non ſunt,habere naturam. Dicitur item natura,ratio quædam ciens motus in corporibus neceſſarios. Inde tractum,ut mores et ingenium naturam uocemus. Donatus in uita Maronis: Cornificius ob peruerſam naturam illum non tulit. Quin & cuiuſq; rei proprietas ita memoratur: ut quum dicimus, auri argentiq; diuerſam naturam. Mihi releuare.) Græca locutio: id eſt, urguet me ut releuem. Cum magnis querelis.) uehementer expoſtulans. Vocat dirumq; & immitemq; tyrannum.) compellat me crudelitatis nominibus,& iniuſte regnare per conuicium dicit, qui creditos meæ ditioni mortales ita premam. Commemorat.) exprobrat. ut illud Terentij: Nam iſthæc commemoratio,quaſi exprobratio eſt immemoris beneficij. atq; exponit in noſtri temporis inuidiam. Secula regnata patri.) Saturni ætatem. quod facit etiam Tibullus: Quàm bene Saturno uiuebant rege, priuſquam Tellus in longas eſt patefacta uias: Nũc Ioue ſub domino cædes et uulnera ſemper, Nunc mare,nunc leti mille repente uiæ. Clamat.) non obſcurè conqueritur. Iouem.) me. Parcum.) non dapſilem, qui prioris uitæ commoda ſubſtulerim.

ſubſtulerim. Cur uelim.) *Exponit naturæ querelas.* Campos horrere ſitu.) *incultos agros ſquallere.* Repleri dumis.) *ſenticeſcere.* Exornem.) *decorem atq; excolam.* Fructibus.) *pomis & frugibus.* Semina.) *Pertinax in omnibus uulgatis codicibus menda, quæ totum ſenſum peruertit. Tu ſcribe: Se iam. nam dicit ſe quoque naturam, quæ materno affectu prius homines fouebat, Iouis cauſa nihilo blandius tractare quàm priuignos nouercæ ſolent.* Nouercalis *uero odij erga priuignos* cottidiana *pleriq; domi habent experimenta. Sed & hoc* Heſiodi *carmen utraq; lingua prouerbij uice iactatur:* Ipſa *dies quandoq; parens, quandoq; nouerca eſt: id eſt acerba.* Noſter *olim præceptor* Tydeus Actianus, *Latini ſermonis obſeruantiſsimus,* Nouercari *ſibi fortunam quandoq; dicebat.* Diræ.) *crudelis in prioris uxoris filios, quorum uitam uenenis nonnunquam petunt. quod* O*uidium non fugit, quũ ait:* Lurida *terribiles miſcent aconita nouercæ.* Equi*dem* Tamiſio *genitori meo, hoc etiam nomine multum debeo, qui diu maluit ætatem cœlibem degere, quàm nouercam liberis ſuperducere.* Quid profuit.) *quid iuuat.* Mentem traxiſſe polo.) *Mentem nihil ab anima diſtare* Democritus, *& apud nos* Lucretius *opinatur.* Anaxagoras *conſtitutum nõ habet, qui modo diſtinguit, quandoq; confundit. quid autem proprie mens ſit, & quomodo cum ſideribus nobis communis eſt,* Macrobius *in* Somnium Scipionis *copioſiſsimè diſputat, ex ipſius* Platonis *ſententia, quem ſequitur* Claudianus. Altum erexiſſe caput.) Hoc *argumento* Macrobius, *ſolos ex omnibus animantibus homines rationis capaces eſſe cõtendit, quia ſoli uidentur erecti, tanquã ad ſuperiora ab imis recedant, & ſoli cœlum facile conſpiciunt, quum cætera animalia ſemper prona ſint, & ex ipſa quoq; ſuſpiciendi difficultate à ſuperis receſſerint.* Ouidius *primo* Metamorph. Pronaq; *quũ ſpectent animalia cætera terram,* Os *homini ſublime dedit, cœlumq; uidere* Iuſsit, *& erectos ad ſidera tollere uultus.* Pererrant auia.) *errant & uagantur per ſaltus ac nemora.* More pecudum.) *inſtar animantium rationis expertium,* Quodcunq; *animal humana caret effigie, pecus appellatur.* Frangunt.) *dente comminunt. atq; ita uiliſsimi cibi contumax duricies exprobatur.* Glandes.) Quercus *poſt hominum memoriam prima ex arboribus enata eſt: quæ pijs illis hominibus, quos aureos uocat* Heſiodus, *& ijs qui mox ab orbis eluuione ſuperfuerunt, glandes & in trunci concauo conditum mel uictum præbuit. autor in ijs quæ de* Plateenſi Dædala *ſcripſit* Plutarchus. Communia.) *beluis et hominibus.* Hæccine.) *Dicticos, ut inficiandi locus non eſſet. & percontatione, quæ multum*

habet acrimoniæ, perorauit. Abdita.)latens & clauſa. Luſtris.)denſiſsimis ſyluis, & ferarum cubilibus. Indiſcreta feris.)nihil diſtans à belluis. de quo Iuuenalis: Cũ frigida paruas Præberet ſpelunca domos, ignemq́; laremq́;, Et pecus, & dominos communi clauderet umbra. Quum ſæpe pertulerim tandem queſtus.) quum diu lamentantem naturam multumq́; diſsimularim. Parentis.)Naturæ, quod omnia pariat, atq; in lucem proferat. Clementior orbi.)mortalibus æquior.

Chaonio ſtatui gentes auertere uictu,
Atq; ideò Cererem, quæ nunc ignara malorum
Verberat Idæos torua cum matre leones,
Per mare, per terras, auido diſcurrere luctu
Decretum, donec natæ lætata repertæ
Indicio, tribuat fruges, curruſq; feratur
Nubibus, ignotas populis ſparſurus ariſtas,
Et iuga cærulei ſubeant Actæa dracones.
Quod ſi quis Cereri raptorem prodere diuum
Audeat, imperij molem, pacemq́; profundam

Statui.)ſedet animo. Ecce quorſum tam longa tendebat oratio. Auertere gentes.)populos auocare. Victu Chaonio.)à glãdibus. Verg. Chaoniã pingui glandem mutauit ariſta. nam Chaonia pars Epiri mediterranea, contingit Ambraciotas, ut de ſacris Iunonis 3. ſcribit Hellanicus. Maro nomen inditum putat à Chaone, Troiani generis homine. inde Chaonius (ut Euphorion) deſcendit: & Chaonis, & Chaonia gentile. Naſo: non Chaonis abfuit arbor: id eſt quercus, quam ſuprà Claudianus eadem ratione Dodoniam dixit, ab oppido eiuſdem loci Dodone, quod ex oraculo Deucalion condidit, collectis iјs qui ſuperfuerunt ex diluuio, Dodonemq́; appellauit ab Oceani filia Dodone. hiſtoriam ſcribit Thraſybulus, & Aceſtodorus. Ideò.)Inemendati codices habent, adeò. Cererem.)Hyperbaton ad conſequens uſq; uerbum, decretum eſt. Diſcurrere.)uagari. Auido luctu.)nimio filiæ deſiderio mœrentem. Ignara malorum.)neſcia cladis acceptæ. Verberat leones Idæos.)Cybelæos, & ſtabulantes in Ida, in quos Hippomanes & Atalanta mutati ſunt, quũ Veneris indignatione in Cybeles templo coiјſſent. Fabula patet apud Ouidium. Hos ergo plagis afficiebãt, ut hoſtes. Catullus: Iuncta iuga reſoluens Cybele, leonibus læuum pecoris hoſtem ſtimulans, ita loquitur. Cybele, in qua tellurem repræſentari Vetuſtas exiſtimauit, leonibus uehitur, ualidis impetu atque feruore animalibus, quæ natura cœli eſt,

cuius ambitu aër continetur, qui uehit terram. Lucret. Hanc ueteres Graiũ docti cecinere poëtæ Sedibus in curru bijugos agitare leones, Aëris in ſpacio magnam pendere docentes Tellurem, neq; poſſe in terra conſiſtere terram. Affertur & alia ratio, quod nulla immanis adeò feritas eſt, quæ maternis officijs non molliatur. Ouid. Feritas mollita per illam Creditur, id curru teſtificata ſuo. Quidam leones educationis argumentum putauerunt, quod hæc à leonibus in Cybelo Phrygiæ monte nutrita ſit, ut Diodorus refert. Diſcedit ab Ouidio Claudianus. nã ille in Faſtis ſcribit, quo tempore Proſerpina rapta eſt, apud Arethuſam Siciliæ nymphã Cererẽ diſcubuiſſe. Torua cum matre.) Cybele deûm mater exiſtimata eſt, quoniam tellus hominũ ſedes eſt, quorum opinione dij conſtant, ſiue quod Iupiter, & quicunq; pro numinibus apud antiquos habiti ſunt, mortales certè, Terræq; alumni fuerunt, & à ſuis quiſq; propter merita in cœlum relati: quod Euhemerus. Cicero, Varroq; fatetur, & Seneca. uel ut ſentit Seruius, quod ei poteſtas cum omnibus dijs cõmunis erat, quũ reliqui tatum dij ſingulas quiſq; cœli partes & certas haberent. Donec natæ leuata repertæ Indicio.) Ceres ubi filiæ raptorem comperit, ſerendarũ frugũ rationẽ mortalibus indicauit. Callimachus in Hymnis, ubi de Cerere loquitur Græcè quidẽ, ſed ad hanc ſententiam: Præſtat, inquit, huius deæ læta perſequi, ut ſegetes & ſacros prima maniplos Subſecuit rudibusq; dedit calcare iuuencis. Cõperit aũt filiæ raptorẽ Ceres apud inſulã Parõ, Cabarni indicio: de cuius nomine Paros ipſa Cabarnis aliquãdo dicta eſt. autor Nicator, qui de nomenclaturis oppidorũ Græcè ſcripſit. Argiui tamẽ (ut refert Pauſanias) ferunt Cererẽ, quum ad eos ex errore diuertiſſet, Pelaſgi regis hoſpitio ſuſceptã, raptũ filiæ à Chryſe didiciſſe. Didymus & Tarrhæus in prouerbijs, Hermionios indicaſſe Cereri raptũ Proſerpinæ tradũt. Curruſq; feratur nubibus.) quo ad alumnus eiuſdem deæ Triptolemus uolucri curru abreptus annonã per orbẽ terrarũ diſſeminet. Ariſtas ignotas.) nouas fruges, antea hominibus incompertas. Sophocles argumento & inſcriptione Triptolemi fabulam dedit, in qua recenſet, quod cuiq; loco frumenti genus tribuerit. Dracones cærulei.) nigri ſerpentes, ac liuidi. Subeant Actæa iuga.) Triptolemi currum trahant. eundẽ ſibi uendicabant Athenienſes, & Celei filium fuiſſe prædicabant, qui primus fruges coluerit. Hiſtoriam habes apud Pauſaniam. Muſæus autem Triptolemum Oceano Terraq; genitum canit: Orpheus Dyſaule, qua natus eſt & Eubuleus: quibus quoniam filiæ raptum indicauerint, Ceres (ut idem pergit) frugum ſationem dedit. Chœrilus Athenienſis in Alope Tragœdia, matrem Triptolemo dat, Amphictyonis filiam, patrem uerò Paron.

Sed

Sed Argiui contendunt, Cereris apud ſe primum ſacra inſtituta, atq; inde Trochilum Cereris ſacerdotem ob Agenoris ſimultatem profugum, in Atticam perueniſſe, ductaq; uxore Eleuſina, Eubuleum Triptolemumq; liberos ſuſcepiſſe. Hic eſt Argiuus Trochilus Callitheæ F. qui poſt hominum memoriam primus quadrigam iunxit: ideò relatus in cœlum nomen habet aurigæ, quod in Aratum ſcribit Theon, et Euſebius in temporibus. & ſi librarij culpa alijs apud eum ſyllabis legitur Arogilus. Huius emendationis autor mihi fuit Perpetuus Herēnius Haſtenſis, adoleſcens domi ſuæ clarus, ingenij morumq; gratia mihi chariſsimus. is quum nobis eſſet in animo differre Euſebij caſtigationes in alium locum, precibus expugnauit, ut hanc unam ſibi imputaremus. Actæa.) Cranaë dicebatur, ab aſperitate ſoli. quamuis alijs placet, à rege cognomine: quæ pòſt ab Actęone indigena, qui Athenis regnauit, Acticæ nomen ſortita eſt, ut autumat Phauorinus. Eodem patre Scamnon editas ait, Pandroſon, Aglauron, & Herſem puellas, quas Ouidius & alij Cecropi tribuerunt. Diuum.) M. Varro, & Atteius, diuos perpetuos dici uolunt: deos uero, qui ex hominibus conſecrati timentur: à Κομαι, quod eſt uereor. alij contrà ſentiunt. Prodere.) indicare. Verg. Prodere uoce ſua quenquam, aut opponere morti. Horatius: Hunc & latentis proditor intimo Gratus puellæ riſus ab angulo.

Obteſtor rerum, natus licet ille, ſororúe,
Vel coniunx fuerit, natarumúe agminis una,
Se licet illa meo conceptam uertice iactet,
Sentiet iratam procul Aegida, ſentiet ictum
Fulminis, & genitum diuina ſorte pigebit,
Optabitq; mori. tunc uulnere languidus ipſi
Tradetur genero, paſſurus prodita regna:
Et ſciet an propriæ conſpirent Tartara cauſæ.
Hoc ſanctum, manſura fluant hoc ordine fata.
Dixit, & horrendo concuſſit ſidera motu.
At procul armiſoni Cererem ſub rupibus antri
Securam, placidamq; diu, iam certa peracti
Terrebant ſimulacra mali, noctesq; timorem
Ingeminant, omniq; perit Proſerpina ſomno.
Nanq; modo aduerſis inuadi uiſcera telis,

Nunc

Nunc ſibi mutatas horret nigreſcere ueſtes:
Nunc ſteriles medijs frondere penatibus ornos.
Stabat præterea luco dilectior omni
Laurus, uirgineos quæ quondam fronde pudica
Vmbrabat thalamos, hanc imo ſtipite cæſam
Vidit, & incomptos fœdari puluere ramos,

Obteſtor.) iuro. Imperij molem.) pondus & magnitudinem, quum penes eũ ſint omnia. Statius: Imperijq; haud flectere molem Inſcius. Profundam rerũ pacem.) arcanam mundi amicitiam, qua quidque congruit, apteq; fœdere quodam connectitur. de quo Lucanus: Et ſacer orbis amor.

Natus licet ille ſoror.) Cuncta neceſsitudinis nomine cõplectitur, ut declaret exceptũ uelle neminem. Licet.) quanquam. Iactet.) glorietur ac prædicet. Conceptam meo uertice.) Hoc ait propter Palladem, quæ de ſummo Iouis capite nata proditur. quoniam ſumma pars ætheris eſt, ut ait Martianus. Aegida.) quum Iuppiter adoleſcentia fidens aduerſum Titanas bellum moliretur, ægos, id eſt capræ pelle, cuius infans lacte nutritus erat, ex oraculo pectus muniuit, quæ inde Aegis appellatur, ut refert Muſæus, et Higynus. Lactantius tamen Iouem capellæ corio, non in thorace, ſed in ſcuto uſum eſſe dicit. Aegidem præterea Palladi dat Homerus Iliados 5. Sed hic nonnulli legunt: Sentiet iratum procul ægide, ſeptimo caſu, & figuratè: quod non improbamus. Ictum.) plagam. Genitum diuina ſorte pigebit.) Malè agi ſecum exiſtimabit, quòd naturæ lege immortalis occidere non poſsit, ut Inachus apud Ouidium queritur: Nec finire licet tantos mihi morte dolores, Sed nocet eſſe deum. Optabitq; mori.) Illud idem planius exponit. Deus, inquit Plinius, ne ſiquidem maxime uelit, conſciſcere ſibi mortem poteſt, quod homini dedit optimum in tantis uitæ pœnis. Languidus.) debilis. quod exemplaria quædam ſaucius legunt. Ipſi genero.) Diti, cui Proſerpina nupſerat Iouis filia. Paſſurus prodita regna.) daturus indicij pœnas apud eum cuia res eſt, qui torquendo delatori tanto magis incumbet. Et ſciet.) ſuo malo periculo diſcet. An Tartara.) num manes. Conſpirent ſuæ cauſæ.) faueant ſuæ uindictæ. Hoc ſanctum.) pro maieſtate perſonæ, quam ſuſtinet Iupiter, ex imperio loquitur. hoc inquit, eſto ratum & inuiolabile. Fluant.) currant. id utraq; uerſum ſignificat. Salluſtius: Rebus ſupra uotum fluentibus, id eſt ſuccedentibus. contrà Vergilus: Ex illo fluere ac retro ſublapſa referri Spes Danaũ. Manſura.)

perpetua. Hoc ordine.) *qua diximus ſerie. atq; ita ſuboſtendit fatũ eſſe, quicquid* Iuppiter *fatur. unde fati nomen, ut quidam putant.* Horrendo *concuſsit ſidera motu.*) Poëtæ *loquentem* Iouem, *cum totius mundi obſequio ſemper inducunt.* Verg. *ex* Homero: *Annuit, & totũ nutu tremefecit* Olympum. At.) *aduerſatiua particula, tranſitionibus apta qua ſuperioribus ſequẽtia connectit.* Verg. Conticuit tandẽ, *factoq́; hic fine quieuit:* At regina *graui iamdudum ſaucia cura, id eſt. quieuit* Aeneas, *at* Dido *maximis curis angebatur.* Simulacra peracti mali.) *imago cladis acceptæ.* Certa.) *non uana.* Terrebant certa.) *per quietẽ turbabant.* Securam.) *remiſſo à curis animo.* Procul.) *longè à* Sicilia. Sub rupibus antri.) *ſub* Idæ *ſpecu.* Armiſoni.) *nam* Corybantes *clypeolis æneis plaudentes ſtrictos enſes rotabãt, ſeditiq́; ex occulto tinnitus, quaſi ſubterraneum tonitru ferebantur: ut* Aechyli *teſtimonio recitauimus.* Noctes.) *noctis uiſa.* Ingeminant timorem.) *augent formidinem. nam ſæpius eadem ſomni facies redibat.* Omniq́; perit Proſerpina ſomno.) *Semper enim ſibi per ſomnia laborantem filiam uidere uidebatur, interdumq́; ut mortuam lugere.* Nanq; modo.) Noctis *omina ſingilatim commemorat.* Inuadi uiſcera.) *impeti uterũ: quod filiæ cuius olim ſedes fuerat, exitiũ portendebat. idem ſe per quietem uidiſſe* Thetis *apud* Papiniũ *confingit:* Nanq; *mihi infeſtos utero modo contuor enſes,* Nunc *planctu liuere manus. quod hic ſtatim ſubijciet.* Immiſsis telis.) *Infeſtis, aut aduerſis, ut quidã codices habẽt.* Nigreſcere.) *pullas reddi.* Mutatas ueſt.) *Alba ueſtis in Cerealibus ex antiqua religione ſumebatur, ut legimus apud* Valerium. Naſo Metamorph. 10. *Feſta piæ Cereris celebrabant annua matres,* Illa *quibus niuea uelatæ corpora ueſte,* Primitias *frugũ dant, ſpicea ſerta comarum.* Atra *non niſi luctibus conueniebat publicis, aut priuatis.* Inde *rerum ſcriptor* Timæus Daunias *mulieres notat, quibus pullæ ueſtis perpetuus uſus erat.* Ornos.) *arbores.* Steriles.) *ex infelicium genere.* Frondere.) *uireſcere.* Medijs penatibus.) *in conclaui.* Præterea.) *Sequitur aliud oſtentum, quod à* Papinio *ſumpſit* Claudianus. *nã apud illum idem noctis omen* Atalantæ *obuerſatur.* Luco dilectior omni.) *quæ præ cæteris arboribus deæ placebat.* Vmbrabat.) *obtectu ramorum prætexebat.* Thalamos uirgineos.) *cubiculum* Proſerpinæ *nondum nuptæ.* An *potius, quia nuptiarum die laurum pro foribus ſtatuebant?* Prior *tamen ſenſus abſolutior eſt.* Fronde pudica.) *propter* Daphnem, *quæ in hanc arborem migrare maluit, quàm prodere uirginitatem. hiſtoriam bis ſuprà retulimus.* Imo ſtipite.) *radicitus.* Fœdari.) *turpari.*

Quæſiuitq́ nefas. Dryades dixere gementes,
Tartarea furias debellauiſſe bipenni.
Sed tunc ipſa ſui iam non ambagibus ullis,
Nuncia materno facies inſerta ſopori.
Nanq́ uidebatur tenebroſo obtecta receſſu
Carceris, & ſæuis Proſerpina uincta catenis,
Non qualem Siculis olim emendauerat aruis,
Nec qualem roſeis nuper conuallibus Aetnæ
Suſpexere deæ: ſquallebat pulchrior auro
Cæſaries, & nox oculorum infecerat ignes.
Exhauſtusq́ gelu pallet rubor, ille ſuperbi
Flãmeus oris honos, & non ceſſura pruinis
Membra, colorantur picei caligine regni.
Ergo hanc ut dubio uix tandem agnoſcere uultu
Eualuit, cuius tot pœnæ criminis? inquit:
Vnde hæc informis macies? cui tanta poteſtas
In me ſæuiciæ eſt? rigidi cur uincula ferri,
Vix aptanda feris, molles meruere lacerti?
Tu mea, tu proles? an uana fallimur umbra?
Illa refert: Heu dira parens, natæq́ peremptæ
Immemor, heu fuluas animo tranſgreſſa leænas,
Tanta'ne te noſtri tenuere obliuia? tantum

Quæſiuit nefas.) petijt autorem tanti ſceleris. Dryades.) *nymphæ, quas dignitatis inter deos & homines mediæ Vetuſtas exiſtimauit, & uenerata eſt, paremq́; ſuis arboribus uitam ſortiri. quod in* Hymnis *canit* Homerus. *noſterq́;* Sedulius *inſectatur:* Arboreis *alius ponit radicibus aras, Inſtituitq́; dapes, & ramos flebilis orat, Vt natos charamq́; domũ, dilectaq́; rura, Coniugijq́; fidem, famulos, cenſumq́; gubernent.* Lignee *ligna rogas? cætera illic.* Gementes.) *nam cum lauro ſimul extinguebantur.* Ouidius *in* Faſtis: Naida *uulneribus ſuccidit in arbore factis, Illa perit, fatum* Naidos *arbor erat.* Debellauiſſe.) *excidiſſe.* Furias.) *hoc ab inferis cladem minabatur, ac portendebat.* Bipenni Tartarea.) *inferna ſecuri.* Bipennis *commune nomen eſt, & habet in e neutrũ, propterea etiam in i facit,*

à bipenni. infrà Claudianus: Armata bipenni. Vergilius Aeneid. 11. Ferro ſonat icta bipenni Fraxinus. Ambagibus.) inuolucris ſomniorum. Inſerta.) ſcribitur & ingeſta: utrunq; commodè. Videbatur.) ipſa Proſerpina. Obtecta.) præcluſa. Tenebroſo receſſu Carceris.) humi depreſſo laco, quē parietes aut prærupta rupes undiq; muniebāt, quiq; nunquam ſolis radijs illuſtrabatur, & orcum deſignat. Vincta.) conſtricta. Emandauerat.) alendam cōmiſerat. Siculis aruis.) Ennenſi ſolo. Nuper.) non ita pridem. Deæ.) Pallas, Diana, Venus. Suſpexere.) admiratæ ſunt præ pulchritudine. Roſeis.) florulentis, ſpecies pro genere.

Pulchrior auro.) cui fulgor auri cedebat. Squallebat.) obducta ſitu erat. Nox.) inferni caligo. Infecerat.) uitiauerat. Orbes oculorum.) quandoq; dicuntur foramina frontis concaua, intra quæ latent oculi. Statius: Tunc uacuos orbes. Prudentius: Illic utriſq; obtutibus Orbes cauatos præferens Baculo regebat præuio Errore nutantem gradum. Sed & ipſa lumina ſic appellamus. Lactantius: Orbes, inquit, ipſos humoris puri ac liquore plenos eſſe uoluit. alij legunt ignes, & luminum ſcintillas intelligunt. Rubor.) purpureus oris color. Exhauſtus.) abſumptus. Gelu.) loquitur ex ſententia Cratetis, qui Tartarum ſub utroq; mundi cardine ſtatuit (ut antè diximus) locum frigoribus & perpetua bruma damnatum.

Flammeus oris honos.) Alludit ad lunam, quam repræſentari Proſerpinæ nomine Varro putat. Superbi.) pulchri. aut proceritatem corporis ex ore celſo deſignat. nam os ſublime in breuibus ſcapulis eſſe non poteſt.

Non ceſſura.) non inferiora. Pruinis.) niuibus in candore. Colorantur.) nigreſcūt. Frontinus Stratagematō libro primo: Quod ab itinere ſtrigoſiores notabat equos, & coloratiora hominum, ut ex uia corpora, id eſt fuſca. Claudianus ad Stiliconem: Quum montibus Idæ Nigra coloratus produceret agmina Memnon. Seneca naturalium quæſtionum lib. 2. Coloratur, inquit, id cuius alia fit, quàm fuit facies, tanquā cerulea, uel nigra, uel pallida. Cicero in Tuſculanis ex interpretatione Chariſij decolorem, ſine colore uoluit intelligi. Caligine.) craſſa & obſcura nebula. Regni picei.) periphraſis Tartari. Dubio uultu.) legitur & uiſu. ſed uultu quoq; defendi poteſt. nam uultus interdum pro uiſu ponitur. Sedulius: Diſcute nocturnas extinctis uultibus umbras, Et clarū largire diem. Cuius criminis.) ex qua culpa? Tot pœnæ.) tam graue ſupplicium? Hæc informis macies.) adeò fœda ſtrigoſitas. habent & exemplaria quædam, facies. Cui tanta poteſtas in me ſæuitiæ.) cui tantum de me permittitur, ut ita in te

ſæuiat

ſæuiat? *In me.)quæ Iouis ſoror, & ex eo mater ſum, ſimulq; maternu' affectus exprimitur, quæ filiæ cruciatu non ſecus ac ſuo mouetur.* *Vincula.)catenas.* *Rigidi.)duri, quod manibus non obſequitur.* *Tu mea, tu proles.)geminatio pronominis, & addubitatio mouet pathos.* *An fallimur.)eludimur.* *Vmbra uana.)caſſa imagine.* *Illa.)Proſerpina.* *Refert.)ſubijcit.* *Dira parens.)principium ab increpatione.* *Parens.)Antiqui maſculino tantum genere dicebant etiam matrem. Medus apud Pacuuium: Te Sol inuoco, ut mihi poteſtatem duis inquirendi mei parentis, id eſt, Medeæ matris, ut exponit Soſipater. Vergilius tamen ait: Ecqua tamen puero eſt amiſſæ cura parentis. Et alibi: Hoc erat alma parēs.* *Immemor.)oblita, atq; ideo dira.* *Peremptæ natæ.)extinctæ filiæ.* *Trangreſſa.)ſuperans.* *Animo.)pectoris duricia.* *Leænas.)quæ ſæuiſſimæ ſunt.*

Vnica deſpicior? certè Proſerpina nomen
Dulce tibi, tali quæ nunc (ut cernis) hiatu
Supplicijs incluſa feror, tu ſæua choræis
Indulges, Phrygiasq; etiamnum interſtrepis urbes.
Quòd ſi non omnem pepuliſti pectore matrem,
Si tu ſancta Ceres, & te non Caſpia tigris
Edidit, his oro miſeram defende catenis,
Inq; ſuperna refer, prohibent ſi fata reuerti,
Vel ſaltem uiſura ueni. ſic fata trementes
Tendere conatur palmas, uis improba ferri
Impedit, & motæ ſomnum excuſſere catenæ.
Obriguit uiſis, gaudet non uera fuiſſe,
Complexu caruiſſe dolet, penetralibus amens
Proſilit, & tali compellat uoce Cybellem.
Iam non ulterius Phrygia tellure morabor
Sancta parens, reuocat tandem cuſtodia cari
Pignoris, & cunctis obiecti fraudibus anni,
Non mihi Cyclopum, quanuis extracta caminis

Tantum unica.)ſuprà Claudianus: Aetneæ Cereri proles optata uirebat Vnica, nec tribuit ſobolem Lucina ſecundam. *Proſerpina.)Hæc eadem cū Luna credebatur. unde Proſerpina dicta, ut Varro docet, quòd luna modo*

in dextram, modo in ſiniſtram partem curſum flectat. nam ueteres ſerpere atq; proſerpere in eodem ſignificatu poſuerunt. Plaut. Quaſi proſerpens beſtia. Eadē Perſephone Græce memoratur. Ouidius: Perſephone clamāt, ad tua dona ueni. Nomen dulce tibi.) nam eorum quæ amamus, libenter meminimus. inde Claud. in Epithal. Nomenq; beatū Iniuſſæ ſcripſere manus. & Aeneas apud Vergilium: Nec me meminiſſe pigebit Eliſæ, Dum memor ipſe mei, dum ſpiritus hos reget artus. Hiatu.) in profundum acto ſpecu cauerna. Feror.) Alij codices habent, trahor. Supplicijs.) in pœnas. Tu ſæua.) quæ filiam negligis, & in tanto eius periculo ceſſas. Indulges choreis.) das operam thyaſis & Bacchicis ſaltationibus. Sunt qui imperandi modo legant, Indulge. ſed eos ſequens uerbum coarguit, quod Interſtrepe eiuſdem cum ſuperiori formæ, non interſtrepis eſſe oporteret.

Interſtrepis.) cymbalorum plauſu. Vrbes.) oppida. nam Cybeles ſacerdotes inciti rapiebantur, & temere diſcurrebāt, ut diſcimus ex Apuleio. Tibullus: At qui non audit Muſas, & uendit amorem, Ideæ currus ille ſequatur Opis, Et tercētenas erroribus expleat urbes, Et ſecet ad Phrygios uilia membra modos. Etiamnum.) adhuc. integra pars orationis, Plinio familiaris. Si non omnem pepuliſti pectore matrem.) niſi parentis affectum penitus exuiſti. Cōtrà Papinius in Achilleide: Nimis ô ſuſpecta nimisq; mater. Si te ſancta Ceres, & te nō Caſpia tigris Edidit.) Colorem traxit ex illo Vergiliano: Nec tibi diua parens generis, nec Dardanus autor Perfide, ſed duris genuit te cautibus horrens Caucaſus, Hyrcanæq; admorunt ubera tigres. Quod ſi legas: Si tu nota Ceres, et me non Caſpia tigris Edidit: idem ſenſus erit. nam & hoc & illo modo, crudelitatis Ceres arguitur. Caſpia tigris.) Tigris quadrupedū perquàm uelociſſima, naſcitur in Hyrcania, cui Caſpij proximant, ut ait Solinus. ab ijs Caſpius ſinus, qui & Hircanus appellatur, ut tradit Artemidorus in epitome Geographiæ. Stephanus, Caſpios & Hyrcanos confundit: alij ſeparant. Defende.) libera. Inq; ſuperna refer.) reduc in lucem. Prohibent ſi fata reuerti.) ſi deorum decreta negant reditum. Saltem.) Saltem u. litera abiecta dictum, quaſi ſalutem. Nam bello capti, quum alia petita non impetrant, poſtremo ſalutem petunt. unde tractū, ut poſt multa negata, ſaltem dicamus: quaſi petituri, quod negari minime debeat, tanquam ſalutem, quam impetrari ſit æquiſſimum, autor Seruius. Trementes tendere conatur palmas.) Pathos à modo.

Vis improba.) graues & magnæ catenæ. Vis.) pondus. aliquando multitudo, Saluſtius: Qua tempeſtate ex Ponto uis piſcium erupit. Im-

proba.)

proba.) mala, uel nimia. nam Improbus dicitur, nimis auidus, nec contentus etiam re immodica. inde lupus, & anſer improbus, apud Vergilium. Motæ ſomnum excuſſere catenæ.) Et hoc ad ominis rationem pertinet. nam quoties ſomnus ex abrupto fugatur, aliquid triſte portendit. & excuſſus ſomno bis Aeneas apud Verg. Semel excidium patriæ uix effugit, aliàs tempeſtatem paſſus eſt. Viſis.) inſomnijs. ita dixit, ut Vergilius: Obſtupuit primo aſpectu. Quem locum Grammaticus profeſſor Aſper apud Salluſtiũ ſic exponit, Rumore primo: ita Salluſtius ait, ut Verg. primo aſpectu: quod aduerbium, non nomen eſt. Non uera.) uana. Dolet.) ægrè illi eſt. Amens.) nocturna ſpecie cõſternata. quod ſi legas Imis, ex alijs codicibus, iunges cum penetralibus. Proſilit.) ex templo ſe proripit. Compellat.) affatur. Cybellem.) Bacchius pes eſt. Iam.) commeatum petit à matre. Morabor ulterius.) diutius manebo. Sancta parens.) obiter officij nos admonet, ut reuerenter parentes alloquamur. Tandem.) quum hic diu iam deſederim. Cuſtodia.) nec ſola ſit, & inobſeruata procorum pateat inſidijs. Pignoris.) filiæ. Chari.) & ideo non negligendi. Cunctis obiecti fraudibus anni.) Periphraſis adoleſcentiæ, quæ rudis eſt, & facile circumuenitur. Non mihi.) ſcilicet ſunt. Satis fida.) nimium tuta. Culmina.) tecta, uel ædes. à parte totum. Extracta.) Legitur & extructa, id eſt fabricata: quod magis conuenit. Caminis Cyclopum.) Vulcani fornacibus. nam Cyclopes eiuſdem dei famuli ſunt, ut dictum eſt.

Culmina fida ſatis, timeo ne phama latebras
Prodiderit, leuiusq; meum Trinacria cælet
Depoſitum, terret nimium uulgata locorum
Nobilitas, alijs ſedes obſcurior oris
Exquirenda mihi, gemitu flammisq; propinquis
Enceladi, nequeunt umbracula noſtra taceri.
Somnia quinetiam uarijs infauſta figuris
Sæpe monent, nullusq; dies non triſte minatur
Augurium, quoties flauentia ſerta comarum
Sponte cadunt, quoties exudat ab ubere ſanguis,
Larga uel inuito prorumpunt flumina uultu,
Iniuſſæq; manus mirantia pectora tundunt:

Si buxos

Si buxos inflare uelim, ferale gemiſcunt,
Tympana ſi quatiam, planctũ mihi tympana reddũt,
Ah uereor, ne quid portendant omina ueri,
Ne longæ nocuere moræ, procul irrita uenti
Dicta ferant, ſubicit Cybele: non tanta tonanti
Segnicies, ut non pro pignore fulmina mittat,
I tamen, & nullo turbata reuertere caſu.
Hæc ubi, digreditur templis (ſed nulla ruenti
Mobilitas) tardos queritur non ire iugales
Immeritasq́ꝫ mouens alterno uerbere pœnas,
Sicaniam quærit, quum nondum aſcenderit Idam,
Cuncta pauet, ſperatq́ꝫ nihil. ſic æſtuat ales,
Quæ teneros humili fœtus commiſerit orno,
Allatura cibos, & plurima cogitat abſens,

Phama.) celebritas loci. Prodiderit.) indicauerit. Latebras.) noſtros ſeceſſus. Leuius.) male minusq́; fideliter, nec quanta uelim conſtantia. Meum depoſitum.) creditam à me ſibi Proſerpinã. ſuprà Siciliam Ceres alloquitur: Tibi gaudia noſtri ſanguinis, & caros uteri commendo labores. Terret.) ſuſpectam facit. Nimium uulgata locorum Nobilitas.) Inſulæ claritas, quæ in ore omnium uerſatur. Alijs ſedes obſcurioris Exquirenda mihi.) mutandæ ſunt, inquit, latebræ, inq́; loca minus famigerata migrandum eſt. Noſtra umbracula.) noſtri ſeceſſus, & latebræ. Nequeunt taceri.) prodi neceſſe eſt. Gemitu flammisq́; propinquis Enceladi.) propter proximum Aetnæ incendium, cuius cauſam nunc ad fabulas reijcit, antè naturales complexus eſt rationes. Quinetiam.) præterea. Somnia.) uiſa per quietem. Infauſta.) triſtia, quæq́; aduerſa denunciant. Nullus non dies.) duæ negationes affirmant. Minatur.) intentat. Quoties.) figuratè legendum: quaſi dicat ſæpe. Serta flauentia.) coronæ ſpiceæ. nam maturæ ſegetis coloris eſt. Comarum.) quas uertice geſtat Ceres. Tibullus: Flaua Ceres tibi ſit noſtro de rure corona Spicea. Sponte cadunt.) Hæc omnia ſunt aduerſa. Thyeſtes apud Senecam: Quid flere iubes nulla ſurgens dolor ex cauſa? Quis me prohibet flore decenti uincire comam? Prohibet prohibet uerne capiti fluxere roſæ. Et ſtatim mox: Hymber uultu nolente cadit &c. Exudat.) guttatim manat. quæ-

dam

dam exemplaria legunt, exundat. Larga uel inuito prorumpunt flumina uultu.) *quoties nolenti mihi lachrymæ oboriuntur, & ubertim manantes genas irrigant. Intelligimus hæc autem facta per reticentiam, quæ poëta nuſquam propoſuit.* Immiſſæ.) *ſcribe, iniuſſæ. ut illud eiuſdem poëtæ in* Epithalamio: Nomenq́; beatum Iniuſſæ *ſcripſere manus.* Tundunt.) *uerberant.* Pectora mirantia.) *quod nulla ex cauſa pulſarentur. alij frigido ſenſu* Mœrentia *legunt.* Si buxos inflare uelim.) *ſi tibias inſpirem.* Buxos, *è buxo tibias dixit. Prudentius ex eadem materia tabellas buxa:* Buxa crepant cerata, genis impacta cruentis. Feralè.) *aduerbium, non nomen eſt.* Si quatiam.) *uerberem.* Planctum.) *qualis percuſſo pectore reddatur.* Ne quid pertendant omina ueri.) *ne fides auguriorum ſuccedat.* Ne nocuere.) *pro nocuerint. nonnulli legunt,* Ah nocuere. Longæ moræ.) *quod diutius abſuerim.* Cybele.) *mater Idæa.* Subicit.) *reſpondet.*

Procul ferant.) *iactent. nam quæ carent effectu uenti, differre dicuntur.* Tibullus: *Hæc mihi fingebam, quæ nunc* Eurusq́; Notusq́; *Iactat odoratos uota per Armenios.* Irrita.) *uana. atq; ita Cereris dicta Cybele abominatur.* Non tanta Tonanti Segnicies.) *Cauſa, quare timendum non ſit, quoniam* Iuppiter *non adeò ſua negligit.* Vt non pro pignore fulmina mittat.) *ut filiam nõ tueatur.* Tamen.) Concedit reditum. Turbata nullo caſu.) *intrepida, nihil ſuſpecta.* Vbi digreditur templis.) Continuo ubi ex *adytis pedem extulit.* Queritur.) *increpat.* Iugales.) *admotos iugo ſerpentes.* Non ire.) *non inter dicto citius uorare.* Tardos.) Refertur *ad eius deſiderium.* Sed nulla ruenti Mobilitas.) Interpoſitio, *qua ſignificat animo cupienti nihil ſatis feſtinari, ut ait* Salluſtius. Immeritasq́; *mouens alterno uerbere pœnas.*) Vtrunq; *ſerpentem mutuis plagis afficiebat iniuria, quum ij uelociſsime curſum raperent.* Sicaniam quærit.) *pulſabat angues. quod Siciliam non appulerit.* Quũ non aſcenderit Idam.) *quum ſummum* Idæ *uerticem nondum ſuperaſſet. nam* Ceres *ab imis* Idæ *uallibus iter arripuerat.* Cuncta pauens.) *omnia pertimeſcens.* Sic.) *eodẽ pacto.* Papinij *comparatio:* Qualis uicino uolucris iam ſedula partu, Iamq́; timens qua fronde domum ſuſpendat inanem, Prouidet hinc uentos, hinc anxia cogitat angues, Hinc homines. Aeſtuat.) *curis uritur.* Ales.) *uolucris.* Quæ commiſerit.) *credidit.* Teneros fœtus. *pullos adhuc implumes.* Orno.) *cuilibet arbori. ſpecies pro genere.* Humili.) *non altæ, ac ideo minus tutæ.* Allatura cibos.) *quæ uolauit in pabulum.* Abſens.) *à nido, dum pullis eſcam quærit.* Cogitat.) *animo uoluit.* Plurima.)

ma.)qcqd aduerſi poſſet accidere Ne uĕtus.) Exponit, qd illa ſecū cogitet.

Ne gracilem uentus diſcuſſerit arbore nidum,
Ne furtum pateant homini, neu præda colubris.
Vt domus excubijs incuſtodita remotis,
Et reſupinati neglecto cardine poſtes,
Flebilis & tacitæ ſpecies apparuit aulæ,
Non expectato reſpectu cladis amictus
Conſcidit, & fractas cum crine euellit ariſtas,
Hæ ſerunt lachrymæ, nec uox aut ſpiritus oris
Redditur, atq; imis uibrat tremor oſſa medullis,
Succidui titubant greſſus, foribusq; recluſis
Dum uacuas ædes & deſolata pererrat
Atria, ſemirutas confuſo ſtamine telas,
Atq; interceptas agnoſcit pectinis artes,
Diuinus perit ille labor, ſpaciumq; relictum
Audax ſacrilego ſupplebat aranea textu,
Nec deflet plangitq; malum, tamen oſcula telæ
Figit, & abrumpit mutas in fila querelas,
Attritosq; manu radios, proiectaq; penſa,
Cunctaq; uirgineo ſparſa oblectamina ludo,

Diſcuſſerit.) deijciat. Nidum.) Nidus eſt, quò uolucres congerunt. Colubris.) ſerpentibus, qui inuolucres auicularum pullos appetunt, deuorantq;: quod ex Homerico oſtento in Aulide notum eſt. Incuſtodita.) abſq; ianitoribus, qui ueteri Romanorum more in catena pro foribus excubabant, ut de Grammaticis ſcribens Tranquillus refert, & Ouidius: Ianitor indignè dura religate catena. Atq; ita nos Tibulli carmen interpretati ſumus: At mihi ſeruandam credas, non ſæua recuſo Verbera, detrecto non ego uincla pedum. ait enim poëta, ſe libenter in compedibus fore, dummodo ianitor cōſtitutus obſeruet, quo minus ſua Delia quicquam peccet. nam quod alij ſuſpicantur, eum compedes & uerbera puellæ minari, ruſticum eſt. Reſupinati.) ſubuerſi. Iuuenal. Aulam reſupinat amici. Species flebilis.) lugubris aſpectus. Aulæ tacitæ.) deſerti atrij. Non expectato reſpectu cladis.) nihil contata, donec iacturam certo pernoſceret. Conſcidit amictus.)

ctus.)ueſtē lacerauit, quod in aduerſa fortuna fieri ſolet. Euellit.)ſcindit. Ariſtas.)quas in corona Ceres habet,ut antè diximus. Hæſerunt lachrymæ.)immota et defixa diu perſtitit ſine lachrymis.nā dolori nō erat locus:quippe uim ſuam perdit in eo,qui ultra ſenſum doloris miſer eſt.hinc Ouidiana Sappho negat,ubi Phaonis fugam reſciuit, diu potuiſſe flere aut loqui. Nec uox aut ſpiritus oris Redditur.)defecit præ dolore,neq; hiſcebat,neq; ſpiritum reciprocabat,adeò diriguerat. Vibrat.)quatit. Titubant.)uacillant.Natura,quum quid eorū quæ extrinſecus eueniunt, metuit, in altum tota demergitur: ſicut nos quoq;, quum timemus, latebras & loca nos occulentia quærimus.ergo tota deſcendens,ut lateat,trahit ſecū ſanguinē,quo uelut curru ſemper uehitur:hoc demerſo,humor dilutior cuti remanet,& inde palleſcit.Ideo timentes & tremunt,quia uirtus animæ introrſum fugiens, neruos relinquit,quibus tenebatur fortitudo membrorū: & inde ſaltu timoris agitantur. Succidui greſſus.)caſabundi.Plautus in Curculione:Genua mea ſuccidunt laſſitudine. Gellius: Iam continuo labore grauia genua ſucciderant.Laodamia apud Ouidium:Succiduo dicor procubuiſſe genu. Recluſis.)patentibus & apertis. Deſolata.)uacua cultoribus. Agnoſcit.)telas in atrio compertas ingenioſè fingit.nam illic textrina habebant antiqui:ut Qu. Aſconius,eoq́; prior indicat Homerus. Semirutas.)tantum non laceratas. Confuſo.)perplexo. Artes pectinis.) telas. Interceptas.)non abſolutas. Diuinus ille labor.)opus Proſerpinæ.Laborare,eſt fabricare.Statius 2.Theba. Docti quanquā maiora laborant Cyclopes. Spacium relictū.) telam,quà peracta non erat. Supplebat.)conſummabat. Aranea.)beſtiola,in quā puella mutata dicitur. Fabula extat apud Ouidium. Audax.) impudens,quæ ſua diuinis nectebat. Aut ad puellam alluſit, quæ Palladem lanificio prouocauit,& commaſculatæ frontis inducitur ab Ouidio. Sacrilego.)nā deæ mortalē ſuccedere, & diuino operi profanū ſubtexere nefas eſt. Nec deflet.)nā magno dolori lachrymæ deſunt & uerba. Oſcula figit.)imprimit,quod niniæ pietatis & affectus eſt. Mutas querelas.)gemitus & ſuſpiria.uel iniquis fatis tacita ſuccenſebat,quū telas oſcularetur. Radios.)Radius, inſtrumentū quo textores ſtamini ſubtegmen immittūt.Ouid. Vtq́; Cythoriaco radiū de monte tenebat,Ter quater Idmoniæ frontē percuſſit Arachnes. Manu attritos.) uſu tenuatos. Proiectaq́; penſa.)Pathos à modo, quod accepit ab illo Maronis:Excuſſi manibus radij,reuolutaq́; penſa. Cūctaq́; uirgineo ſparſa oblectamina ludo.)Ea ſcruta Sidonius appellauit.Quid autem ſcruta proprie dicantur,nemo ex ijs quorum edita ſententia ſit, hactenus aſſecutus eſt.

Hæc comes, hæc cuſtos, hæc proxima mater haberi,
Tum laceras effuſa comas, & puluere canos
Sordida, ſidereæ raptus lugebat alumnæ.
Hanc aggreſſa Ceres, poſtquam ſuſpiria tandem
Laxauit frænosq́ dolor: Quod cernimus, inquit,

Preſſat gremio.) complectitur. Ceu natam.) non ſecus ac filiam. Caſtumq́; cubile.) uirginis & innuptæ torum. Sederat.) ipſa Proſerpina. Perlegit.) Sappho Naſonis: Incubui, tetigiq́; locũ, qua parte fuiſti. Ceu.) uelut. Verg. Inde lupi ceu. Paſtor.) bubulcus hic intelligendus eſt à ſequentibus. Attonitus.) ſtupore defixus. Duas Papinij comparationes in unã contulit. Inani ſtabulo.) uaſtato armento. Infeſtauere.) populatæ ſunt: ut quum prædones habere infeſtum mare dicuntur. Cateruæ populatrices.) magna ferarum uis, & armenti uaſtatrix. aut hoſtilis aliqua manus: quod placet. At ille.) ſcilicet paſtor. Sunt qui legant Ad illa, ſcilicet ſtabula. Sed prior lectio caſtigatior, & (mea quidem ſententia) magis apta. Paſcua.) prata. Vaſtata.) deſolata, abacto pecore. Ciet.) uocat. Statius, à quo ſimilitudinẽ mutuatur: Amiſſos lõgo ciet ordine tauros. Implorat.) gemens clamat. Iuuencos non reſponſuros.) uitulos iam mactatos. Et alluſit ad illud Maronis: Seu uiuere credant, Siue extrema pati, nec iam exaudire uocatos. aut ita procul abactos, ut uocem non accipiant, ad quam boues interdum remugiunt: ut ex hiſtoria Caci diſcimus, quam Liuius & Dionyſius narrant. In ſecreta tectorum parte.) in penitiore domus receſſu. Electram) Pleiones & Atlantis Electra filia fuit ab indigenis appellata Strategis, ex qua Iuppiter Dardanum ſuſcepit, alio uerbo Polyarchem nominatum gentiliter: atq; Iaſium, quem ſui ciues Eetionem uocabant: & Harmoniam, quæ Cadmo nupſit. autor Hellanicus, et Idomeneus in primo Troicorum. Ab eadem Samos inſula contra Thraciam, Electra quandoq; dicta eſt, ut Apollonij carmen innuit. Eiuſdem nominis aliam ab inſigni in Oreſtem fratrem pietate, Sophocles & Euripides celebrãt. Hæc autem, de qua poëta, parentibus Oceano & Tethy nata eſt, ut canit Heſiodus. Homerus in Sacro Carmine Cereris, Electram Oceani filiam memorat inter ipſius Proſerpinæ comites, ſed nutricem fuiſſe non dicit. Priſcas.) natu maximas. Par Cereri pietas.) quæ matri Cereri non concedebat in Proſerpina amanda. Genibus paternis.) Hoc è media uita ſumptũ, Claudianus in cœlum tranſtulit. Cuſtos.) cui Proſerpinæ cura credita erat.

Proxima mater.) nutrix, & prima poſt Cererem. nam proximus eſt, quem nemo antecedit: ſupremus, quem nemo ſequitur, ut iuris ciuilis autor Paulus ait. Maro: Proximus huic longo, ſed proximus interuallo. Laceras effuſa comas.) diſciſſos & ſolutos habens crines. Puluere canos ſordida.) Poëtica ſynecdoche: Veteres in ſummo luctu comas infuſo puluere turpabant: ut diſcimus ex Homero, Catullo, Marone. *Canos.) albos ab ætate crines. Sidereæ.) cœleſtis. Sedulius: Sidereæq; manus ruptis penetralibus omnes Attactu patuere fores. Et ingenioſe Proſerpinæ nutrix Electra fingitur. nam ſata, quæ Proſerpina repræſentat, humore nutriuntur, qui per Electram deſignatur. inde etiam indolis incrementa, animantia quæq; capiebant, & à calore. quod antiqui quum teſtatum uellent, capillũ atq; barbam* Fluminibus & Apollini *primũ tondebant, ut* Homericus Achilles *indicat, &* Plutarchus in Theſeo. *Poſtquam dolor laxauit ſuſpiria.) ubi ſe remiſit.* Trogus: *Vbi dolor, inquit, uocem laxauerat, nihil aliud quàm Pacorũ uocabat. Tandem.)* Nam *ſtupor in quintum quandoq; diem producitur, ut Socrates accidiſſe ſibi refert apud Platonem.*

Excidium? cui præda feror? regnat'ne maritus?
An cœlum Titanes habent? quæ talia uiuo
Auſa Tonante manus? rupit'ne Typhœia ceruix
Inarimem? fracta'ne iugi compage Veſeui
Alcyoneus per ſtagna pedes Tyrrhena cucurrit?

Cui præda feror.) Cladis exaggeratio. quis domum diripuit, filiamq; aſportauit? Hercules *apud Senecã: Cui præda iacui? Regnat'ne maritus.) Ambigit, an rerum* Iuppiter *potiatur, quo ſoſpite ſibi omnia tuta fore fingebat. Tres aũt Iouis uxores fuerunt, ut recitauimus ex* Euhemero: *Ceres,* The mis, *&* Iuno. *Iam cœlum* Titanes *habent.) Scribe An, ex antiquis codicibus. nam dubitat, num deiecto Ioue, orbis imperium Titanes occupauerint.* Titanes *primi terræ cultores (ut Lactantius ait) in Creta regnauerũt. quod ex ritu religionis Solinus affirmat. Quæ manus.) quæ copia? quis exercitus? aut robur, quod in dextra ſitum maiores noſtri putabant, ut* Cal limachi *teſtimonio demonſtrauimus.* Viuo Tonante.) *non tantũ* Iouem, *ſed etiam* Tonantem *dixit, ut iniuriæ propulſandæ facultatem tribueret. nã fulminibus armatus* Iuppiter, Tonans *eſt. Rupit'ne* Typhœia ceruix Inarimen.) Typhœum Pindarus *&* Ouidius Aetnæ *ſupponunt,* Homerus *&* Lucanus Inarimæ, *qui locus ab alijs alibi redditur: eaq; diuerſitas effecit, ut*

Typhonis cubile, in Bœotia, Cilicia, Phrygiaq́; , et ab Herodoto in Aegypto ſtatuatur. Huius inconſtantiæ naturalem cauſam tradit Artemon: Quicunq; mons (inquit) incendia profert, iniectus Typhoni nõ ab rẽ dicitur. nam repentini flatus & procellæ nomen Typhon eſt, quæ ſemper conflagrationes eiuſmodi comitatur. Inarimen compoſita dictione noſtri accipiunt, inſulam in ora Campaniæ, de qua longa Strabonis diſceptatio eſt. Eadem Pithecuſæ memoratur: ab hiſtoria, quam Xenagoras, Harpacration, et Suidas referũt. Fratres duo, Candulus & Atlas (ut Aeſchines Sardianus in Iambis appellat) omnium ſcelerum quibus hominum uita deprauata eſt, inuentores & caput extiterunt: ijs peruerſi mores Cercopum nomen pepererunt, appulſosq́; & aduenas undecunq; circumuenire ſtudiũ erat. idq́; aliquando quũ in Iouem tentaſſent, in ſimias, quas pithecos Græci uocant, ex hominibus mutati ſunt. inde Pithecuſis inſulæ, quam tenebant, nomen inditum. Xenagorã 14. Metamorph. Ouidius ſecutus eſt, manifeſto Hermolai Barbari errore: qui putat Ouidij carmen, ad Doliariorum figlinas, unde Plinius inſulæ uocabulum trahit, etiam referri poſſe. Eius uerba ex 3. Caſtigationum libro ſubieci. Dicta, inquit, Inarime ab Arimis, ſiue populis, ſiue beluis. ita Aetruſcorum lingua dicente ſimias, quas Græci pithecos uocant. unde nomen inſulis Pithecuſæ, ut Straboni placet, & ferè Ouidio: Steriliq́; locatas Colle Pithecuſas, habitantum nomine dictas. Plinius à figlinis doliariorum. proinde per i, non per y ſcribendum. dolia enim Græci pithos, ſimias pithecos uocant. Poteſt & Ouidianum illud cum Plinij ſententia congruere, ut Habitantum, hoc eſt doliariorum ſubaudias. Hic aliquis Hermolai diligentiam non iniuria deſiderauerit, qui nõ omnes Ouidij uerſus, quibus ille fabuloſam nominis rationem complexus eſt, perlegiſſe uideatur, quum Plinium nõ credat ob Ouidio diſſentire. Naſonis carmina (ne quis ambigat) hæc ſunt: Inarimen Prochyteńq; legit, ſteriliq́; locatas Colle Pithecuſas, habitantum nomine dictas. Quippe deum genitor fraudem & periuria quondam Cercopum exoſus, gentisq́; admiſſa doloſæ, In deforme uiros animal mutauit, ut ijdem Diſsimiles homini poſſent, ſimilesq́; uideri. Diotimus in Herculis certaminibus: ex Oecalia, quæ littoralis Eubœæ ciuitas eſt, Olum & Eurybatum Cercopas, impoſtores ac planos fuiſſe tradit, qui per Bœotiæ triuia, ſummiſſo ſupercilio concurſarent, mortalesq́; dolis exciperẽt, ut Muſcam Mediolani uidemus Appulam. inde nomen in alienarum rerũ plus nimio ſatagentem tranſtulit Martialis, identidem repetens: Ole quid ad te?

Zenobius

Zenobius autem Cercopas in Lydia ſtatuit, ubi cum Hercule, qui per id tempus Omphalæ famulabatur, congreſſos ait, ac ob nimiam captandi calliditatem in lapides obduruiſſe. quod eorum mater Memnonis multo antè fore prædixerat, ſubinde monens, ne Melampygon, id eſt nigris Herculem natibus, iniuria prouocarent. Alij Thiæ filios & Oceani fuiſſe malunt. Homerus Cercopum titulo poëma dedit, ut diſcimus ex Plutarcho: quod olim perijt, præter admodum paucos uerſus, quos apud alios autores legimus. In ijs poëta teſtatur, Cercopas quoſdã fuiſſe, qui nuſquam conſiſterent, ſed ferè cottidie ſedes mutarent: atq; quoſcunq; nanciſcerentur, uelut ob oculos iacto puluere, ſermonis offucijs deciperent, ut quos Aegyptios uulgò dicunt. inde natum prouerbium κερκωπίζειν. *Quanquam Chryſippo, non à quibus dixi Cercopibus, ſed ab animalibus quæ* κέρκῳ, *id eſt, caudæ motu blandiuntur, id tractum placet. Sunt & qui Cercopas eoſdem cum Cyclopibus accipiant, à matre Cercope nominatos: ſed eruditioribus non perſuadent. Alcyoneus.) Is & Porphyrio, quem Purpureum Græci nominis interpretatione Neuius appellauit, anteſignani Gigantum fuerunt. utriq; Terra mater conceſſerat, donec eam contingerent, inuictos fore. Sed Mineruæ conſilio ſublimes, & procul à contactu terræ ſunt edomiti. quorum Alcyoneus Herculis confoſſus telis occubuit, ut legimus apud Lycophronem: eiuſq; filiæ (quas ſeptem nominat Egeſander) Phoſtoniam, Anthem, Methonen, Alcippam, Pallenem, Drimo, & Aſterien, è Canaſtræo (quod Pallenæ proximum promontorium, Sophocles in Apollonium memorat) uictæ dolore, ſeſe in mare deturbauerunt, atq; Amphitrites miſeratione è puellis in aues uerſæ dicuntur, & Alcyones à patris nomine uocatæ. Nidificationis earum dies Ariſtoteles ſcribens de animalibus, & Simonides in Pentathlis undecim, Philochorus nouem, Demagoras Samius ſeptem tradit. quo tempore quanquam media ſit hyems, maximam ferunt eſſe tranquillitatem, quam facetè Plautus in forum tranſtulit: Alcedonia ſunt circa forum. Eaſdem Iunonis nuncias eſſe canit Pindarus. In hoc genere mares Cirillos appellari, ſcribit Antigonus. Alexander uerò Mendeſius ait, Alcyonem Mænali ex Canobe filiam in maris Nymphas relatam. Plato dialogũ titulo dedit Alcyonis, eamq; Aeoli filiam fuiſſe dicit, uxorẽ Ceycis eius, quem Lucifer genuit. Alia cum noſtris, & Ouidio conueniunt. Fracta iugi compage.) Non miranda in Gigante hyperbole. quod genus hominum incredibili corporis ſtatera præditos, atq; robore fuiſſe prædicant, adeò ut ingentes in cœlum moles torquerent: qui partim in terras, partim in mare deciderunt. unde*

montes

montes, & inſulæ ſunt, ut ſcribit Duris. Veſæuus.) Prope Neapolim *mons in Campania, qui mutato priore nomine Summa dicitur. is aliquando conflagrauit, ut Plinius in Epiſtolis refert, Suetonius, & Euſebius. Imperante Tito tantum ex ſe incendij emiſit, ut uicinas regiones & cum hominibus urbes exureret, ut domeſticus teſtis Papinius noſter eſt: Non adeò Veſuuinus apex, & flammea diri Montis hyems trepidas exhauſit ciuibus urbes. Sed hoc minus inuidioſum, quàm quod Plinium rapuit.* Per ſtagna Tyrrhena.) *per uada maris inferi, quod alluit oram Campaniæ.* Pedes.) *Hoc etiam fabuloſa tradit hiſtoria, quod uanum Lucretius arbitratur. Dion Coccianus in Tito: Dum Veſuuius, inquit, incendiū proferret, homines inuſitatæ magnitudinis, & quantæ Gigantes olim fuiſſe ſcribuntur, interdiu noctuq́; per urbes oberrabāt, ac in ſublimi cōcurrere uidebantur. & infrà: Vulgò credebatur Gigantas inſurrexiſſe, & apparebant quidem eorū effigies in fumo.*

An uicina mihi quaſſatis faucibus Aetna
Protulit Enceladum? noſtros an forte penates
Appetijt centum Briareia turba lacertis?
Heu ubi nunc eſt nata mihi? quò mille miniſtræ?
Quò Cyane? uolucres quæ uis Sirenas abegit?
Hæccine ueſtra fides? ſic fas aliena tueri
Pignora? contremuit nutrix, mœrorq́; timori
Ceſſit, & aſpectus miſeræ non ferre parentis
Emptum morte uelit, longumq́; immota moratur

Enceladum.) *Claudianus Aetnæ ſupponit, æmulatione Maronis: alij Typhœum.* Quaſſatis.) *ſubuerſis & patefactis.* Faucibus.) *ore, quem Craterem uocant.* Briareia turba.) *Alluſit ad multiplices gigantis artus. de quo Verg. Aeneid. 10. Aegæon qualis, centum cui brachia dicunt, Centenasq́; manus, quinquaginta oribus ignem Pectoribusq́; arſiſſe, Iouis quum fulmina contra Tot paribus ſtreperet clypeis, tot ſtringeret enſes. Idem Gyge Cottoq́; ſocijs, ut canit Heſiodus, Orci ueſtibulo cuſtos additus eſt, ne uincula Titanes fruſtrentur. quod Aeneid. ſexto deſignat Maro, quanuis alij nō obſeruarint. Orpheus Amacliden, Protocleaq́; & Protocleonta, Tritopatoras (ut ipſe uocat) uentorum cuſtodes eſſe canit, & ianitores. addit Interpres, eos Cœli Terræq́; fuiſſe filios, & alijs appellari nominibus: Cottom, Briareum, Gygem. Ex quo ſcire eſt, in Titanibus antiquos ſenſiſſe uentos.*

F Appetijt.)

Appetijt.)inuaſit. Mille miniſtr.e.)innumeræ.nam mille,centum,& ſexcenta ſæpe pro infinito numero accipiuntur.& ita Bucolicum Maronis carmen intelligendum eſt: Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ. Cyane.)nympha.de qua ſuprà Claudianus, & nos alibi ſatis multa. Abegit.)fugauit. Volucres Sirenas.)Dino Clitarchi pater affirmat,in India Sirenas eſſe uolucres, mulceriq; earum cantu,quos ſtratos ſomno lacerăt. Alij pedibus & auium plumis puellas fuiſſe fabulantur, quæ quum Muſas ad certamen canendi prouocaſſent,uictæ pennis exutæ ſint. inde Cretæ oppido nomen Aptera datum,ubi res geſta traditur: ut Stephanus, & interpres Lycophronis autumant. Illud ambigitur, à partu'ne ſortitæ ſint alas, ut accipere Claudianus uidetur:an,ut ſentit Ouidius,iam rapta Proſerpina, ut eam per totum terrarum orbem non inuentam,alis abreptæ in ſalo perquirerent.Homeri innominatus Interpres ait, Sirenas inuiolatam pudicitiam quum ſeruarent,offenſam Veneris incurriſſe:quam quia ferre nõ poſſent,alis ſublatas ad Anthemuſam Tyrrheni maris inſulam ſe contuliſſe.

Hæccine ueſtra fides.)Commotæ mentis obiurgatio. hanc'ne ſedulitatẽ cuſtodiendis alumnis adhibetis? Sic fas.) ità ne decet? Aliena pignora.) liberos,quos educandos ſuſcipitis. Nutrix.)Electra. Contremuit.) ad hæc uerba Cereris. Mœrorq; timori Ceſsit.) Nam metu pœnæ,quam Ceres minabatur à lugenda Proſerpina deſijt,& ſibi timere cœpit.Ita enim à natura comparatum eſt,ut genu crure propius habeatur. Statius Theb.5. Verſusq; dolor dat terga timori.Vetuſti codices habent pudori,quod magis quadrat.quoniam ſequitur:Et aſpectus miſeræ nõ ferre parentis Emptum morte uelit.idq; timidæ non eſſet optare. Emptum morte uelit.)optaret uitam cum morte commutare.Verg.Aeneid.10.Tempus erit,magno quum optauerit emptum. Paulus ad legem Aquiliam: Quem tu magno emptum nelles. Non ferre aſpectus parentis.)modo turbato uultu Cererem non aſpiceret. Immota.)ſtupore metuq; defixa. Moratur longum.) diu contatur.

Autorem dubium,certumq́ expromere funus.
Vix tamen hæc: Acies utinam ueſana Gigantum
Hanc dederit cladem,leuius communia tangunt.
Sed diuæ,multoq́ minus quod rere,ſorores
In noſtras nimium coniurauere ruinas.
Inſidias ſuperum,cognataq́ uulnera cernis

Inuidiæ,

Inuidiæ, Phlægra nobis infenſior Aether,
Florebat tranquilla domus, nec limina uirgo

Expromere.) prodere. Autorem dubium.) Nam compertum non habebat, quis nam Proſerpinam rapuiſſet. Autor non eſt qui tantũ facit, ſed princeps, et qui primus iubet ut aliquid fiat. multaq́; fieri poſſunt ab aliquo, alio tamen autore, qui nihil agat. inde illud apud Liuium frequenter, ut Patres fiant autores: id eſt, ut perinde accipiant, ac ſi ipſi iuſſiſſent. In hoc ſignificatu Verg. Georgicorum libro tertio poſuit, Aſſaraci proles, demiſſæq́; ab Ioue gentis Nomina, Trosq́; parens, & Troiæ Cynthius autor. Ilus enim quum pecus in Myſia cuſtodiret, ex certamine quodam uictor quinquaginta pueros ac totidem puellas accepit in præmium: quos Apollinis oraculo monitus in coloniam deduxit, ubi præuiam bouem procubuiſſe animaduertit, anguſtasq́; pro ſuis tunc opibus ſedes in ſummo colle poſitas Ilium nominauit, quod bellica uirtute & opibus ampliſſimum poſtea fuit. Hiſtoriam percurrit Lycophron: eiusq́; narrat Interpres, ex Leſſi Lampſaci filij monumentis (de cuius nomine cum ijs nõ contendam, qui Blæſum quàm Leſſin dici maluerunt) quod eo nomine coloniæ dux in Lampſacum deductæ fuerit, ut in Claris mulieribus à Plutarcho traditur: Phoui illius frater qui poſt hominum memoriam primus Leucadium ſaltum tentauit, ut Charon Lampſacenus in hiſtorias rettulit. Illud autem te nolim fugiat, in omnibus Lycophronis exemplaribus eadem non legi librariorum negligentia, qui dũ compendia ſectantur, hiſtorias, ſi quæ paulò altius repetuntur, aut mutilant, aut omittunt. Quod autem res, ut nos ſcripſimus, ſeſe habeat, nouit uir utraque lingua doctiſſimus, et à ſecretis Pontificis, Laurentius Venetus, penes quem mediæ uetuſtatis codex Lycophronis noſter eſt, unde ſuperiora mutuati ſumus. Nouit & Patauinus Auguſtus, qui literas in Vrbe Græcas magna cum laude profitetur. Hieronymus item Maſſurius, in omnibus bonis artibus, et in primis philoſophiæ ſtudijs eminentiſſimus, qui (ut ingenuus eſt) quum nobis indicantibus illa eadem legiſſet, omiſſa Seruij ſententia facile nobis acceſſit. Nam cui placere docto poteſt? Apollinem dici autorem Troiæ, quòd eius muros, ut Fabulæ canunt, extruxerit? Hac profectò ratione munitor Troiæ, non autor dici debuit, ut eſt apud Ouidiũ: Me fide conſpicuus Troiæ munitor amauit. Quod ſi autor inde dicatur, eſſet hoc illi nomen cum Neptunno & Aeaco cõmune, quos operis habuit ſocios, ut Pindari ſcribit Interpres. Neutrũ tamen eorũ autorem Troiæ apud quempiam dici legimus.

Equidem ad Apollinis reſponſum refero: cuius fidem ſecutus Ilus, Ilium con didit, ut Statius 11. Theb. accepit: gemit autor Apollo, Quas dedit ipſe domos. dolet Apollo Thebas à Capaneo dirui, quas eius oraculum ſecutus Cadmus ædificauit. Cynthium uero Troiæ regem (ſi modo is unquam lectus eſt apud Maronem) Apollinem uocatum ſuſpicor Homeri imitatione, cuius carmen etiã qui Græcè neſciunt, habent in ore: Smintheu præclare Tenedi dominator Apollo. Orpheus: ὦναξ πύθωνος μεδέων ἑκατηβόλε μάντις id eſt, Delphice regnator longe qui ſpicula tendis, Præſcie uenturi. ut Troiæ regem Cynthiũ Maro dixerit, quod illic impendiò coleretur. Ac ut Troiæ regem fuiſſe Condonem; conditorem certè Troiæ nulla uel etiam ficta fabula per ſuadebit. Soſipater ait. Auctor ab augeo uerbale, fœmininum facit auctrix. quum uero ad autoritatem refertur, pro cõmuni accipiendum. Ex ijs Charisij uerbis eſt ſcire, etiam quum teſtimonium cuiuſquam citamus, & dicimus, autor eſt (uerbi gratia) Cicero: per c, contra quorundam ſententiam ſcribi oportere. Certum funus.) cladem, uel exitium. nam extinctã putabat. Sciebat (inquit) Electra raptam Proſerpinam, raptoris tamen nomen haud norat. Vtinam.) dij facerent. Acies.) exercitus. Veſana.) furens, & præcipitis audaciæ, quæ deos laceſſeret. Leuius communia tangunt.) Ratio propoſitionis: quia ſolatium caperemus, ex mœrore ſociæ calamitatis. Eadem Penelopes apud Ouidium ſententia: Vtilius ſtarent etiam num mœnia Phœbi, Iraſcor uotis (heu) leuis ipſa meis. Scirem ubi pugnares, & tantum bella timerem, Et mea cum multis iuncta querela foret. Ipſe etiam Cicero: Nihil eſt, inquit, præcipuè dolendum in eo, quod accidit uniuerſis.

Sed diuæ.) Quin ipſæ deæ. Quod minus rere.) uix credes. Ipſæ ſorores.) Venus, Pallas & Diana Iouis filiæ, quo patre Proſerpina quoq; nata eſt. Coniurauere.) conſpirauerunt. In noſtras ruinas.) in excidium noſtræ domus. Nimium.) pluſquam oportuit, aut nos uellemus.

Inſidias ſuperum.) dearũ dolos. Cognataq; uulnera cernis Inuidiæ.) Pathos à neceßitudine & definitione. nam res quæ miſerationem mouet, nõ dilucide dicitur, ſed datur intelligi. ut Mezentius apud Vergilium, Nunc altè uulnus adactum: quum mortem filij ſignificet. Phlægra nobis incenſior Aether.) multo magis irati dij nobis ſunt, quàm Gigantes, & Aetherẽ quidem pro dijs, pro Gigantibus Phlægram poſuit. nam Gigantes Pallenẽ eandemq; Phlægram tenuerunt, ibiq; ab Hercule, uel (ut Fabuloſa tradit hiſtoria) à dijs deleti ſunt. Florebat tranquilla domus.) Ecce liuoris cauſa. Nihil, inquit, erat in tota familia niſi expetendũ, omniaq; ſecunda ſupra

notum fluebant. Papinius: Florébant hilares inconcuſsiq; penates. Tranquilla.) *fœlix. ab anni tempeſtate ſumpta translatione. Tibullus: Venit poſt multas una ſerena dies. Contrà Naſo: Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris. id eſt, aduerſa.* Virgo.) *Proſerpina.* Audebat.) *ſibi permittebat.*

Linquere, nec uirides audebat uiſere ſaltus,
Præceptis obſtricta tuis, telæ labor illi,
Sirenes requies, ſermonum gratia mecum,
Mecum ſomnus erat, caſtiq; per atria ludi.
Quum ſubitò (dubiũ quò nam monſtrante tenebras
Præſcierit) Cytheræa uenit, ſuſpectaq; nobis
Ne foret, hinc Phœben comites, hinc Pallada iũxit,
Protinus effuſo lætam ſe fingere riſu,
Nec ſemel amplecti, nomenq; iterare ſororis,
Et dura de matre queri, quæ tale receſſu
Maluerit damnare decus, uetitamq; dearum
Colloquio, patrijs procul abſentauerit aſtris,
Noſtra rudis gaudere malis, & nectare largo
Inſtaurare dapes, nunc arma habitumq; Dianæ
Induitur, digitisq; attentat mollibus arcum,
Nunc crinita iubis galeam laudante Minerua
Implet, & ingentem clypeum geſtare laborat.
Prima Venus campos Ennæaq; rura maligno
Ingerit affatu, uicinos callida flores.
Ingeminat, meritumq; loci uelut inſcia quærit,
Nec credit quod bruma roſas innoxia ſeruet,

Linquere limina.) *efferre pedem. Virgines in ædium ſeceſſu uerſabãtur in Parthenone, qui locus ab earum ſtatione dictus eſt, nec inde matris aut cuſtodis iniuſſu pedem uirgini licebat efferre. quod Antigones aſſectator indicat, apud Euripidem.* Virides nec uiſere ſaltus.) *nec in proximum nemus accedere.* Præceptis obſtricta tuis.) *ut tuæ uoluntati morem gereret. nam mandaſſe Cererem, ne puella foras egrederetur, indicat illa Proſerpinæ querela: O malè dilecti flores, deſpectaq; matris Conſilia.* Telæ labor illi.) *quod pudici & bene inſtituti animi ſignum eſt. inde Terent. Te-*

texentem telam ſtudioſè ipſam offendimus. *Sirenes requies.*)*ſi quando animum relaxabat Sirenarum cantu, mulcebatur.* *Sermonũ gratia mecũ.*) *uoluptatẽ captabat ex meo tantũ colloquio. Nã fabellas interdũ puellis referunt anus, ut moræ tædiũ leniant.* Tibull. ad Deliã: *Sanctiq́; pudoris Aßideat cuſtos ſedula ſemper anus. Hæc tibi fabellas referat, poſitaq́; lucerna* Deducat *plena ſtamina longa colo.* *Mecum ſomnus.*)*noctu mecũ quieſcebat.* *Caſti ſimul atria ludi.*) Vetuſti *codices legunt*, *Caſtiq́; per atria ludi.* quod placet: Ludos *non niſi qui uirginem decerent exercebat, & intra aulam.* *Cytheræa.*)*Venus.* *Dubium quo'nam monſtrante tenebras Præſtiterit.*) Interpoſitio, *clam me eſt, quis* Veneri *noſtros latebras indicarit.*

Suſpectaq́; nobis Ne foret.) *quo ſedulitatis fidem captaret.* *Iunxit comitem.*)*ſecum duxit.* *Pallada.*)*Mineruam. Græcus accuſatiuus.* *Diſcedit* à Diodoro Claudianus. *is* Bibliothecæ *lib. 5. tradit, Dianam, Mineruam, atq;* Proſerpinam, *contubernales in* Sicilia *nutritas eſſe, & illic unà flores legere ſolitas, ueſtem* Ioui *feciſſe.* *Riſu effuſo.*)*cachinno, qui laſciuæ deæ conuenit.* Eſtq́; *Veneris epitheton apud* Heſiodum Ridens, *quod* Horatius *mutuatus eſt: Siue tu mauis* Erycina *ridens.* *Iterare nomen ſororis.*) *identidem germanam uocabat, ut ſe beneuolam declararet.* *Queri.*)*ſubdole querebatur.* *De dura matre.*)*de te, perinde atq; difficilis eſſes.* *Quæ tale receſſu* Maluerit *damnare decus.*) Ratio *cur immitis à* Venere Ceres *appellaretur, quia formoſam puellam in* Siciliam *emandaſſet.* Sed *hoc ingenioſè commentus eſt ex ritu priſcæ religionis. nã* Cereri *ſacras ædes extra urbem minus frequenti loco ſtatuebãt, & quò nonniſi mortales per ſacrificia conuenirent, ut dictum eſt.* *Procul abſentauerit.*)*ablegauerit.* *Aſtris patrijs.*)*à cœlo, quod* Iouis *eius parentis ſedes eſt.* *Noſtra.*)*ſcilicet* Proſerpina. *Rudis.*)*ſimplex, & fallendi imperita.* *Gaudere malis.*) Lætabatur, *inquit*, Veneris *uerbis, quæ mala fuiſſe ſequens exitus indicauit.*

Inſtaurare dapes.)*epulas ſæpius apponebat, quod in opiparis lautisq́; conuiuijs fieri ſolet.* Nam *inſtaurare eſt integrare, & (ut ait* Varro*) quaſi inſtar nouare.* *Nectare.*)*diuina potione, uel alimonia: quod æternitatem* Græcè *ſignificat.* *Arma habitumq́;* Dianæ *Induitur.*) Dianæ *ſagittas ſumebat & ueſtem.* *Attentat.*)*contendit flectere.* *Digitis mollibus.*)*teneris, & tantæ rei minus paribus.* *Nunc.*)*interdum.* *Crinita iubis.*) *cono inſignis. nam galcæ criſtas, ex equina cauda* Vetuſtas *habebat, ut* Maro *teſtatur.* *Implet.*)Hoc *ait, ut oſtendat* Proſerpinam *modum* Mineruæ *capitis adæquare.* *Laborat.*)*contendit.* *Ingentem clypeum.*)*uaſtum*

Mineruæ ſcutum. cuius magnitudinem Verg. expreßit Aeneid. 2. quum ait duos illas è Tenedo ſerpentes ſub eius orbe delituiſſe. Prima Venus.) *ut imperata faceret: quippe cui Iuppiter mandauerat, ut Proſerpinam in campos eliceret.* Ingerit affatu.) *ſecunda oratione ſubijcit.* Maligno.) *ſubdolo.* Ennæa rura.) *Pleriq; omnes codices habent* Aetnæa. *atq; ita legendum uidetur ex* Oppiani *carmine, quod adieci.* ἄλλοτε κούρην Περσεφόνην ἥρπαζεν ἀπ᾽ αἰτναίοιο πάγοιο, *id eſt, Sed quum* Perſephonem *rapuit ſub montibus* Aetnæ. Ingeminat.) *identidem memorat, ut deſiderium refricaret.*

Vicinos flores.) *Ennenſes campos, qui ſemper in floribus erant & proximi.* Meritum.) *gratiam.* Nec credit.) *ſimulat apud ſe fidẽ non facere.*

Quod bruma.) *breuiores anni dies. unde nomẽ, ut ſentit* Pompeius. *eo tẽpore maximis frigoribus exuſta terra nuda eſt.* Innoxia.) *nihil offendens. ſuprà:* Lambit contiguas innoxia flãma pruinas. Seruet roſas.) *Roſæ nõ in campo ſolum Ennenſi omni tempore in floribus, ſed in Aegypto quoq;, & in agro demũ Romano per hyemem proueniebant, ut indicat* Martialis.

Quod gelidi rubeant alieno gramine menſes,
Verna nec iratum timeant uirgulta Booten.
Dum loca miratur, ſtudiò dum flagrat eundi,
Perſuadet teneris heu lubrica moribus ætas,
Quos ego nequicquam planctus? quas irrita fudi
Ore preces? ruit illa tamen confiſa ſororum
Præſidio, famulæ longo pòſt ordine nymphæ.
Itur in æterno ueſtitos gramine campos,
Et prima ſub luce legunt, quum rore ſerenus
Alget ager, ſparſoſq; bibunt uiolaria ſuccos.
Sed poſtquam medio ſol altior aſtitit orbe,
Ecce polum nox alta rapit, tremefactaq; nutat
Inſula cornipedum ſtrepitu, curſuq; rotarum:
Noſſe nec aurigam licuit, ſeu mortifer ille,
Seu Mors ipſa fuit, lutor permanſit in herbis,

Gelidi menſes.) *brumales, & proinde frigidi.* Rubeant alieno gramine.) *purpureas ferant roſas, quæ ueris proprie ſunt.* Martialis *ad Cæſarem:* Quondam ueris erant, nunc tua facta roſa eſt. Virgulta uerna.) *roſæ frutex, qui uere per naturam floret. quod inde uernare dicitur.*

Prudentius

Prudentius:Vernat herbarum coma. Verna præterea trium generũ nomẽ, domi noſtræ natum ſeruum ſignificat. dicimus enim, uerna puer, uerna puella, uerna mancipium. Booten.) *Arcturum, quòd in zona Bootæ ſidus eſt alijs illuſtrius, ut docet* Higynus. *Intelligit aũt grandines, & à cœlo tempeſtates, quæ ſunt ab horridis ſideribus,* Arcturo, Orione, Hœdis, *ut eſt apud* Plinium: Signum orientis *arcturi eſt hirundinum abitus. nam depræhenſæ intereunt.* Iratum.) *ſidus uehemens, terra mariq; turbidum: uel infeſtũ, noxiumq́;.* Studio dum flagrat eundi.) *Dum fingit ſe incenſam nimio deſiderio uiſendi loca.* Perſuadet.) *adducit in ſuam ſententiam. quod ingenioſe* Veneri *dat poëta. Nihil eſt enim, quod ea facile non exoret. inde Pitho, quam Suadelam nos interpretamur, Veneris filiam Sappho uocat.*

Teneris heu lubrica moribus ætas.) *Quidam cum ſuperiori uerbo coniungunt, ut dicat, perſuadet moribus teneris: & ſtatim ſequatur ecphoneſis. Sed totus hic uerſus acclamationi per hypallagen dari poteſt:* Heu ætas *tenera lubricis moribus. ætatis namq; lubricum* Fabius *adoleſcentiam uocat: in qua qui ſunt, facile labuntur.* Quos ego nequicquam planctus, quas irrita fudi Ore preces.) Exonerat *eius inuidiam:* Quid *intentatũ reliqui, quo minus egrederetur, & cõtudi pectus (inquit) & precibus inſtiti, ſed incaſſum. nã nihil mota eſt.* Tamen.) *nihilo ſecus.* Illa.) Proſerpina. Ruit.) *incita fertur.* Confiſa ſororũ Præſidio.) *Nam tutam ſe putabat, ope* Palladis & Dianæ. Famulæ.) *nymphæ, ſubaudi ruunt.* Itur.) *ut illud* Maronis: Itur in antiquam ſyluam. Tullius de Oratore libro 3. in Syluam ueni*tur, & ibi magna cum expectatione conſidetur.* Veſtitos.) *ab hominibus ſumpta translatio.* Aeterno gramine.) *perpetuis floribus.* Sub prima luce.) *diluculo.* Quum rore ſerenus Alget ager.) *quum deciduis in terrã pruinis, frigus acutè mordet. eſtq́; hypallage. Nã ſerenus ros intelligitur. quoniã neq; in nube, neq; in flatu cadit: nec noctibus quidem, niſi ſerenis, et omni aura quieſcente. Quidã codices habent, Albet: quod (mea ſententia) magis conuenit.* Violaria.) *prata, quæ* Græci *uocant* ἰώνια. Sedulius: Purpurei'ne per uiolaria campi Carduus, & ſpinis ſurgat paliurus acutis.

Bibunt.) *hauriunt.* Succos.) *rores.* Sed poſtquam.) *Meridiei periphraſis.* Sol altior.) *quum noſtrum caput ad perpendiculum deſpicit.*

Medio orbe.) *medio cœli ſpacio, tantundem diſtans ab ortu & occaſu. Quædam exemplaria habent, Aſtitit axe. ſed idem ſenſus eſt.* Ecce.) *de repente.* Nox alta.) *ſpiſſa obſcuritas. legitur & Atra.* Rapit polum.) *aufert æthram. quod ſumpſit ex illo Vergiliano: Eripiunt ſubitò nubes cœlumq́;*

lumq́; diemq́; Teucrorum ex oculis. Inſula.) *Sicilia, mari circumflua.* Nutat.) *quatitur.* Cornipedum ſtrepitu) *pulſu pedum Plutonis equorum. Sed dei nomen ipſa ſilentio prætcrijt, quod non norat. Strepitus hic pedibus excitatus ſonus eſt. Tibull. Neu ſtrepitu terrere pedum. Alij fremitu ſcribunt: & pro ſequenti uerbo, curſuq́; rotarum, Pulſu.* Nec licuit.) *datũ non eſt.* Noſſe.) *pro nouiſſe.* Aurigam.) *rectorem currus.* Seu mortifer ille, Seu mors ipſa fuit.) *ſiue mortis auriga fuit, ſeu potius ipſa mors, & leti dea. Seneca de Plutone: Tecum conſeruit peſtiferas manus. Et alibi, mortem pro Orco poſuit: Patefacta ab imis manibus retro uia eſt, & ſacra diræ Mortis in aperto iacent. Hercules apud Statium: Diram ſcio uincere mortem. Seruius Alceſtæ crinem ſcribit ab Orco ſectum: quum* θάνατος *ſit apud Euripidem.* Lutor permanſit in herbis.) *Ecce quibus colligebat eum eſſe Mortem. quácunq; tranſibat, inquit, herbæ moriebantur. Sunt qui Liuor emendent: nos antiquam lectionem tuemur. quippe luteus, quem Vergilius Lutum dixit, & pallidus idem color eſt, inferis aptus. Nec improbamus, quod in alijs exemplaribus Luror legimus. nã Luridus epitheton Orco conueniens eſt. Tibullus: Diues in ignaua luridus Orcus aqua.*

Deficiunt riui, ſquallent rubigine prata,
Et nihil afflatum uiuit: pallere liguſtra,
Exſpirare roſas, decreſcere lilia uidi.
Vt reduces rauco tractu detorſit habenas,
Nox ſua proſequitur currum, lux redditur orbi.
Perſephone nulla eſt, uoto rediere peracto,
Nec manſere deæ, medijs inuenimus aruis
Exanimem Cyanem, ceruix redimita iacebat,
Et caligantes marcebant fronte coronæ.
Aggredimur ſubitò, caſus ſcitamur heriles.
(Nam propior cladi ſteterat) quis uultus equorum?
Quis regat? illa nihil, tacito ſed lapſa ueneno
Soluitur in laticem, ſubrepſit crinibus humor.
Liquitur, in roremq́; pedes & brachia manant,
Noſtraq́; mox lambit ueſtigia perſpicuus fons.

Rubigine.) *Rubigo in metallis eſt, quæ ſitu quodam contrahitur arida, rubraq́; metallum paulatim abſumens, qualem in ferro uidemus. inde præ-*

cipua frumenti calamitas, ut ait Baſilius, Rubigo dicitur: quod ut illa ferrū atq; alia metalla, ſic iſta ſegetes exurit. Pleriq; dixere rorem inuſtum ſole acri, frugibus rubiginis cauſam eſſe, & carbunculi uitibus. quorum confutata ſententia Plinius affirmat, uredinem omnem frigore tantū innoxio conſtare, ſole atq; lunari ratione. quoniam talis iniuria non fiat, niſi interlunio, noctibus, & ante ſolis ardorem: cuius auertendæ gratia, Rubigalia Numa conſtituit anno regni ſui 11. quæ poſt agi cœpta ſunt ad 7. Kal. Maij. quoniā tunc ferè ſegetes Rubigo occupat. Afflatum.) eius anhelitu contactum, & inſpiratum. Pallere liguſtra.) ex albis lutea fieri. Expirare.) marceſcere, uel odoris fragrantiam perdere. Lilia.) Quum Iuppiter ex Alcmena ſuſcepiſſet Herculem, uelletq; immortalē reddere, Iunonis ſopitæ papillis admouit. infans auidius hauſtū lac ore continere non potuit, eoq; effuſo lacteum circulū ſignauit in cœlo. quæ pars in terram decidit, in liliū mutata eſt, florem lacti ſimilem. hæc ex eo qui Collecta mea Rei Ruſticæ Græcè fecit. Reduces detorſit habenas.) quà uenerat, equos conuertit. Inemendati codices habent Detraxit: nos ex antiquis exemplaribus, detorſit legimus. Rauco tractu.) ſonanti concuſſu. nam quum lora trahuntur, ex ære frenis affixæ bullæ grauem tinnitum reddunt. Homerus, ex aluta habenas ἡνία σιγαλόεντα dixit, id eſt tacitas: quia non ſonarent, ut quæ ſunt ex corio nō concinnato. Vel tractu, fræno. quippe ῥυτὴρ Græcè frenum eſt, ἐκ τοῦ ῥύω dictum, quod eſt traho Vel tractu, concuſſu. nam dum trahimus habenas, ærea frena concutiuntur. Verg. Ea frena furenti Concutit. Nox ſua.) caligo, quam currus inuexerat. Perſephone nulla eſt.) nō amplius apparet. Legitur & Nuſquam, quod placet. Deæ.) comites. Peracto uoto.) confecto negocio, quod expetiuerant. & hoc ex Electræ perſona, quæ rem non tenebat. Alioqui Proſerpinæ raptus Veneri tantummodo gratus fuit. Exanimem.) Peritè. nam ſuprà dixit: Ecce repens mugire fragor. eo namq; edito concidunt homines, & exanimantur. Quidam uero uiui ſtupent: & in totum ſibi excidunt: quos uocamus attonitos, quorum mentes ſonus ille loco mouit. Cyanem.) Cyane Syracuſana puella fuit, quæ ex oraculo Cyanippum patrem mactauit, & ſe. quæ patris deſiderio, quamuis inuita ceſſiſſet, extinctæ diuinos honores Syracuſani ſanxerunt: quod eius morte ſedata peſtis eſſet. Hiſtoriam narrat Doſitheus de Rebus Siculis tertio: repetit & Plutarchus. Hæc eſt nympha, à cuius nomine perennis & ingens fons appellatus eſt, ut ait Diodorus. Ceruix redimita iacebat.) Attonita Cyane, ſertis ornatum caput depoſuerat. Caligantes.) atra nebula afflatæ. Aggredimur.)

gredimur.)occupamus. Subitò.)Sunt qui Tacitam reponant: & malè. Caſus ſcitamur heriles.)petimusq́; ab ea, quid actum de Proſerpina. Quis uultus.)quæ ſpecies:& improprie.nã uultus,præter hominem,nulli animantium datus eſt, ut docet Cicero. Nam propior cladi ſteterat.) Parentheſis.& cauſam reddit,cur quæ præſentes extiterant,aliam percontarentur.Nam magis,inquit,propinqua Proſerpinæ fuit,quum raperetur, Et hoc ab hiſtoria. quippe Cyane fons eſt Proſerpinæ ſacer, iuxta Syracuſas,ut refert Diodorus:ſecundũ quem raptam Proſerpinam tradit Cicero. Illa.)ſcilicet Cyane. Nihil.)ſubaudi reſpondet. Tacito ueneno.) inteſtina tabe,quam medullitus hauſerat. Soluitur in laticem.) liquitur, & in aquas migrat. Subrepſit crinibus humor.) Eandem transformationem ſcribens Ouidius,ait:Primaq́; de tota tenuiſsima quæq; liqueſcunt,Cærulei crines,digitiq́;,& crura pedesq́;. Nam breuis in gelidas membris exilibus undas Tranſitus eſt. Mox.)deinde, paulopoſt. Lambit ueſtigia.) plantas abluit. Perſpicuus fons.)limpidiſsimus riuus. Clauſula unius ſyllabæ gratiam addit.itaq; decurrentis aquæ lapſus exprimitur.Hoc in plerisq; Vergilius obſeruauit:ut in illo,ſæpe exiguus mus: &, Vertitur interea cœlum,& ruit Oceano nox.item de boue, quem mactauit Entellus Aeneid.5.Sternitur exanimisq́; tremens procumbit humi bos. de fluctu maris aſsiliente:Dat latus,inſequitur cumulo præruptus aquæ mons. Iam uero de ſcropha,quàm commodè?Procubuit uiridiq́; in littore conſpicitur ſus.

Diſcedunt aliæ,rapidis Acheloides alis
Sublatæ,Siculi latus obſedere Pelori,
Accenſæq́; malo,iam non impune canoras
In peſtem uertere lyras,uox blanda carinas
Alligat,audito frenantur carmine remi,
Sola domi luctu ſenium tractura relinquor.
Hæret adhuc ſuſpenſa Ceres,& ſingula demens
Ceu nondum tranſacta timet,mox lumina torquens
Vultu ad cœlicolas furiato pectore fertur.
Arduus Hyrcana quatitur ſic matre Niphates,
Cuius Achemenio regi ludibria natos
Auexit tremebundus eques,fremit illa marito

Diſcedunt.)faceſſunt. Aliæ.)comites. Acheloides.)Achelous Acarnaniæ fluuius, quum Thoas antea diceretur, ab Acheloo, qui ex Theſſalia Alcmeonem ſecutus eſt, nomen accepit. Ex hoc una Muſarum Terpſichore, uel (ut alij ſentiunt) Melampodis ex Amythaone patre ſoror, Sirenas peperit: quas Lycophron Harpyiarum genus appellat, in quo uariam præbet interpretantibus coniecturam: quibuſdam filias, alijs pennatas accipientibus. Latus obſedere Pelori.) Sirenas ad Pelorum Siciliæ promontorium ſtatuit Eratoſthenes. Mela Pomponius, & Strabo, in ſinu Poſidoniate ad amnem Silarim. Nec ijſdē nominibus appellantur. Heſiodus Thelxiopen, uel (ut alij codices habent) Thelxinoën, Molpen, & Aglaophonen, quibus Anthemoëſſan inſulam ſedem dedit. Lycophron, & eius interpres, interdū Piſinoën, Aglaopen, uel (ut quidam ſcribunt) Aglophemen, & Thelxiopian memorant: quandoq; Ligian, Parthenopen, & Leucoſian. unde Lucaniæ promontorium cognomine. Tametſi Verrius ab Aeneæ conſobrina datum loco nomen exiſtimat. Quin et Samothracia Leucoſia prius eſt appellata, ut in eius republica ſcribit Ariſtoteles. Homerus duas tantum Sirenas, neq; ſuo quanq; nomine celebrat: alij tres, ut diximus, & in ijs Meloëſſan, quod Euſtathius etiam legit. Accenſæq; malo.)indigne ferentes acceptam cladem. In peſtem.)in perniciem. Nā quoſcunq; cantu mulcebant, eos ſomno ſtratos uorabant. Vox blanda.)ſecunda & illicibilis. atq; ita ad hiſtoriæ ueritatē nos excitat. nam Sirenes ſcorta fuerunt, ut prodit Palæphatus, quæ delinimentis appulſos, & earum forma captos, apud ſe deſidere cogebant, quo ad omnes illorum degluberent opes. Alligat.)remoratur. Carinas.)naues: à parte totum. Frenantur remi.)immoti torpent, & naues non impellunt. quod ne paterentur Argonautæ (ſi credimus Herodoro) comitem nauigationis Orpheum ſumpſerunt, qui remigum mentes à Sirenarum cantu ad ſe conuerteret. Tractura.)Rectè. nam trahit uitā, cui grauis eſt. Senium.)malam ætatem, ut Pacuuius & Afranius appellant. Et eleganter poëta, quæ libro 2. dicenda fuerant, huc ex Horatij præcepto diſtulit. Hæret adhuc.)Inemendati codices habent Mœret. nos Hæret legimus. Non enim tam longa attentio, niſi ſtupore defixæ Cereri conueniret.

Fertur.)incita ruit. Furiato pectore.)Ceres amiſſa filia Iouem diffuſis crinibus, & amenti ſimilis adijt, & qualē Claudianus inducit. inde Thuriæ ſortita cognomen eſt, ut Græcorum quibuſdam placet: eiuſdemq; ſacra Orgia dicuntur, ut Clemens Sidonius affirmat. Niphates.) Armeniæ mons, fœtus tigribus, ut ſcribit Strabo. Nomen (ut Arcadio placet) ἀπὸ τοῦ

νίφειν, id eſt, ab aſsiduo niuium caſu. poëtæ tamen præpoſitiuam uocalē ſubtrahunt, Niphatemq́; per ſimplex i dicunt. Nicander in 7. ταύρον ἀγρυμνώγυιαρ καὶ σκόπελόν τε νιφάτην, *id eſt, Surgentemq́; iugis Taurū, ſcopuliſq; Niphatem. Quatitur.) uapulat, & pulſatur, aut tremit. Matre Hyrcana.) fœta tigri, quæ ſæuior eſt, ut inquit Plinius. Hyrcania (quod ſcribit Xenophon) Aſſyriæ annexa eſt, gens haud admodum populoſa, ob camq́; rem paret Aſſyrijs. Tremebundus.) inſequente tigri. Regi Achemenio.) regi Perſarum, quem ex Achemenia tribu mos erat optare. Tres autem tribus erant Perſarum Patiſcores, Achemenidæ, & Magi: ut diſcimus ex Herodoto. Sedulius de Perſarum rege: Cuius Achemeniā rabies accenderat irā, Plus fornace ſua. Reges autem Perſarum (quod narrat Xenophon) intra ſepta feras alebant, quibus conficiendis exercerentur. Fremit illa marito Mobilior Zephyro.) Dij boni, quæ quorundam præceps audacia? qui ubi minus ipſi explicatam habent hiſtoriam, ſtatim contra fidem ueteris literaturæ pro ſua libidine uerba interpolant: ut hoc in loco, quum nuſquam legiſſent tigres uento concipere, uirgula Ariſtarchi cenſoria, Marino pro marito ſubſtituerunt. Nos marito legendum contendimus ex Oppiano, qui de Venatione libros ad Antoninū Cæſarem Græcè ſcripſit, in quibus & hoc ex aliorum ſententia tradit: quamuis ipſa nō credat. Oppiani uerba (ne quis forte dubitet) appoſuimus. nam quum docuiſſet, ferarum omnium uelociſsimam eſſe tigrim, poſtremo ſic ait:* αὐτῷ γάρ τε θέειν ἰκέλη ζεφύρῳ γενετῆρι, *id eſt: Nā ſimilis Zephyro planta pernice parenti eſt. Deinde per correptionem continuo ſubdit: Nō patri, inquam. Quis enim hoc admittat, grauidas ſpiritu feras reddi? Inualuit tamen hæc hominum uana opinio, ut hoc in genere non niſi tantum fœminas extare falſo credant. Reliqua illic. in quo Claudianus ab ipſo diſceſſit, illectus amœnitate fictionis, quæ poëtico magis acumini cōueniebat: ut in caſtrenſi Hernicorum conſuetudine Maro fecit, ubi Euripide poëta quaſi cognato autore, quàm Ariſtotele philoſopho uti maluit. Mouit præterea Claudianū, quod equabus Hiſpanis in agro Olyſipponenſi idem euenire legerat apud Varronem. & quicquid ſine maris accubitu gignitur, uento conceptum pleriq; diſputant. Ariſtophanes Dædalo (Fabulæ nomen id eſt) oua quæ gallinæ abſq; officio mariti pariunt,* ὑπηνέμια, *id eſt, ſubuentanea uocat, quæ Plato philoſophus* ἀνεμιαῖα.

Mobilior Zephyro, totamq́ꝫ uirentibus iram
Diſperſit maculis, nimiumq́ꝫ hauſtura profundo

Ore uirum, uitreæ tardatur imagine formæ.
Haud aliter genitrix toto bacchatur Olympo:
Reddite uociferans, non me uagus edidit amnis,
Non Dryadum de plebe ſumus, turrita Cybelle
Me quoq; Saturno genuit. Quò iura deorum?
Quò leges abiere poli? Quid uiuere recte
Proderit? En audet noti Cytheræa pudoris
Oſtentare ſuos poſt Lemnia uincula uultus?
Hos animos bonus ille ſopor, caſtumq; cubile
Præbuit, amplexus hoc promeruere pudici?
Nec mirum, ſi turpe nihil poſt talia ducit.
Quid uos expertes thalami? tantum'ne relictus

Totamq; urentibus iram Diſperſit maculis.) *Quippe è quadrupedum genere tam uaria tigris eſt, quàm pauo inter alites: autor* Oppianus. *Eſtq;* Papinij *imitatio: Qualis ubi audito uenantũ uulnere tigris Horruit in maculas, &c.* *Vitreæ tardatur imagine formæ.*) *Hanc artem captandi tigres* Diuus Ambroſius Hexameron *libro ſexto pluribus uerbis exequitur, quæ (quoniam ſancta ſunt, & non illepida) libuit adnotare. nam de natura loquens: Illa, inquit, tigridis interpellat ferocitatem, & imminentẽ eam prædæ reflectit. nanq; ubi uacuum ſobolis raptæ cubile reperit, illico ueſtigijs raptoris inſiſtit: At ille quamuis equo uectus fugaci, uidens tamen uelocitate feræ ſe poſſe præuerti, nec euadendi ullum ſuppetere ſibi poſſe ſubſidiũ, techn͏ͅm huiuſmodi fraude molitur: ubi ſe contiguum uiderit, ſphæram de uitro proijcit. at illa imagine ſui luditur, & ſobolem putat, reuocat impetũ, colligere fœtum deſiderãs. rurſus inani ſpecie retenta, totis ſe ad comprehendendum equitem uiribus fundit, & iracundiæ ſtimulo uelocior fugienti imminet. Iterum ille ſphæræ obiectu fugientem retardat, nec tamen ſedulitatem matris memoria fraudis excludit, caſſam uerſat imaginem, & quaſi lactatura fœtus reſidet. Sic pietatis ſuæ ſtudio decepta, & uindictam amittit & prolem.* Genitrix.) *Ceres.* Bacchatur.) *inſtar* Mænadis *incita rapitur, & furit.* Reddite.) *ſcilicet filiam quam ſurripuiſtis.* Non me uagus edidit amnis.) *Negat ſe genus à fluuijs aut fontibus ducere, ut* Naiades, *in quas ſine magna dignitatis iactura peccari poteſt.* Non Dryadum de plæbe ſumus.) *Arborum deas antiqui* Dryades *appellauerunt, quoniam*

Drys

Drys apud Græcorum uetuſtiſsimmos commune plantarum omnium nomen erat. Turrica Cybelle Me quoq; Saturno genuit.) *Exaggerat iniuriam, commemorata perſona quam ſuſtinet. nam Ceres, ut ſentit* Euhemerus *cœlo Terraq; perentibus Saturni ſoror fuit. alij Saturno ac Ope genitã tradunt, quibus accedit Claudianus.* En.) *increpantis eſt.* Cicero: En cui *liberos tute committas.* Noti pudoris.) *Proſtitutæ famæ.* Oſtentare *ſuos uultus.) aperta fronte in medium prodire.* Poſt Lemnia uincula.) *Amarè Venerem pulſat: omniſq; indignatio hinc eſt, quòd affecta tanta ignominia Venus honeſtiſsimas quaſq; deas prouocaret.* Ex Homero *notiſsimam fabulam* Naſo *repetit, ut minutiſsimis* Vulcani *catenis cum* Marte *irretita* Venus, *ſpectaculo dijs omnibus fuerit.* Venus *apud* Papinium: Hoc mihi Lemniacæ de te meruere catenæ. *Ex eo concubitu* Harmoniam *peperit, ut placet* Heſiodo, *quæ poſtea* Cadmo *nupſit.* Idomeneus *tamen is qui* Troica *ſcripſit,* Harmoniam Iouis *&* Electræ *filiam fuiſſe dicit, quæ* Thebarũ *portas ab* Electra *matre* Electridas *appellarit. Malè qui hanc* Hermionem *iiſdẽ elementis quibus* Spartanam *memorant, quum* Cadmi *coniunx* Græcè *dicatur* ἁρμονία. *Itaq; à nobis & ſcribi, & enunciari debere, libro ſeptimo* Martianus Capella *ijs uerbis indicat:* Senarius inquit, Veneri attributus *eſt, & primus harmonias oſtenditur genuiſſe. quippe ſex ad duodecim è ſymphonia diapaſon, ſex ad nouem hemiolios, ſex ad octo epitritos, id eſt ſymphonia diateſſaron. unde* Venus Harmoniæ *mater perhibetur.* Accedit *&* Ariſtonici *ſcomma, cuius meminit* Athenæus. Phaon *abſurdè tibia canebat. hunc aliquando quum audiſſet* Ariſtonicus: Phaon *(inquit)* Cadmũ, *non* Harmoniam *canit.* Lemnia.) *Vulcania nã* Lemnos Aegei *maris inſula, contra* Thraciam, Vulcanum *præcipuo cultu proſequebatur, in quam deturbatus à* Ioue *decidit, ut* Homerus *&* C. Balbus *in* Argonautico *canit.* Hæc *autem fabula ab hiſtoria compoſita eſt. nam illic ignis primum repertus traditur, & arma fabricata: unde ſontes* Leſbij *dicti ſunt. autor* Hellanicus. *urbes in ea duæ fuerunt inſignes,* Epheſtia Myrinaq;. Lemni *nomen à cultu* Idææ *matris accepit, quam incolæ* Lemnon *uocant: ut in* Europa *ſcribit* Hecatæus. *cui deæ puellæ pro uictimis mactabantur.* Aethalia *prius appellabatur, quod hiatus habebat, per quos eructatus ignis uaporabat, ut apud* Polybium *legimus.* Bonus ille ſopor, caſtumq; cubile.) *Ironia, pronunciatione & geſtu iuuandæ, ne quod negat, concedere uideatur.* Quid uos.) Ad Mineruam Dianamq; *ſermonem conuertit.* Expertes thalami.) *uirgines & innuptæ.*

Virginitatis

Virginitatis honos?tantum mutata uoluntas?
Iam Veneri,& ſocijs iunctæ raptoribus itis?
O templis Scythiæ,atq; hominem ſitientibus aris
Vtraq; digna coli. Tanti quæ cauſa furoris?
Quam mea uel dicto tenui, Proſerpina læſit?
Scilicet hæc charis pepulit te Delia ſyluis,
Aut tibi commiſſas rapuit Tritonia pugnas.
An grauis alloquio?ueſtros an forte petebat
Importuna choros?atqui Trinacria longe
(Eſſet ne uobis oneri)deſerta colebat.

Tantum'ne relictus Virginitatis honos.)adeon' neglecta pudicitia uobis eſt? Inemendati codices habent Relictis:nullo ſenſu. O templis Scythiæ atq; hominem ſitientibus aris Vtraq; digna coli.)Probra ducuntur à gentibus Aegyptiſſat,quia fallaces Aegyptij ſunt,& ſemper alia cogitant,alia ſimulant,ut inquit Hircius:Ciliciſſat,improbè perditeq; uiuit: Leſbiſſat,tribas eſt,& alias ſubagitat, ut ex Pherecrate diſcimus. A populis,et Axonas imitatur,id eſt,corruptè loquitur. axones enim craßiligetes inter Atticos, & ſemibarbari : ſicut Sphetij ruſticis moribus habentur.qui Tauricam colunt Scythæ,quoſcunq; capiebant aduenas,immolabant Dianæ:quæ ſacrificia tragicè decantauit Euripides.narrat Herodotus & Ammianus,& Clemens Sidonius exprobrat. Expetebant imprimis,& ſummo quidem ſtudio Græci generis homines,in gratiam ſacerdotis Iphigeniæ, quam Iphianaxã uocat Lucretius. Agamemnonis ea filia fuit,et Clytæmneſtræ,uel(ut Duridi Samio placet) Helenæ, Theſei ſtupro concepta: Clytæmneſtræ tamen dici, quoniam Menelao nubens Helena ſorori adoptandã dederit. Eandem quũ Græci claſſem remorãtibus uẽtis in Aulide eſſent immolaturi, Diana ſuppoſita cerua ſurripuit,& in Scythiam translatam ſuo templo præfecit. Quidam mutatam dicunt in ceruam,nonnulli in anum, Phanodicus rerum ſcriptor in urſam, Nicander in taurum. Heſiodus in Mulierum catalogo ait: Hecaten Dianæ numine atq; uoluntate effectam. inde Verg. Aeneid. 2. compoſuit oraculũ:Sanguine placaſtis uentos, & uirgine cæſa.uentos inquam, quia Βόρραις, hoc eſt procellis Iphigeniam mactare ſtatuerant, ut eſt apud Lycophronẽ.quod Seruius & alij non uiderunt. Quin & Phocenſes Græcos etiam Dianæ pro uictimis iugulabant, ut tradit Pythocles, inq; Syriæ Laodicæa uirgo Mineruæ cædebatur, ut Pallas refert, qui Mithræ myſteria

Græce

Græce ſcripſit. Non igitur imprecatur hic Ceres, ut quidam putant, ſed crudeliſsimum ſacri genus obijcit, ut opprobrium, contenditq; ſæuiſsimo carum ingenio conuenire. Quam læſit.) Vrget interrogando. quippe nulla, uel difficilis reſpondendi facultas relinquitur. Vel tenui dicto.) leuiſsimo ſaltem uerbo. Scilicet.) ferè ſemper ad Ironiam ponitur. Terentius: Id populus curat ſcilicet. et Verg. Scilicet is ſuperis labor eſt, ea cura quietos Sollicitat. Veſtros an forte petebat Importuna choros.) an ueſtros cœtus intempeſtiuo interuentu turbabat. Atqui.) quin imo. in uulgatis exemplaribus: Atq; perperam ſcriptum eſt. Deſerta Trinacria.) Siciliæ receſſus. & adiectiuè Trinacrium dixit, ut Maro: Antè & Trinacria lentandus remus in unda. quod Callimachus Action primo multò antè uſurpauit, ut ſcribit Stephanus. Hoc illud opus eſt, quo Martialis ad Mamurram carmen omnium primi ſpectare deprehendimus: Sed nō uis Mamurra tuos cognoſcere mores, Nec te ſcire, legas Actia Callimachi. nā præter alia Callimachus Actia quoq; ſcripſit, quo poëmate ſacrorum ritus & cauſas complexus eſt: unde nomen. Seruius Aeneid. primo Maronis uerba declarans, Cur dextram iungere dextræ Non datur: Maiorum (inquit) hæc fuerat ſalutatio, cuius rei τὸ ἄιτιον, id eſt cauſam Varro Callimachum ſecutus expoſuit. & alibi carmen illud enarrans, in tertio: Vnde etiā templo Triuiæ luciſq; ſacratis Cornipedes arcentur equi: Seruius ait, Exponit τὸ ἄιτιον nam Callimachus ſcripſit Actia, in quibus hoc etiam commemorat. Nec ingrati Priſciano ſumus, qui Callimachi uerſum citat ex Actijs libro primo, nobiſq; adhuc pueris aurem quodammodo uellit, ut hoc in Martialem ſuſpicaremur. Improbe profectò faciunt, qui tanquam fuci alienis laboribus inſidiantur, & quæcunq; præripere poſſunt, pro ſuis oſtentant. An ſi noſtram hanc obſeruatiunculam per ætatem prodere tum non licuit, & editione, nō inuento præuenti ſumus, idcirco noſtra nos laude fraudari patiemur? Non adeo toleranda quies. Marius Aequicolus iuuenis apprime doctus, ut eius ingenij monumentis notum eſt, ſanctiſsime teſtari poteſt, me pluribus annis antequam in cuiuſpiam commentarijs ebulliret, Neapoli ſuper hoc Martialis loco ſecum cōmunicaſſe ſed & Tideus Actianus ille Picens, præceptor olim meus, uir in omni uitæ colore terſiſsimus, & quem nulla remotior diſciplina latet, meo nomine multum gloriatus, quòd eius ætatis puer eruditionis non exiguum ſpecimen ſub ſe dediſſem, in ſuas Quiſquilias hoc etiam retulit, opus ſane uarium, quod ab ſe magna cura compoſitum iam tum uidebatur editurus. ac neſcio cur ad hanc diem publicum non acceperit. Non eſſemus in ijs

uindicandis adeò diligentes, niſi nonnullos in alienis, & quibus ipſi non inſudarunt, idem moleſtiſsimè facere uideremus. Ex Aetijs prætereà Callimachi uetuſtius et innominatus interpres Homeri, qui in publica Vaticani bibliotheca Romæ legitur, ſæpiſsime teſtimonium petit. Dionyſius item Corinthius, eadem inſcriptione opus emiſit. Alluſit ad hoc etiam Naſo, quum dixit: Tempora cum cauſis Latium digeſta per annum Lapſaq; ſub terras, ortaq; ſigna canam. quippe Action cauſam ſignificat, & Aetia eodem penè argumento, quo noſtri faſti conſtabant.

Quid latuiſſe iuuat? rabiem liuoris acerbi
Nulla poteſt placere dies, his increpat omnes
Vocibus. aſt illæ (prohibet reuerentia patris)
Aut reticent, aut noſſe negant, reſponſaq; matri
Dant lachrymas. Quid agat? rurſus ſe uicta remittit,
Inq; humiles demiſſa preces: Ignoſcite ſi quid
Intumuit pietas, ſi quid flagrantius actum
Quàm decuit miſeram, ſupplex miſerandaq; ueſtris
Aduoluor genibus, liceat cognoſcere ſortem.
Hoc tantum liceat, certos habuiſſe dolores.
Scire peto, quæ forma mali: quamcunq; dediſtis
Fortunam, ſit rapta, feram, fatumq; putabo,
Non ſcelus: aſpectum, precor, indulgete parenti.
Non repetam quæſita manu, ſecurus habeto,
Quiſquis es, affirmo, prædam, deſiſte uereri.
Quod ſi uos aliquo præuenit munere raptor,
Tu certe Latona refer, confeſſa Diana

Rabiem liuoris acerbi Nulla poteſt placare dies.) Nullus adeò uehemẽs affectus eſt, qui non longinquitate temporis minuatur, atq; molleſcat. Solus inuidiæ liuor in dies magis atq; magis augetur. nam quiſquis hac perturbatione laborat, ne ijs quidem, quos fidiſsimos ſibi exiſtimat, turpiſsimũ morbi genus audet detegere. atq; ita dum in profundo pectoris ægritudinem fouet, inteſtinis curis exeditur: ac neq; medicum, neq; remedium ullum prorſus inuenit, niſi ex eorum quibus inuidet calamitate. Rabies.) quæ maior dici, aut excogitari rabies poteſt? quàm paſsim, ut quiſq; uirtuti maximè intendit, omnibus inuidere? & ijs imprimis, à quibus beneficio prouoceris?

quippe

quippe quo maiora in inuidum merita conferuntur, eo magis dolet, turbatur, angitur. Plus namq; mœroris ex alterius officio, atq; bene de ſe merendi facultate ſuſcipit, quàm ob collata beneficia uoluptatis. quumq; nullum animal à natura immite adeò ſit, ut obſequio non deuinciatur, unus inuidus beneficijs redditur importunior. et hoc eſt quod Claudianus ait, acerbi. Plura leges apud Plutarchum, Magnumq; Baſilium, qui pulcherrimis orationibus, non minus quàm debent huiuſmodi uitium deteſtantur. Liuoris.) Liuor inuidia dicitur, ab inuidorum colore, quorum oculi atri ſunt, atq; obſcuri, genæ pallidæ, turbida ſupercilia, animus perturbatione diruptus, & qualis denique ſecundo Metamorph. deſcribitur ab Ouidio. Quod ſi certius exactiuſq; inuidiæ ſimulacrũ deſideras, Appulam muſcam ſpectes oportet, cui neq; uerius neq; conuenientius quàm muſcæ nomen dari aut fingi potuit. nam ut integras corporis partes prætereuntes muſcæ, ad ulcera ſeſe cõferunt: ſic is undiq; inuidia diffluens, diſsimulatis animi bonis, & uitæ ſplendore, in hominum duntaxat labeculis immoratur, omniaq; detorquet in peius. unde (qui maximus peruerſitatis cumulus eſt) optimi cuiuſq; ſibi odium conflauit, niſi quem uerſutiſsimi hominis doli, atq; inconſtantiſsimi mores fefellerunt. nam eius ingenij inuij atq; occultiſsimi ſunt receſſus, nec qui cognoſci aut perluſtrari facillime poſsint. Quid agat.) Miſeratione mouet addubitatio. ut Didonis illud apud Maronẽ: Heu quid agam? Ignoſcite.) ueniam date. Ignoſcere eſt, inquit Seneca, quæ uides punienda, non punire. Cicero epiſt. quadam ad Brutum: Ignoſcere eſt, ſceleris pœnam remittere. Si quid intumuit pietas.) ſi quid amiſſæ filiæ dolore ſuperbius excidit. utiturq; ſtatu ueniali, quum iracundiæ cauſam in maternum reijcit affectum, qui omnium conſenſu maximus eſt. Flagrantius.) ardentius, atq; animo commotiore. ita namq; legendũ eſt, non flagrantibus, ut inemendati codices habent. Aduoluor genibus.) quæ ſupplicantes tangebant, ex cauſa quam ſuperius expoſuimus. Liceat cognoſcere ſortem.) fas ſit inuectæ calamitatis genus ediſcere, & quo pacto filiam perdiderim. nam ſæpe ſolatium calamitatis eſt, ſortem ſuam noſſe, ut Darius ait apud Curtium.

Hoc tantum.) ſcilicet à uobis poſtulo. Colorem traxit ex illo Vergiliano: Hoc ſolum nomen quoniam de coniuge reſtat. Certos furores.) euidentes iraſcendi cauſas. Alij dolores (quod luculentius eſt) emendant. Scire peto quæ forma mali.) Ita quidem nos emendauimus, quum uulgati omnes codices haberent: Si repares quoq; forma mali. Forma.) Species & ratio. Mali.) acceptæ cladis. Fatumq; putabo, Non ſcelus.)

nam quæ fato fiunt, neq; laudem in ſe, neq; culpam habent ullam. qua ratione nonnulli ueterum philoſophorum contra Chryſippum nituntur. Iuuenalis: Hunc ego fatis Imputo, *&c. plura* Firmicus *in* Apologia *matheſeos.*

A ſ*pectum precor indulgete parenti.) uidendæ filiæ copiam mihi facite. Sed emphaſim parentis nomen habet, ut illud Aeneæ apud Vergilium:* Paruumq; patri tendebat Iulum. *Quæſita manu.) natam, quam quis ſibi uirtute comparauit.* Præuenit.) *anteuertit, & occupauit.* Munere.) *præmio: id eſt, ſi raptor à uobis indicium redemit, & munus largitus eſt, ne ſe prodatis. Quod ſi leges ex antiquis aliquot exemplaribus, fœdere, ſenſus erit, Sin aliquo pignore uos ſibi autorauit, & fidem dediſtis raptorem non detecturas. eſt enim quando fœdus pro iuramento ponitur. Tibullus:* Fœdera per diuos clam uiolanda dabas. Certe.) *ſaltem.* Refer tu.) *ô Latona. Eſt autem conuerſio ſermonis ad matrem Dianæ, quæ Latonæ nomen à clementia morum ſortita eſt apud Græcos, ex interpretatione Platonis.* Confeſſa Diana Forte tibi.) *Forſan, inquit, Diana raptorem tibi aperuit.*

Forte tibi, noſti, quid ſit Lucina, timorq́;
Pro genitis, & quantus amor, partusq́; tuliſti
Tu geminos. hæc una mihi, ſic crine fruaris
Semper Apollineo, ſic me felicior æuum
Mater agas, largis tunc hymbribus ora madeſcunt.
Quid tantum dignum fleri? dignumq́; taceri?
Hei mihi, diſcedunt omnes. Quid uana moraris
Vlterius? non bella palàm cœleſtia ſentis?
Quin potius natam pelago terrisq́; requiris?
Accingar luſtrare diem, per deuia rerum
Indefeſſa ferar, nulla ceſſabitur hora.
Non requies, nõ ſomnus erit, dum pignus ademptũ
Inueniam, grēmio quamuis mergatur Iberæ
Tethyos, & rubro iaceat uelata profundo:

Noſti quid ſit Lucina.) *nõ te latet, quantum laboris in enitendo matres ferant. Putidũ eſt ad Dianæ mores referre: perinde atq; Ceres dicat, Latonã probè ſcire, quibus nam rebus Diana adduci poſsit, ut raptorẽ prodat. Nos ut iam diximus, interpretamur. nam ſupra Ceres ait:* Et charos uteri commendo labores. *& Romani Lucinam uocabant lunam, quia lucem præbeat,*

ut in Quæſtionib. docet Plutarchus. quã in partu ac doloribus adeſſe opinabantur, tanquam lunam. nam plenilunio facile mulieres leuari partu uidentur. Ilithiam Græci uocant, et Dictamo coronabãt herba, quæ paſsim prouenit in Creta. cuius uis eſt, ut parientibus ſubſtrata partũ ſoluat, autor Euphorion, & Theon. Eandem ex Hyperboreis Delum ueniſſe fama eſt, ad leuandos Latonæ parturientis dolores, atq; inde Lucinæ nomen ad alias gentes manaſſe. Cretenſes ex agro Gnoſio Lucinam in Amniſo natam arbitrantur, & eſſe filiam Iunonis, ut ſcribit Pauſanias. Timorq; Progenitis, & quantus amor.) id eſt, quàm ſolliciti pro liberorum ſalute parentes ſint, quamq; eos charos habeant. Ingenerat enim natura præcipuũ quendã amorem in eos, qui procreati ſunt, ut ait Tullius. & hoc indicat ſuperius carmẽ ex ſententia noſtra intelligendum. Quidam codices habent: Noſti quid ſit Lucina, quis horror Progenitis. ὁμοιοπάθειαν uocant, quoties à ſimilitudine affectus oritur pathos. ut apud Vergilium: Fuit & tibi talis Anchiſes genitor. Partusq; tuliſti Tu geminos.) Duos, inquit, liberos, & uno quidem utero edidiſti. neq; grauius quicquã in uita tibi poſſet accidere, quàm ſi alterutro orbareris. quanto igitur ægrius eſſe mihi cenſes, ex unicæ puellæ iactura? Latona geminos uno partu peperit, ideo Gemellipara dicta eſt ab Ouidio. Eiuſdem puerperium alij ſtatuunt in Lycia, quod Horatius ſentire uiſus eſt: Qui Lyciæ tenet Dumeta, natalemq; ſyluam, Delius & Patareus Apollo. Sed & Cragum nominat inter Apollinis & Dianæ lucos, ex hac opinione. Cragus enim Lyciæ mons eſt, ut Alexander Lyciacorum ſecundo ſcribit: à Crago, Tremiletis & Praxidicæ filio. Quidam Deli, pleriq; Zoſteri, qui locus eſt in Attica. Pauſanias tamen ait, ibi filios non peperiſſe, ſed tanquam parituram ſoluiſſe zonam, atq; inde loco manſiſſe nomen. Quin & oppidum Bœotiæ Tegyra ſibi uendicat, ut Semus Delius aſſerit. Hæc una mihi.) ſcilicet ex Ioue. nã liberos alios ex alijs ſuſcepit Ceres, ut demonſtrauimus. & Alcman autor eſt, eiuſdem filium fuiſſe Carnæum, à quo Apollinis feſta Carnæa dicta ſunt, quorum Callimachus meminit, & Theocritus. Praxillas autem Carnæum Iouis ex Europa ſuſceptum canit, quem Apollo dilexerit, & ab eius nomine ſua feſta Carnæa dici uoluerit. Sic.) Obteſtandi particula. Verg. Sic tua Cyrnæas fugiant examina taxos. Sic crine fruaris Semper Apollineo.) Apollinis cognomen eſt Acerſecomes, id eſt intonſus, quod nunquã radij à fronte ſolis auelli poſſunt. eius cæſarie Latona mater anxiè delectabatur, ut de paſtore deo uerba faciens Tibullus indicat: Sæpe horrere ſacros doluit Latona capillos, Quos admirata eſt ipſa nouerca

prius. Fruaris.*)uoluptatem capias.* Semper.*)perpetuo.* *Sic me fœlicior æuum Mater agas.)* *Optat ut fœlicior quàm ipſa ſit in liberis. in quo* Latonæ *beneuolentiam colligit,& pathos excitat. ut quum precatur* Ouidius *ab exilio,ut diſsimilem fortunam ſuæ dij concedant amico.* Largis *hymbribus.)uberibus lachrymis.* Quid *tantum dignum fleri, dignumq́; taceri?)ſi meã uicem doletis,indicate raptorem: quod ſi non facitis, apparet ſimulatas eſſe lachrymas.* Hei *mihi diſcedunt omnes.)*Ad *illa Cereris uerba dij omnes auerſi faceſſebant. inde Ceres ſuſpirat.* Quid *uana moraris.)*Hoc *& inſequentia pleraq; carmina ſecum Ceres.* Non *bella palã cœleſtia ſentis.)non ne intelligis aduerſari tibi deorum ſtudia.* Quin *potius natam pelago,terriſq; requiris.)* Non'*ne præſtat, inquit,terra mariq́; filiam perquirere, quam fruſtra rogando tempus amittere.* Luſtrare *diẽ.) ſolis ſemitas ueſtigare.* Deuia.*)quà non patet acceſſus.* Rerum.*)mundi.* Requies.*)ocium,aut aliqua laboris remiſsio.* Pignus *ademptum.) raptam filiam.* Gremio *mergatur* Iberæ Tethyos.*)*Quæ *nunc à rege* Hiſpano Hiſpania *dicitur, ab amne prius* Ibero Iberia *uocabatur: autor* Trogus.*eiuſdem regionis alluens oras mare* Iberum *fertur.* Hunc *autem locum* Claudianus *à* Papinio *ſumpſit,apud quem* Diomedes *ita loquitur in* Achilleide: *Licet ille ſonantibus antris* Tethyos *aduerſæ, gremioq́; prematur aquoſæ* Nereos*, inuenies.* Rubro *iaceat uallata profundo.) quamuis* Erythræo *mari claudatur.Id in duos ſinus ſcinditur,quorum qui ab oriente eſt* Perſicus *appellatur,quod eã oram* Perſæ *colant,uicies & ſexagies centena milia paſſuum circuitu patens ex aduerſo:alter unde* Arabia *eſt* Arabicus *memoratur,ut ait* Solinus. *Alij codices habent* Velata*, id eſt lateat.*

Non Rheni glacies,non me Rhiphæa tenebunt
Frigora,non dubio Syrtis cunctabitur æſtu.
Stat fines penetrare Noti,Boreæq; niualem
Veſtigare domum,primo calcabitur Atlas
Occaſu,facibuſq; meis lucebit Hydaſpes.
Impius errantem uideat per rura,per urbes
Iuppiter,extincta ſatietur pellice Iuno.
Inſultate mihi,cœlo regnate ſuperbi,
Ducite præclarum Cereris de ſtirpe triumphum.
Sic fatur,notæq; iugis illabitur Aetnæ.
Noctiuago tædas inflammatura labori.

Rheni

Rheni glacies.) Rhenus notiſsimus Galliæ fluuius, ab alpibus decidens, ut inquit Mella, cuius accolas antiqui Celtas uocabant: poſterior ætas cognomines amni Rhenos, autor Stephanus. ij coniugũ fidem ſic probant. à partu recentes filios ad Rhenum deferunt, ſcutoq; impoſitos, quà rapidior eſt, alueo committunt: quibus unda pepercit, ut ſuos agnoſcunt: extinctos adulterio conceptos exiſtimant. Extat inter Græca epigrammata carmen incerti autoris, quod hunc ipſum morem pluribus uerbis exequitur. Idq; adoleſcens perhumanus & non ineruditus Antonius Calcaterra, paucioribus ijs numeris amplecti tentauit: Audaces rapido dubios in gurgite partus Explorant Celtæ, donec dijudicat unda. Hæ nunquam capiunt gentes noua pignora matrum, Quàm prius imponant clypeo: tũ flumina monſtrant, An genus obliquum fuerit, pòſt mater ad undas Egeriam tendit, natos uiſura recentes, Et ſuſpenſa timet cenſoris flumina Rheni. Hinc alibi Claudianus: Et quos naſcentes explorat gurgite Rhenus. *Non me tenebunt.)* curſum non impedient. *Riphæa frigora.)* Poſidonius, & Protarchus (ut dictũ eſt) Rhiphæos & Alpes eoſdẽ montes accipiunt, quos teneant Hyperborei. quibus accedit Tibullus, ut illic indicabimus. Damaſtes, qui populos Græcus autor exponit: Scythas, inquit, excipiunt Eſſedones, hos Arimaſpi contingũt, ulterius Rhiphæi ſunt, unde flat Aquilo, continuis obſeſsi niuibus. deinceps externi maris oras habitant Hyperborei. Hic eſt ille Sigeus Damaſtes, unde teſtimonium citat Auienus hoc uerſu: Quin & Damaſtes nobili natus Sige. Sic enim legendũm: non ut uulgati codices habent, Signe. Eſt autem Sige, Troadis urbs, ut in Aſia ſcribit Hecatæus. unde gentile nomen Græcè σιγίτης, Latinè Sigeus: autor Stephanus. Verg. Aeneid. 4. Alpinum Boream dixit, quod is è Riphæis montibus ſpirat, qui cũ alpibus ijdem ſunt ex ſententia Poſidonij. ait autem Ceres, Riphæis montibus proxima ſe petituram, quæ cadentes aſsiduæ niues adeò inuia efficiunt, ut ultrà ne uiſum quidem intendentium admittant, ut tradit Mella. *Non dubio Syrtis cunctabitur æſtu.)* Sic Horatius: Siue per Syrtis iter æſtuoſas, Siue facturus per inhoſpitalem Caucaſum. Syrtes in ora Libyæ duæ traduntur, quas uadoſum & reciprocum mare inacceſſas efficit. eius enim defectus aut incrementa haud promptum eſt deprehendere: ita incertis motibus nunc in breuia reſcinditur dorſuoſa, nunc inquietis æſtibus inundatur. Varro autor eſt, perflabilem ibi terram, ſubeuntibus uentis repentini ui ſpiritus, aut reuomere maria, aut reſorbere. Plura leges apud Salluſtium. *Stat.)* ſedet animo certum eſt. Vergilius: Stat caſus renouare omnes.

Penetrare.)

Penetrare.)adire.Sed eſt in hoc uerbo difficultas, inuijq; penè receſſus et longinqui ſignificatio.Verg.Antenor potuit medijs elapſus Achiuis,Illyricos penetrare ſinus. Apud Gades epitaphium legitur hoc: Heliodorus inſanus Carthaginenſis, ad extremũ orbis Sarcophago teſtamento me hic iuſſi condier,ut uiderem ſi quiſpiam me unquam inſanior,ad me uiſendũ ad hæc uſq; loca penetrauerit. Fines noti.)oppoſitas nobis regiones,aut Aethiopiã. Seneca Natur.quæſt.4.in mentione Aethiopiæ:Hauſter,inquit,qui ex illo tractu uenit,uentus calidißimus eſt. Veſtigare.)peragrare. Niualem Boreæ domum.) Septentriones, unde ſpirat Aquilo. Regio eſt aßiduis infeſta niuibus,Pterophoron dicũt:quoniam decidentibus indeſinenter illic pruinis, pennarum ſimile quid exprimitur,ait Solinus. Atlas.)Mauritaniæ mons eſt, è media harenarum uaſtitate conſurgens,ultra nubila caput condit.Repete quæ de Atlante ſuperius ex Euſtathio & alijs autoribus recitauimus. Primo occaſu.)quà pelagus intuetur,quòd eius latus ad Hadriani Cæſaris uſq; tempora inacceſſum fuit. Hydaſpes.) Indiæ fluuius, unde Nilũ manare Philippi filius Alexander exiſtimauit:argumento,quod uterque gigneret Crocodilos. autor Nearchus. Facibus.)tædis. Impius.) non ſacrilegus,ſed in uxorem natamq; crudelis. Pellice.)Pellex(ut Maſſurius ait)apud antiquos ea habita eſt,quæ cum uxor non eſſet, cum aliquo tamen uiuebat: quam nunc uero nomine amicam,paulo honeſtiore concubinam appellamus. C.uerò Flaccus de iure Papyriano ſcribens,pellicem uocari dicit,quæ cum eo cui uxor non ſit,corpus miſceat.alios autem arbitrari eam eſſe,quæ uxoris loco ſine nuptijs in domo ſit, quam Græci παλλακὴν memorãt. Id genus mulieribus à Numa Pompilio conſtituta pœna eſt,hac lege:Pellex aram Iunonis ne tangito:ſi tanget, Iunoni crinibus demißis agnum fœminam cædito. Ducite præclarum triumphum.) Vergilianæ ſimilis Ironia:Egregiam uero laudem,& ſpolia ampla refertis,Tuq; puerq; tuus. Inflãmatura tædas.) ut faces accendat. Noctiuago labori.) quibus filiam uaga quærens noctis tenebras pelleret. Noctiuagam lunam Papinius dixit: à tempore,quo curſum conficit.

Lucus erat prope flumen Acim, ꝙd candida præfert
Sæpe mari pulchroq; ſecat Galatæa natatu,
Denſus,& innexis Aetnæa cacumina ramis
Quà libet uſq; tegens: illic poſuiſſe cruentam
Aegida,captiuamq; pater poſt prælia prædam

Aduexiſſe

Aduexiſſe datur, Phlægræis ſylua ſuperbit
Exuuijs, totumq; nemus uictoria ueſtit,
Hic patuli rictus, hic prodigioſa Gigantum
Tergora dependent, & adhuc crudele minantur
Affixæ facies truncis, immaniaq; oſſa
Serpentum, paſſim tumulis exanguibus albent,
Et rigidæ multo ſuſpirant fulmine pelles,

Prope.) ſecundum. Flumen Acim.) ripas Acis amnis Siciliæ, qui decurrit ex Aetna teli impetu: unde dictus eſt, ut docet Euſtathius. Acis enim Græce, Latine ſagittam ſignificat. hinc ut Sequeſter Vibius refert, in Vlyſſem ſaxa Cyclops egit. Eiuſdem Theocritus, & in Faſtis Ouidius meminit, quũ de Cereris errore loquitur: Præterit & ripas herbifer Aci tuas. Nec Altis hic legas, ut incmendati codices habent. In catholicis Probi legimus hæc: Cis omnia terminata, ſi non fuerint generis communis, Græca ſunt: hinc Acis in Sicilia fluuius, in genitiuo declinatur Acis, & non Acidis, ut ipſe præcipit. carmini tamẽ obſecutus Ouid. Acidis ait, Metamorph. 13. Latitans ego rupe meiq; Acidis in gremio reſidens. Quod.) flumen. Galatæa.) Doridos & Nerei filia. Candida.) ex Heſiodo ſumpſit epitheton. is enim Galatæam canit, candidis comis extitiſſe, & lacti facie ſimili: unde etiam dicta eſt Galatæa. Polyphemus apud Ouidium: Candidior folijs niuei Galatæa liguſtri. Profert.) ſcribe Præfert, id eſt, anteponit mari. nam libentius illic quàm in ſalſis undis abluitur, ob Acis pueri memoriam, nymphæ Symethidos et Fauni filij, qui mutatus in hunc amnem dicitur, quũ eius forma capta Galatæa, Cyclopis amores auerſaretur: idq; iracundè ferens Polyphemus, in ipſius Galateæ gremio deprenſum Acim, coniecto ſaxo oppreſſiſſet. Fabulam ſcribit Ouidius. Denſus.) ſyluis confertus, & ſaltuoſus. Sequentia uero hunc in modum coniunge. Qualibet uſq;.) circum undiq;. Aetnæa cacumina.) ſumma Aetnæ iuga, quæ ſunt altiſſima, ſi Pindaro credimus: qui uocat Aetnam cœli columnam, quaſi cœlum fulciat, ut Atlas. Datur.) uulgo traditur. Papin. 7. Theb. Aſopus genuiſſe datur. et Syluarum 3. Quis ſuperum metuens pariter tot tẽpla, tot aras Promeruiſſe datur. Melibœus apud Vergilium: Sed tamen iſte deus qui ſit, da Tityre nobis: id eſt dic. et Tullius Academicorum primo: Da mihi nunc, ſatiſ' ne probas? id eſt cedo. Pater.) id eſt Iuppiter, eoq; omniam primus inſtituit nuptias, ut Dionyſius autumat: uel ab indulgentia morum, ut ait Diodorus. & à nobis coniuncto nomine

mine Iuppiter quaſi iuuans pater appellatur ex ſententia Ciceronis. Poſuiſſe illic ægida.) *fama eſt, inquit, hoc in luco Ioue deletis Gigantibus tropæū ſtatuiſſe. ſuſpenſa, capræ nutricis ſuæ pelle, qua in eo prælio pro thorace uſus fuerat, ut ſuprà retulimus ex Higyno, & alijs autoribus.* Cruentā.) *gigantū cæde conſperſam. Prædā captiuā, ex hoſtibus parta ſpolia. Iuppiter, ut alij, tropæū de gigantibus fixit in Pu... cuſis: ut Procopius: ad Damaſcū Syriæ: ut Valerius Flaccus, in Theſſalia... Claudianus hic, in Sicilia.*

Sylua ſuperbit.) *gloriantur arbores, & ſibi plac...* Eximijs Phlegræis.) *Gigantū tergoribus, quæ uiſceribus direpta ſuſtinent. ...uias abſolutè prædā dixit, & quibuſcunq; ſpoliati ſunt hoſtes. Tibull. Vt domus hoſtiles præferat exuuias. Phlegræum uero uocamus, qcqd ad Gigantas pertinet, à Phlægra Cāpaniæ ſeu Macedoniæ ciuitate, ubi bellū geßiſſe memorātur. autor Solin. et Strabo Fons eſt Olympias in Arcadia: unde nō procul affirmāt, Arcades, à dijs debellatū cū Gigantibus, non, ut rumor eſt, in Thracia Pallene: & ad iuuandā opinionē fulgetris, procellis et fulminibus ad Olympiadē rem diuinā faciunt. Hæc Pauſan.* Totū ueſtit uictoria nemus.) *Præpoſtera lectio, et ita reſtituenda, Totumq; nemus uictoria ueſtit: ex antiquis codicibus, & præſcriptis etiā numeris. hoc eſt, nulla illic arbor eſt, quæ deorū uictoriæ cōtra Gigantas aliqd inſigne nō geſtet.* Rictus.) *ora. Sed rictus ait, ad exprobrandos agreſtes Gigantū mores & formā. nā uero nomine rictus in beluis roſtra dicuntur.* Patuli.) *immaniter hiantes.* Prodigioſa.) *monſtroſa & uaſta.* Gigantum.) *Homerus in tota Iliade Gigantum nuſquam meminit, in Odyſſea aliquoties ut mortalium, non quaſi diuini generis, ut alij.* Tergora.) *coria, qua ratione ſuprà rictus ait. Hoc autem canit etiā fabula, detractam gigantibus quibuſdam cutem, ut Aſconius. qui cū captū Liberū in Bardynem Syriæ fluuium deieciſſet, à Mercurio domitus eſt, nudatusq; uiſceribus exēptis omnibus excarnificatus, ad quod alluſiſſe uidetur Claudianus.* Adhuc.) *etiam mortuis.* Crudele.) *aduerbiū eſt.* Affixæ facies truncis.) *Sequentibus iis decem uerſibus tropæi periphraſin aſpergit. Maiores enim noſtri fugatis hoſtibus humana ſpecie ſtipitem ſtatuebant in ſummo aliquo iugo eundemq; ſpolijs ornatum, tropæum nominabant. Gn. quippe Pompeius (ut Salluſtius ait) in Pyreneis deuictis Hiſpanis tropæa ſtatuit. Tropæi formam luculenter, ut omnia deſcribit Maro: Ingentem quercum deciſis undiq; ramis Conſtituit tumulo, fulgentiaq; induit arma Mezenti ducis exuuias, tibi magne tropæum Bellipotēs. apud eū plura.*

Serpentum.) *Gigantum pedes in draconum uolumina deſinebant, quod ſignificat nihil eos rectum, nihil ſupernum cogitaſſe, totius uitæ eorum greſ-*

ſu atq; progreſſu in inferna mergente. Macrobius. Tumulis.) aceruis oſſium. Exanguibus.) extinctorum gigantum. Multo ſuſpirant fulmine.) Nam fulminũ, quibus è cœlo transfoßi ſunt, adhuc flammas efflant. Expreßit autem Maronis illud de Aiace, in primo Aeneid. Illum expirantem transfixo pectore flammas. Alij ſanguine legunt ineptißime.

Nullaq́ non magni iactat ſe nominis arbor,
Hæc centumgemini ſtrictos Aegeonis enſes
Curuata uix fronte leuat. liuentibus illa
Exultat Zancli ſpolijs, hæc arma Mimantis
Subſtinet, hos onerat ramos exutus Ophion.
Altior & cunctis abies, umbroſaq́ late
Ipſius Enceladi fumantia geſtat opima,
Summi Terrigenum regis caderetq́ grauata

Magni iactat ſe nominis.) eximio Gigantis alicuius titulo cenſetur. in tropæis enim deuictorum nomina ſcribebantur. Verg. Indutosq; iubet truncos hoſtilibus armis Ipſos ferre duces, inimicaq; nomina figi. Hæc.) ſcilicet arbor. Vix leuat.) ægrè ſuſtinet. Curuata fronde.) legitur & Fronte.

Strictos enſes.) euaginatos. Et eleganter numero multitudinis uſus eſt, ut multas Briarei manus exprimeret. In alijs exemplaribus fractos legi, quod magis placet. Centumgemini.) Verbum Maronis uſurpat: Et centumgeminus Briareus, & belua Lernæ. Illa.) ſcilicet altera arbor. Exultat.) gloriatur. Liuentibus.) pallidis, ut extincti. uel alluſit ad peruerſam Gigãtum naturã. nã liuidos atros etiã dicimus, & nigros itidẽ malos. Horat. Niger eſt Romane caueto. Zancli.) Melius ita quàm Caci. nã Cacus inter Gigantas haudquaquã nominatur. at Zanclus urbi Siciliæ, cui ſuppoſitus eſt, ab ſe nomẽ dedit: ut tradit Stephanus. ea Meſſana nũc dicitur à colonis. Aliã prioris appellationis cauſam Nicãder affert ab hiſtoria. illic enim ferũt abſconſam falcẽ, qua Cœlũ patrẽ Saturnus execuit. quippe falcem Siculi zanclon uocãt. alij codices habẽt Cœi, q Titan et ipſe fuit, Latonæ pater, ut Apollonius canit, & Ouidius. Propert. Te duce uel Iouis arma canã, cœloq; minantem Cœum, & Phlegræis Oromedonta iugis. C. Balbus. Argonauti. 3. Fundo ueluti quum Cœus in imo Vincla Iouis fractoq; trahens adamante catenas, Saturnum Titiumq; uocat, ſpemq; ætheris amens Concipit. Et ita nos emendauimus, quũ uulgati codices haberent omnes: Quũ ceßit in imo Vnda Iouis. Mimantis.) Mimas Ioniæ mons haud procul à Colophone, continuis obſeßus nubibus, ut Homerus & Ariſtophanes cecinerunt.

unde futuræ tempeſtates præſentiuntur: autor Solinus. *Meminit in octauo* Thucydides, *&* Ouidius *in ſecundo* Metamorph. *Et tandem niuibus Rhodope caritura, Mimasq;.* Silius Italicus lib. 4. *Mixtus Athos Pindo, Rhodopeq; adiuncta Mimanti. ſic enim legendum, non Minanti, quod horrenda tauri frons ſit, ut alij ſuſpicantur. Apud octauum Lucani caſtigandum reor: Immeritæq; nemus Rhodopes, pinusq; Mimantis. etiamſi uir alioqui doctiſſimus, minantes, altas accipiat. Eundem Philippi filius Alexander perfodere tentauit, ut refert Pauſanias: quod unum opus fruſtra molitus eſt. Mimas item Troiani generis homo, quem Diomedes interfecit ardente Troia, ut eſt apud Quintũ. Sed in Aſpide Heſiodi Centauri nomen eſt: hic, & apud Horatium Gigantis, quem in mundi dimicatione Mars domuit, ut canit Apollonius Argonauticon tertio: occiſiq; ſpolia dono dedit Aeetæ, patri Medeæ. Claudianus: Occurrit pro fratre Mimas, Lemnumq; calentem Cũ lare Vulcani ſpumantibus eruit undis, Et propè torſiſſet, ſi non Mauortia cuſpis Ante reuelato cerebrum fudiſſet ab ore. Sidonius Apollinaris: Hic Lemnum pro fratre Mimas contra ægida torquet.* Onerat ramos.) *arborem grauat.* Exutus Ophion.) *tergus, & Ophionis ſpolium, qui cõmunibus auſpicijs cum coniuge Eurynome, quam genuit Oceanus, rerũ potitus eſt ante Saturnum: à quo deiectus Ophion eſt à cœli gubernaculis, ut ab Ope Saturni uxore Eurynome, quod in Caſſandra Lycophron innuit, & Ariſtophanes, ac utriuſq; tradit Interpres. Addit Orpheus apud Apollonium non ſolũ regno pulſos, ſed in Oceanum quoq; præcipitatos. Qui legunt Ophias, præterquam quod non habent autores, ineruditis auribus eſſe, carminis ſibilo coarguuntur.* Abies.) *arboris notum genus. aut ſpeciem pro genere poſuit, uſitata poëtarum figura.* Altior cunctis.) *procerior, & quæ maiorem in modum in ſublime euaſerat.* Vmbroſaq; latè.) *quæ ramos longè ſpargit. pro eo quod ſequitur, id quod præcedit.* Geſtat.) *ſuſtinet.* Opima.) *quidq; magnificum amplumq; maiores opimum uocabant, ab Ope Saturni coniuge, quæ terra credebatur, à qua ſunt omnia. inde Opima ſpolia, quæ P. R. dux hoſtium duci detrahebat, ut inquit Verrius: ut quæ Romulus Acroni, Coſſus Tolumnio, Marcellus Viridomaro. Varro tamen ait, opima ſpolia eſſe etiam, ſi manipularis miles detraxerit, dummodo hoſtium Duci detrahat. Prima Ioui Feretrio figebantur, ſecunda Marti, tertia Quirino. Verg. de Marcello: Tertiaq; arma patri ſuſpendet capta Quirino. quod etiam Numæ legis edicto cauebatur, ut eſt apud Liuium.* Fumantia.) *ex incendio fulminis.* Enceladi.) *Hunc Aetnæ ſupponit etiam Callimachus,*

ad hanc ſententiam Græcè ſcribens: Immanem Enceladum triquetris premit inſula terris. Summi terrigenum regis.) *qui Gigantum fuit anteſignanus & princeps, ut hic ait poëta. alij Porphyrionem tradiderunt, & Alcyoneum.* Terrigenum.) *Gigantum, qui Terra matre nati dicuntur. quorum, præter eos quos ante memorauimus, nomina ſunt hæc: Runcus, de quo Neuius in carmine belli Punici primo: Cinnus Cœi frater, à quo Theſſaliæ ciuitas Cinna, ut placet Stephano. Almops Neptunni & Athamantidos Helles filius, à quo Macedoniæ pars Almopia, cuius in Caſſandra Lycophron meminit: Polybotes, in quem Neptunnus eius montis qui Prion apud Con inſulam dicitur, abrupti fruſtum pro telo coniecit, unde Nyſiros inſula nata creditur: & quem Proſerpina ſuſtulit, Beſbicos, à quo cognominis inſula prope Cyzicum, ut de Cyzico ſcribens inquit Agathocles: item Celadon, quem primo Gigantidos Dionyſius poëta celebrat, et Athos, à quo Thraciæ mons Athos, ut Nicander in Europæ quinto refert. quumq; à ſingulis penè Gigantibus appellationem loca ſortita ſint, facile adducor, ut inde quoq; Mimanti nomen hæſiſſe credam, quod Homeri probat interpres. Allus & Pladamus in Arcadia parienti Iouem Rheæ uim facere tentauerunt, ut eſt apud Pauſaniam. Picolaum Sol interfecit, quum Circes inſulam funditus euertere moliretur: ab eiusq; ſanguine pullulauit herba, quam Moly uocat Homerus. hiſtoriam narrat Paphius Alexander. apud Ariſtophanem Cebrion à Venere cæſus aliti nomen dedit. Recenſentur in Gigantomachia à Claudiano, Pelorus, Damaſtor, Echion, & Palleneus. Illud optimo iure quæri poteſt, quó nam pacto in mundi dimicatione dijs auxilio cum Dite Proſerpina uenerit, ut alibi cecinit Claudianus: & nos Agathoclis ſentẽtia memorauimus, ſi priuſquam raperetur, debellati Gigantes erant, ut hic oſtendit.*

Pondere, ni lapſum fulciret proxima quercus.
Inde timor numenq; loco, nemorisq; ſenectæ
Parcitur, æthereisq; nefas nocuiſſe tropæis.
Paſcere nullus oues, nec robora lædere Cyclops
Audet, & ipſe fugit ſacra Polyphemus ab umbra.
Non tamen hoc tardata Ceres, accenditur ultro
Religione loci, uibratq; incerta ſecurim,
Ipſum etiam petitura Iouem: ſuccidere pinus,
Et magis enodes properat proſternere cedros,
Exploratq; abiens truncos, rectiq; tenorem

Cadereiq́; grauata Pondere, ni lapſum fulciret proxima quercus.) id eſt, abies impar oneri cederet, niſi ſuppoſitum robur adminicularetur. Inde timor, numenq́; loco.) ex illa hominum opinione acceßit loco maieſtas, & quædam religio. Nemorisq; ſenectæ Parcitur.) Sacros uetuſtate lucos adoramus, inquit Fabius, in quibus grandia & antiqua robora iam nõ tantam ſpeciem habẽt, quantam religionem. Papin. Stat ſacra ſenectæ Numine. Stirpium uetuſtißima lygos, è uiminum genere fuit in agro Samo, iuxta cuiuſdam indigetis dei ſacellum: proxima Dodonæ quercus, & ab hac in arce Athenarum Palladis oliua, alteraq́; apud inſulam Delum, de qua diximus. tertiam Vetuſtatis palmam tenet in Syria laurus, ad Antiochiæ ſuburbanũ Daphnem: poſtremo platanus, Menelai manu ſata, Caphyis in Arcadia. ſuperiora Pauſanias. plura leges apud Plinium libro 17. An intelligendũ potius eſt, annoſas illic arbores ob id eſſe, quia non cæderentur? Prior ſententia magis conuenit. Nefas.) ſcilicet ducitur. Aethereis.) cœleſtibus, & deorũ honori dicatis. Paſcere oues.) pecudes illuc appellere. Nec robora lædere Cyclops.) Cyclops & Læſtrygon fratres fuerunt: quorum Læſtrygon Antiphatem, Cyclops Polyphemũ genuit. autor Septimius in Dictym. Idem ſuſpicari licet ex Tibulli uerſu ad Meſſalã: Non ualuit cœptos curſus auertere Cyclops, Ceßit & Aetnææ Neptunnius incola rupis. id eſt Polyphemus, quem uidetur à Cyclope diuerſum ſtatuere. Verg. Aeneid. 3. Polyphemum quaſi Cyclopum principem memorat. Homerus ex interpretatione Platonis, ſeculum aureum in Cyclopibus deſignauit, quos ſcribit poſt diluuium montium cacumina tenuiſſe, atq; in ſpeluncis uictitaſſe fructibus ſponte naſcentibus. Ipſe Polyphemus.) Emphaſim pronomen habet: q. d. religionis neglector. de quo Naſo: Nempe ille immitis, & ipſis Horrendus ſyluis, & uiſus ab hoſpite nullo Impune, & magni cum dijs contemptor Olympi. Fugit ab umbra ſacra.) uitat opacum lucum, metu numinis cui ſacer eſt: etiamſi paſtores ramorum frigus auidißimè conſectantur. Polyphemus in Sicilia paſtor fuit, Neptunni filius, & nymphæ quam Thooſam uocat Homerus in Odyſſea. Non tamen hoc tardata Ceres.) non tenuit Cererem loci religio, quin inde faces ſibi conficeret. Accenditur ultro Relligione loci.) immo quo dijs ſacratas arbores intelligebat, eo magis ad excidendũ mouebatur, ut iniuriam uendicaret. putabat enim deos autores fuiſſe, cur eius filia raperetur. Vltro.) multo magis. Verg. His lachrymis uitam damus & miſereſcimus ultro. Vibratq́; incerta ſecurim.) quò fortuna defert bipennem conijcit, obuias quaſq; arbores ſine ullo diſcrimine

ferro

ferro proſternens. Exemplaria quædam legunt Infeſta: quod æquè conuenit. Ipſum etiam petitura Iouem.) Ecce cur non certos ictus libraret, quia nihil intereſſe arbitrabatur, quam prius deijceret. quippe cui erat impetus uel ipſum Iouem, ſi ſe offerret, eodem pacto uulnerare. Properat.) expeditè contendit. Pinus.) Hæc arbor aptiſſima tædis eſt, quia pinguis exudat picem. Magis enodes.) ad ſui generis arbores comparatio fit, non ad pinũ, quæ fuſior (inquit) eſt inter cedros, & minus nodoſa. Cedros.) & inde commodiſſimè faces fiunt. nam & ipſa pingui ſucco eſt, quo perliti libri cariem non ſentiunt, ut ait Vitruuius. Vergilius de Circe: Vrit odoratam nocturna ad carmina cedrum. Exploratq; abiens truncos.) id eſt, Ceres hanc & illam arborem nuſquam conſiſtens tentauit, donec ad germanas illas cupreſſus incidit. Abiens.) obiter inter eundum. nam qui legunt Abies, & accuſandi caſum numeri multitudinis eſſe putant; analogiæ ratione coarguuntur. Rectiq; tenorem ſtipitis.) teretem trunci proceritatem.

Stipitis, & certo prætentat brachia nixu.
Sic qui uecturus longinqua per æquora merces,
Molitur tellure ratem, uitamq; procellis
Obiectare parat, fagos metitur, & alnos,
Et uarium rudibus ſyluis accõmodat uſum:
Quæ longá eſt, tumidis præbebit cornua uelis:
Quæ fortis, malo potior: quæ lenta, fauebit
Remigio: ſtagni patiens, aptanda carinæ.
Tollebant geminæ capita inuiolata cupreſſus
Ceſpite uicino, quales non rupibus Idæ
Miratur Simois, quales non diuite ripa
Lambit Apollinei nemoris nutritor Orontes,

Prætentat.) priuſquam deijciat, experitur. Brachia.) non ſua, quod ineptè nonnulli ſuſpicitur: ſed ramos intellige. Certo nixu.) firmo concuſſu. Sic.) Hoc exemplo docet, quo pacto Ceres arbores exploraret. Qui uecturus merces.) Mercatoris periphraſis. Horat. Impiger extremos currit mercator ad Indos. Longinqua per æquora.) per longũ maris ſpaciũ. uel quæ longinquas, id eſt, peregrinas regiones ac oras alluunt. ut illud:

Seu mea longinquus uiſcera piſcis edet: id eſt externus. Molitur ratem.) nauem conſtruit. Verg. Moliriq; arcē, & manibus ſubuoluere ſaxa. Obiectare.) exponere. Vitam.) caput. Procellis.) maris & cœli tempeſtatibus. Metitur.) menſurat, & tentat. Fagos.) arbores è genere glandiferarum dictæ, quòd ante fruges inde mortales uictitabant. Alnos.) populo non abſimiles: ut eædem ferè credantur. Quin Phaëthontis ſorores in alnos mutatas ait Maro, quas Ouidius in populos. Aptæ nauigijs ideo ſunt, quòd aquis obrutæ diu non corrumpuntur, ut demonſtrauimus. Rudibus ſyluis accomodat uſum.) id eſt, materiem ſuo quanq; muneri deputat, antequam cædat. nam prius eligit arbores ad opus idoneas, deinde ferro deiectas importat. Quæ longa eſt.) Ratio, quam cædendæ materiæ mercator habere debet. & iſta dicuntur ex perſona mercatoris. procerior, inquit, arbor, Præbebit cornua.) Extremis antennis conueniet, quas noſtrorum plures cum Vergilio cornua uocant. C. Balbus græca uoce Ceruchos. Velis tumidis.) uento plenis. Fortis.) dura, ſicut eſt robur. Potior.) magis apta. Clauo.) gubernaculo. Quidam codices habent malo: quæ lectio caſtigatior. Quæ lenta.) flexibilis eſt, ut ulmus atq; fraxinus. Fauebit.) utilis erit ad remos, qui mollicie commendantur. inde Verg. Antè & Tinacria lentandus remus in unda. Stagni patiens.) quæ aquis non corrumpitur. Aptanda.) adhibenda, ſ. eſt. Carinæ.) ſupremæ ratis parti, quæ fluctibus condita ſemper eſt. Tollebant geminæ capita inuiolata cupreſſus.) Erant illic duæ cupreſſi, germana quadam ſimilitudine pares, & inceduæ, quæ in ſummam euaſerant altitudinem. Cupreſſus.) Antiqua declinatio. nam fagos & fagus, lauros & laurus ex arbitrio dicebant. Varro de gente P.R. primò: Fagus, quas Græce φήγους uocant. C. autem Cæſar de Analogia 2. Fagos, populos, ulmos, dicendum tradit. Vicino ceſpite.) propinquo ſolo: hoc eſt, inter ſe proximæ. Quales non rupibus Idæ Miratur Simois.) pulchriores quàm quæ proueniunt in Ida Troiana, quas uiſendæ proceritatis eſſe Vergilius innuit: Nec ſalici, lotoq;, nec Idæis cypariſsis. Simois agri Troiani fluuius eſt fama quàm natura maior, Homeri poëtarumq; carminibus celeberrimus. Lambit.) Metaphora à lingua: quo ſignificat, Orontem leniter ſuas ripas perſtringere. Horatius: Vel quæ loca fabuloſus Lambit Hydaſpes. Orontes.) amnis ab interiore Syria caput tollit, mox inter Apameā & Antiochiā demergitur in hiatum, quē Charybdim uocant. inde quinque milibus paſſuum per cuniculum lapſus, rurſus emergit, inq; proximum Apameæ ſalum ſe condit. Typhon antea dicebatur

à Typhone

à Typhone gigante illic fulminato, ut ſcribit Strabo. mox ab eo qui ripas ponte iunxit Orontis nomen accepit. is Indus genere fuit, in alueo fluuij ſepultus: eius aliquando fictile conditorium cubitis undecim, et q; amplius longum, cum cadauere paris magnitudinis effoſum eſt ab Imperatore quodam Romano, qui fluuium nauium capacem ab Antiochia uſq; ad eius oſtium fecit: autor Pauſanias. Antiochiam ſecat ſi Dionyſio poëtæ credimus. Nutritor Apollinei nemoris.) In cuius ripis ſpectatiſſimæ lauri uirēt. Et alluſit ad Daphnē Antiochiæ ſuburbanum, quod octuaginta ſtadiorū ambitu claudebatur: ut Strabo refert. Arrhianus & Pauſanias, quæ de Ladonis filia Daphne & Apolline fabula canit, hic geſta credit, & inde nomen loco datum. Loci meminit Iulianus Cæſar oratione quadam quæ Miſopogon inſcribitur. Seleucus Apollini conſecrauit originis ſuæ monimentum: ſiquidem mater eius Laodice, quum nupta eſſet Antiocho, claro inter Philippi duces uiro, uiſa eſt ſibi per quietem ex concubitu Apollinis concepiſſe. hiſtoriam refert Trogus. Hinc Auſonius in urbium catalogo: Phœbææ lauri domus Antiochia. Lyciæ præterea ſolum Daphne fuit, & in ipſis Ponti faucibus ad dexteram nauiganti portus: ex Stephano. Daphnas ad oſtium Nili Peluſiacū, reddit Herodotus. Apollinis Daphnæi lucus immenſæ proceritatis alit cupreſſos, in memoriā Cypariſſi, quem puerū ferunt Aſſyrij in ſui nominis arborē apud ſe mutatū. quorū opinioni patrocinatur ipſarū cupreſſorū, quæ proueniunt illic, inuſitata ſpecies. Hæc in Apollonij uita Philoſtratus.

Germanas adeò credas, ſic frondibus æquis
Aſtant, & ſocio deſpectant uertice lucum.
Hæc placuere faces, pernix inuadit utranq;
Cincta ſinus, exerta manus, armata bipenni,
Alternaſq; ferit, totiſq; obnoxia trementes
Viribus impellit: pariter traxere ruinam,
Et pariter poſuere comam, campoq; recumbunt
Faunorum Dryadumq; dolor, complectitur ambas
Sicut erant, alteq; leuat, retroq; ſolutis
Crinibus, aſcendit faſtigia montis anheli,
Exuperatq; æſtus, & nulli peruia ſaxa,
Atq; indignantes ueſtigia calcat harenas.
Qualis pæſtiferas animare ad crimina taxos

K Torua

Torua Megæra ruit, Cadmi ſeu mœnia poſcat,

Adeò.)quippe. affirmandi particula. Credas.)arbitreris, ſi ſpectes. Germanas.)ſorores geminas, tanta ſimilitudine confundũtur. Frondibus æquis.)paribus ramis. alij legunt Frontibus æquis, id eſt, pari faſtigio. Socio uertice.)æquali altitudine. Deſpectant lucum.)exuperant cæteras arbores. nã quæ ſunt infra nos, ea deſpectamus. Hæ placuere faces.)has cupreſſos idoneas rata Ceres eſt, unde ſibi faces conficeret. Pernix.)uelox, id eſt illico. Inuadit.)aggreditur. Cincta ſinus.)ſubductis ueſtibus. Exerta manus.)nudatis lacertis, ut expeditior ad ictus eſſet.

Armata bipenni.)ſecuri. Alternasq; ferit.)mutuis uulneribus utranq; cedit. nam modo hanc, modo illam ferro petebat. Pariter traxere ruinã.) ſimul humi procubuerunt. Faunorum Dryadumq; dolor.) Dryades & Faunos cõmunibus penè ſacris Antiquitas uenerebatur, eoſdemq; res agreſtes curare exiſtimabat. ideoq; pariter inuocantur à Marone: Et uos agreſtũ præſentia numina Fauni, Ferte ſimul Satyriq; pedem Dryadesq; puellæ. Cupreſſum Fauni geſtabant, ut idem Maro teſtatur: Et teneram ab radice ferẽs Syluane cupreſſum. Cauſam refert Seruius: neſcio tamen an ueram, quum Cypariſſum Naſo delicias Apollinis, nõ Syluani fuiſſe tradat: ut inde cupreſſorum cauſa doluerint. Dryades autem, quoniam quum ſint arboribus æquæuæ, ut canit Pindarus, unà cum ijs cadebant. Quin ex ijs quædam acceptam ſalutem Rhœco tulit, quòd eius arbor iam ruenti pedamentũ ſuppoſuiſſet. Hiſtoriam ſcribit Charon Lampſacenus. Magna Cereris indignatio, quæ ne ſacrorum quidem conſortibus nymphis pepercerit. quippe nullus huic deæ cultus abſq; nymphis exhibebatur, ex cauſa quam Mnaſeas Patreus memorat. Vetuſtiores enim quum carnibus etiam ſui generis ueſcerentur, nympharum monitu ad mitiorem uictum reuocati terræ fœtus ac mel in cibis habere cœperunt. quippe Meliſſa quædam nympha forte fauum nacta guſtauit, quumq; placuiſſet, alijs ut ederent exemplo fuit, oſtenditq; quo pacto in poculis aquam melle diluerent. Res (inquit) in Peloponneſo geſta traditur. inde Græcorũ lingua apis Meliſſa dicta eſt: inſtitutumq;, ut rem diuinam propemodum nemo faceret, ſine grata nympharũ mentione: matrimonia præſertim, quæ uocant ab eis nymphia: quoniã mortalibus nymphæ pietatis & religionis autores extiterant. Nunc autem nymphas irata Ceres offendit, quarum prius iniurias acerbiſſimè perſequebatur: quippe quæ fame confecerat

me confecerat

me confecerit Eriſichthonem, quod eiſdem ſacras arbores excidiſſet, ut in Hymnis Callimachus innuit. Fabulam narrat Ouidius octauo Metamorph. ubi non Dryopeius Eriſichthon à populis, ut quidam putant: ſed Triopeius appellatur à patre Triopa: ſiue potius Triope, quod Hellanico fere placuit, à quo Triops, non Triopa declinatur. Higynus alios (arbitror) ſequutus autores, hiſtoriam uariauit. Ad hæc Ariſtides de rebus Italicis tertio, ex inceſto Valerij Tuſculani, qui cum filia concubuit editum Faunũ tradit. Complectitur.) corripit ipſa Ceres. Ambas.) Ambo non eſt dicendum, niſi de ijs quæ uno tempore quid faciunt: ut puta, Eteocles & Polynices ambo perierunt, quaſi dicas unà. Romulus aũt & Aphricanus nõ ambo triumphauerunt, ſed uterq;, quia diuerſo tempore. hæc Soſipater. Sicut erant.) nam ramos non amputauit. Retroq́; ſolutis Crinibus.) demißis poſt tergum comis. Aſcendit faſtigia.) ſuperat altitudinem. Montis anheli.) Aetnæ quæ perpetuo flagrat incendio. Exuperat.) euadit. Aeſtus.) ignium uapores. Et nulli peruia ſaxa.) rupes alijs inacceſſas. Indignantes ueſtigia.) quò nemo propter ardores accedit. nam calida fauilla calcantium pedes exurit. eadem per comparationem Papinius etiam refert. Qualis.) Cereris habitum cognato deſcribit exemplo. nam Ceres Erinnys etiam dicta eſt, ſumptaq́; Furiæ forma, cũ Neptunno concubuit. Megæra.) παρὰ τὸ μεγαίρειν, id eſt, ab inuidendo. Animare.) ut animet, hoc eſt accendat. nam Zenoni Stoico animus ignis uidetur, ut inquit Cicero. Sed ignis animal eſt. nam & alimento indiget, & per ſe mouetur: & quum extinguitur, uelut ſi occidatur, uocem emittit, ut tradit Plutarchus. Ad crimina.) patrandis ſceleribus. uel ad homines deprauandos, quod Furiarum munus eſt, ut alibi Claudianus in Ruffinum teſtatur. Taxos peſtiferas.) Arbor notißima taxus eſt, copioſior in Hiſpania Galliaq́; proueniens: unde toxicum uulgo dicimus, ut Plinius autumat. Aduerſus hoc uenenum corui remedium monſtrauerunt, ipſius arboris frondes. ideoq́; taxum coruaciam Galli uocant, ut inter naturæ miracula tradit Ariſtoteles. Eandem Sextius ſmylacẽ uocari Græcè putat: eſſeq́; in Arcadia adeò noxiam, ut ſi qui dormiant ſub ea, cibum ue capiant, emoriantur. Papin. Metuendaq́; ſucco Taxus. Cadmi mœnia.) Thebas, quas è Phœnicia profectus Cadmus, in Bœotia condidit, ex oraculo præuiã bouẽ ſequutus, ut narrat Ouidius, eoq́; prior in tertio de bello Titanũ Muſæus. Ab hoc animante Bœotiæ nomẽ inditũ Caſtor autumat. aliunde Nicocrates & Euphorion, ut cõmodius exponemus.

Porro Thebas ab Aegyptijs Thebis Cadmus appellauit, ut in nomenclaturis oppidorum ſcribit Archemachus: quod Leon, Coſmes, Xenagoras, et Nicanor affirmant. illinc enim migraſſe Cadmum, Diodorus & alij prodiderunt. Is, ut alij, Phoenicis: ut Pherecydes, quem ſequimur, Agenoris filius fuit, ex Argiope Nili filia ſuſceptus. Lycus uero, qui Thebanam ſcripſit hiſtoriam, poſt Deucalionis (inquit) diluuium Iuppiter Eodamam Tithoni filiam cõpreßit, eius cui pater fuit Amphictyon eademq; maturo partu Theben genuit, quæ mox Ogygi nupſit: unde Thebas Ogygias dictas aiunt. Ogyges autẽ Neptunno patre, & nympha cui nomen Aliſtra natus eſt. Itaq; Thebas Cadmi moenia Claudianus, ut urbem Alcathoi Megaram dixit Ouidius. nam Pelopis filius Alcathous cædis in Chryſippum fratrem ſuſpectus, Megaram confugit: occiſoq; Leone, qui Citheronius à ſaltu, quem frequentabat, appellatur: multosq; & in ijs Megarei regis filium Enippum necarat, aſcitus Megareo gener in regno ſucceßit. autor Dirrechidas. Hic ille Alcathous eſt, in cuius Apollo gratiam, Megaræ conſtruxit arcem: quumq; ſub quadam muri parte lyram depoſuiſſet, neruorum ſonum lapis attraxit, ut Palæphatus, & Pauſanias prodiderunt: ac in Ciri Vergilius, & Theognis.

φοῖβ᾽ ἄναξ αὐτὸς μὲν ἐπύργωσας πόλιν ἄκρην Ἀλκάθοῳ πέλοπος παιδὶ χαριζόμενος.

id eſt, Phœbe pater, ſummam muniſti turribus urbem, Eſſes Tantalidæ gratus ut Alcathoo. Quin uniuerſa quandoq; Bœotia, Cadmeis à Cadmo dicta eſt, ut docet Thucydides. Hoc autẽ ſumpſit ex illo Statij, qui de Furia ſic ait: Arripit extemplo Maleæ de ualle reſurgens, Notum iter ad Thebas: neq; enim uelocior ullas Itq; reditq; uias, cognataq; Tartara mauult.

Siue Thyeſtæis properet ſæuire Mycenis,
Dant tenebræ maneſq; locum, plantiſq; reſultant
Tartara ferratis, donec Phlegethontis in unda
Conſtitit, & plenos accepit lampade fluctus.
Poſtquam eſt peruentum ſcopuli flagrantis in ora,
Protinus arſuras auerſa fronte cupreſſus
Faucibus iniecit medijs, lateq; cauernas
Texit, & undantem flammarum obſtruxit hiatum.
Compreſſo mons igne tonat, clauſuſq; laborat
Mulciber, obducti nequeunt exire uapores.

Mycenis.) Perſeus Iouis & Danaës filius in Pelopõneſo Mycenas condidit Mercurij monitu, quum μύκης, id eſt eius gladij capulus illic ſibi lapſus

eſſet: unde nomen, ut legimus apud Nicandrum. Quidam dictas autumant ἀπὸ τοῦ μυκᾶσθαι, *quod ibidem ſtabulata bos Io mugiebat. inde Papin. Iſi Phoroneis quondam ſtabulata ſub antris. Sunt qui Myceneo Spartonis filio Phoronei regis fratri cognomines arbitrẽtur. in ijs Thyeſtes regnauit, quem Tantali filius & Euryanaſſæ Pelops, ex Hippodamia ſuſcepit, ut in Pelopidis tradit Doſitheus. quumq; is Aëropen Atrei fratris uxorem uitiaſſet, Atreus ex eo ſtupro conceptum puerum epulandum patri appoſuit. Thyeſtes ex oraculo Pelopæam filiam compreßit, unde natus Aegiſthus eſt patris ultor. Hoc argumento Tragœdiã Maro ſcripſit, ſed eam pro ſua Varus edidit, ut refert Donatus. aliam deinde Vectius magna laude compoſuit, ut docet Fabius. Extat & Senecæ fabula Thyeſtes, in qua Megæra ab inferis Tantali umbram, ad inflammandas ad ſcelera fratrũ mentes, ijs uerbis educit: Perge deteſtabilis umbra, & penates impios Furijs age. Inde Thyeſtæas poëta Mycenas dixit, alludens ad tempus, quo profecta illuc eſt furia. Sicut Lucanus: Qualem fugiente per ortus Sole, Thyeſtææ noctem duxere Mycenæ. Dant tenebræ maneſq; locum.) Obſcuritas & umbræ ſimul fugiunt, altera lucis aduentu, alteræ metu Furiæ. Tibullus: Tiſiphoneq; impexa feros pro crinibus angues Sæuit, & huc illuc impia turba fugit. Plenos accepit lampade fluctus.) tædas accendit ex amne Phlegethonte, qui flãmas agit, ut dictũ eſt. Scopuli.) montis, ut Maro: Saxi de uertice paſtor.*

Ora.) fauces, Aetnæq; hiatus, quas crateras appellant, ut inquit Strabo.

Arſuras.) ut ignem corriperent. Auerſa fronte.) reflexo uultu, propter immixtam fumo fauillam, quam non ferebat. aliqui interpretantur, auerſo cupreſſorum faſtigio comaq;. Compreſſo igne.) obſtructo flammarum exitu. Laborat.) completis omnibus antris æſtu & fumo: quum nõ haberent, unde euaporarent. Mulciber.) Vulcanus: quod ignis exiſtimatur, qui mulcet ac domat omnia. Egnatius de rerũ natura libro primo: Deniq; Mulciber & ipſe ferens altißima cœli Contigit. Eundem Iunonis abſq; uiri accubitu, cũ Heſiodo nonnulli filiũ ſentiunt, Homerus Iunonis ex Ioue. cuius officinam Vetuſtas in Aeolijs inſulis ſtatuit: ubi (ſi Pythææ credimus) ſi quis eius opera uti uolebat, depoſito ueſperi precio, quodcunq; petierat, ibidem mane reperiebat. Fingitur & Aetnam colere. Vergilius in Aetna: Principio, ne quẽ capiat fallacia uatum, Sedes eſſe dei, tumidiſq; è faucibus ignem Vulcani ruere, & clauſis reſonare cauernis, Feſtinantis opus. Eadẽ de Lipare, Strongyle, Lẽnoq; fama eſt, ut canit Balbus. Ob id inſularis appellatur apud Obſcœni carminis autorem: Ductor ferreus inſularis æque

laternæ uideor fricare cornu. nam facetè Vulcanũ cornu fricare dixit, ſumpto ioci colore ex illo Plauti: Quo ambulas tu, qui Vulcanum concluſum in cornu geris? Ignis enim dum clauſus intra laternam ſurſum uerſus ſuapte natura nititur, flammas ſubinde uibrans corpus inter ſe miſcentium ſpeciem repræſentat, ipſumq́; laternæ cornu fricare quodammodo uidetur. Ergo io coſè de puellæ macie præqueſtus: Videor, inquit, mihi cum laternæ cornu miſcere corpus, æque pro ac ductor ferreus inſularis, id eſt, Vulcanus, qui faber eſt, & inſulas colit. nec ineleganter ductor ferreus faber appellatur, qui ferrum ducit, id eſt cædendo porrigit, ut demonſtrauimus. Hæc & ſi noſtræ uerecundiæ non conueniunt, explicaſſe tamen piaculum non fuerit, quum uiri non indocti & graues in ijs interpretandis fruſtra ſe torqueant.

Obducti uapores.) *præcluſus æſtus.*

Coniferi micuere apices, creuitq́; fauillis
Aetna nouis, ſtrident admiſſo ſulphure rami.
Tum ne deficerent tantis erroribus ignes,
Semper inocciduos inſopitosq́; manere
Iuſſit, & arcano perfudit robora ſucco,
Quo Phaëthon irrorat equos, quo luna iuuencos.
Iamq́; ſoporiferas nocturna ſilentia terris
Explicuere uices, laniato pectore longas
Incohat illa uias, & ſic ingreſſa profatur:

Coniferi apices.) *cupreſſi comæ, quæ conos ferunt. ſic enim Columella cupreſſi fructus appellat.* Micuere.) *ſubitis ignibus exarſerunt.* Creuitq́; fauillis Aetna nouis.) *flagrantibus tædis Aetnæ incendium auctum eſt.* Strident.) *crepitant ex incendio.* Admiſſo ſulphure.) *Aetnæ flamma correpti, cuius nutrimentum ſulphur eſt. Idem de Cereris errore ac facibus tragœdiarũ poëta canit Carcinus.* Ne deficerent.) *impares eſſent.* Tantis erroribus.) *adeò longis, & tam diuturnis.* Iuſſit.) *ut numen.* Inocciduos.) *inextinctos.* Inſopitos.) *ſemper accenſos. eadem metaphora uſus eſt Statius: An tacita uigilet face Troicus ignis.* Perfudit.) *delibuit, atq; infecit.* Robora.) *tædas.* Arcano ſucco.) *ſacro medicamine, ut eſt apud Ouidiũ: cuius uerbũ Claudianus expoſuit. quippe ſacrũ ſanctumq́;, idem quod arcanum quandoq; ſignificat Seneca: Sacra diræ mortis in aperto iacent. inde ſanctaria atq; ſacraria dicta loca, quo tantum ſacerdotibus adi-*

tus

tus eſt,ut initio retulimus. Hirpinos Lucanis annexos Italiæ populos Varroſcribit, tinctis medicamento quodam pedũ plantis ignes innoxie perambulaſſe: quod ſuo more religioni tribuit Maro. Phaëthon,Solis & Clymenes filius apud Ouidiũ.Phaëtontis epitheton Soli dat Homerus, & tragœdiarum poëta Sophocles.Homerus, ἠλιος φαέθων. *Eodem nomine fuiſſe canit Heſiodus, Auroraq; Cephaloq; genitum. Abſyrtus etiam Phaëthon dictus eſt,ut Scythicorum ſecundo Timonax ait. Alexander Aetolus in eo cui titulum fecit* ἀλκι, *canit ineunte uere gramen apud Inſulas beatorum naſci, quo ſol eius paſcat equos, ut irrequieto curſu non rumpantur. hoc illud eſſe gramen quo guſtato Glaucus in mare deſiluerit. Hic ad Ouidij carmen alluſit,in 2. Metamorph. de Phaëthonte: Tũ pater ora ſui ſacro medicamine nati Contigit, & rapidæ fecit patientia flammæ.* Luna iuuencos.) *Mulus uehiculũ lunæ trahit,quòd ſterilis uterq; ſit,ut inquit Verrius. An ideo potius,quia ſicut mulus non ex ſui generis parentibus procreatur,ſed ex equa aſinoq;: ita ea ſolis,ac alieno non ſuo fulgore luceat? Alij iuuencos lunæ bigis adhibuerũt,ut hic,& in Phœnice Claudianus: Nitidos ſtupefacta iuuencos Luna premit. Auienus: Et quæ noctiuagos attollit luna iuuencos. Auſonius ad Paulinum: Iam ſuccedentes quatiebat luna iuuencos. Placiadesq; Fulgentius in Mythologijs: Aſtrigeroq; nitens diademate luna bicornis, Bullatum bijugis conſcenderat æthera tauris. In quibus eadem quæ prior in mulis ratio eſt. nam ſterilis à Tibullo bos appellatur: & tauri quo ferocitatem deponãt,ac ruſtico operi fiant habiliores caſtrari mos eſt,ut tradit Xenophõ, & uulgo notum. Forſan ab ipſius animalis & lunæ cornuum ſimilitudine tractum ſit. Apis etiam bos in Aegypto lunæ ſacer erat,eidemq; ſemeſtrem bouem Græci mactabant. hoc eſt,qui plenos ſex lunæ curſus egiſſet: alij ſeptimo,alij decimo poſt partum die, quum nomina liberis imponebant. Vocatur item luna Tauropola, quod omnia tauri modo circumeat, ut placet Apollodoro. deniq; Mithra,quod ſolis nomen eſt apud Perſas, ut refert Hoſthanes, ſub antro quodam Leonis ſpecie effictus erat, utraq; manu bouis cornua comprimens: per quod ex interpretatione Lutatij luna repræſentatur, quam ſol propterea torquet, quòd eius luminibus aliquando officiat. Papinius in 1. Theb. Seu Perſæi ſub rupibus antri, Indignata ſequi torquentem cornua Mithrã. Quid ſi hoc argumentũ ſit arcani ritus? quippe nemo ad Mithræ myſteria prius admittebatur, quàm diu ſub quibuſdã ſpecubus in quæſtionibus habitus, certa fortitudinis et patientiæ documẽta dediſſet, ut legimus apud Suidã.* Iamq; ſoporiferas &c.) *deſcribit noctis aduentũ*

Nocturna

Nocturna ſilentia.)Circumlocutio noctis intempeſtæ,quo tempore tacet omnia. Explicuere uices ſoporiferas.)*ſomnum ſparſerunt, qui laborũ uiciſſitudinẽ mortalibus exhibet:efficitq́;,ut alterna quiete corpora reparentur.* Incohat.)*Accuſatiuo iunxit imitatione Maronis:*Te *ſine nil altũ mens incohat.Suetonius:*Emiſſarium *Fucini lacus incoharit.* Cicero: Incohatum *opus reliquit.atq; ita dicendum* Diomedes *præcipit.* Capella *tamen ut neutrũ protulit:*India *ab* Emodis *montibus incohat.itidẽ* Seruius Grammaticus,*&* Seuerinus. *In catholicis* Probi *ſic inuenio:* Ho *primæ coniugationis eſt,& hauı facit;incobo incohas incohaui.quidam putãt dici inchoare, imperitiſſimè. nam neq; poſt c literam h* Latina *uerba regunt, exceptis tribus nominibus (quæ ſuprà poſui) pulcher,orchus,lurcho:neq; o litera ante o alterũ* Latinorũ *uerborũ prima perſona reperitur:ſed illæ tres uocales, quas antè poſui, e i u. nam nec a,nec o.* Quod *igitur* Plautus *poſuit reboo,nõ* Latinè,*ſed* Græcè *poſuit:* βοῶ βοᾷς.*unde deriuatiuum reboo.* Hæc *totidem uerbis ex ipſo* Probo. Longas *uias.)diuturnos errores.*

Non tales geſtare tibi Proſerpina tædas
Sperabam,ſed uota mihi communia matrum,
Et thalami,feſtæq; faces,cœloq; canendus
Ante oculos Hymenæus erat.ſic numina fatis
Voluimur,& nullo Lacheſis diſcrimine ſæuit.
Quàm nuper ſublimis eram,quantiſq; procorum
Cingebar ſtudijs,quæ non mihi pignus ob unum
Cædebat numeroſa parens:tu prima uoluptas,
Tu poſtrema mihi,per te fœcunda uidebar.
O decus,ô requies,ô grata ſuperbia matris:
Qua geſſi florente deam,qua ſoſpite nunquam
Inferior Iunone fui,nunc ſquallida,uilis:
Hoc placitum patri.cur autem aſcribimns illum
His lachrimys?ego te(fateor)crudelis ademi,
Quæ te deſerui ſolam,quæ inſtantibus ultro
Hoſtibus expoſui.raucis ſecura fruebar
Nimirum thyaſis,& læta ſonantibus armis
Iungebam Phrygios,quum tu raperere,leones.

Accipe

Accipe quas merui pœnas, en ora fatiſcunt
Vulneribus, grandesq́ue rubent in pectore ſulci.

Non tales geſtare tibi Proſerpina tædas Sperabã.) Ineuntis iter Cereris. Oratio flebilis, et ad mouendos affectus, qui mitiores dicuntur, omni ex parte accõmodata: Nõ expectabã huiuſmodi tibi faces præferre. atq; ita pathos excitat, ab eo quod dicitur præter ſpem. nam parentes in connubijs liberorum faces accendebant. hinc Iocaſta queritur apud Euripidem: ἐγὼ δ' οὔτε πυρὸς ἀνάψαι φῶς νόμιμον ἐν γάμοις, *Ego neq; tibi de more nuptiales accendi faces. Sed uota mihi cõmunia matrũ.) putabam fore, ut ex te generũ mihi aſciſcerem, ex quo nepotes ſuſciperem, quod aliæ matres imperant. eoq́; pacto demonſtrat, improba ſua uota non extitiſſe. Et thalami feſtæq́; faces.) declarat quid expetiſſet. uidelicet filiæ connubium, quod per ambitum deſignauit. nam thalamus, genialis lectus eſt, & nouam nuptam quinq; faces præibant ex alba ſpina quas pueri patrimi matrimiq́; geſtabant, ut ſcribit Feſtus, et Plutarchus in quæſtionibus. Cœloq́; canendus Ante oculos Hymenæus erat.) Fingebam mihi propediem tuas in cœlo nuptias ſolenni more celebraturam, uerſibus etiam Feſceninis in Hymenæum decantatis. cuius generis apud nos Catullus exemplum reliquit huiuſmodi: Collis ô Heliconij cultor Vraniæ genus, Qui rapis teneram ad uirũ uirginem, O Hymenæe, Hymen ades, ô Hymenæe. reliqua illic. Sic numina fatis Voluimur.) ita Parcarum decretis etiam dij ſubijcimur. Deos fatis ſubeſſe Poſidonius non exiſtimat, qui primo Iouem, deinde Naturã, poſtremò Fatum ſtatuit. At Seneca: Ille ipſe conditor, inquit, ac rector, ſcripſit quidem Fata, ſed ſequitur. Martialis ad Silium: Numina quum uideas duris obnoxia fatis, Inuidia poſſis exonerare deos. Quin ipſe Iuppiter apud Ouidium 10. Metamorph. deos ita alloquitur: Vos etiam quoq; hoc animo meliore feratis) Me quoq; fata regunt. Lacheſis.) una Parcarum. de qua ſatis multa iam diximus.*

Sæuit.) ex affectu ſuo dixit. Nullo diſcrimine.) in omnes uno ordine, neq; curat dij ne ſint, an mortales. Horatius: Aequa lege neceßitas Sortitur inſignes & imos. Sublimis.) elata. Studijs.) ambitu. Procorum.) Proſerpinam matrimonio petentium. Quæ non numeroſa parens.) quæ nõ fœcundißima mater, & quæ plures genuerat. Ob unũ pignus.) propter unicam natam Proſerpinam. Sequitur (ut diximus) Orpheum. nam cæteri dant alios huic deæ liberos. & Pauſanias ex Neptunno Deſpinam, quam colunt Arcades, & ab Anyto Titane tradunt educatam. Tu prima uoluptas, Tu poſtrema mihi.) Conuerſio ſermonis ad filiam, quam Ceres unicã

peperit. miſericordiam uero captat definitio. Per te.) *tua cauſa.* Fœcunda.) *mater, ac minus ſterilis.* O decus, ô requies.) Ecphoneſis. Qua florente.) *qua ſoſpite.* Geſsi deam.) *ſuſtinui numinus dignitatem.* Iunone.) *quæ* Iouis *& ipſa coniunx fuit.* Nunc.) *ſine te.* Squallida.) *ſordibus obſita.* Vilis.) *ſubaudi ſum.* Sic placitum patri.) Inuidioſè hoc ait, *ut* Aeneas *apud* Vergilium: Poſt quam res Aſiæ, Priamiq; euertere gentem Immeritam uiſum ſuperis. Cur autem.) Exornatio, quam correptionem *uocat* Cicero. Aſcribimus illum His lachrymis.) *cur huius cladis autorē* Iouem *dicimus?* Ego te crudelis ademi.) *quum tu mea culpa perieris.*

Quæ te deſerui ſolam.) Ratio *cur ipſa filiam peremerit, quòd abſq; ſe puellam reliquerit.* Hoſtibus.) *raptoribus.* Inſtantibus.) *qui tuæ rapinæ inhiabant.* Expoſui.) *obieci.* Nimirum.) *ſanè.* Secura.) *à metu ocioſa. honeſta inuerſio, quæ increpat.* Fruebar.) *uoluptatem capiebam.* Raucis thyaſis.) *ex matris* Ideæ *fanaticis, ad raucum tympani ſonum ſaltantibus, ac inter eos ipſa tripudians.* Sonantibus armis.) *armorum plauſu, quem* Corybantes *edebant. de quibus uide, quæ ſuprà ex* Strabone *Græcisq; autoribus expoſuimus.* Iungebam leones.) *ad currum* Cybeles, *quem leones trahūt, ut antè diximus.* Phrygios.) Berecyntiæ, *quæ colitur apud* Phrygas. Accipe.) *dictycōs, idemq; ſignificat, quod paulò pòſt* En. Verg. Accipe nūc Danaum inſidias: *id eſt ecce tibi. quamuis aliter* Seruius. Ora.) *genæ.* Fatiſcunt.) *rimas agunt.* Vulneribus.) *unguibus laceratæ.* Sulci.) *cicatrices.*

Immemor en uterus crebro contunditur ictu.
Qua te parte poli? quo te ſub cardine quæram?
Quis monſtrator erit? quæ me ueſtigia ducent?
Quis currus? ferus ille quis eſt? terræ'ne, maris'ne
Incola? quæ uolucrum deprendam ſigna rotarum?
Ibo, ibo quócunq; pedes, quócunq; iubebit
Caſus: ſic Venerem quærat deſerta Dione.
Efficiet'ne labor? rurſus te nata licebit
Amplecti? manet ille decor? manet ille genarum
Fulgor? an infelix talem fortaſſe uidebo,
Qualis nocte uenis? qualem per ſomnia uidi?
Sic ait, & prima greſſus molitur ab Aetna,

Exitijq;

Exitijq́ꝫ reos flores, ipſumq́ꝫ rapinæ
Deteſtata locum, ſequitur diſperſa uiarum
Indicia, & pleno rimatur lumine campos,
Inclinatq́ꝫ faces. omnis madet orbita fletu,
Omnibus admugit. quócunqꝫ it, in æquore fuluis
Adnatat umbra fretis, extremaq́ꝫ lucis imago
Italiam Libyamq́ꝫ ferit, clareſcit Etruſcum

Immemor.) oblitus officij ſui. Qua te parte poli.) ſub qua cœli plaga. Cardine.) polo. Monſtrator.) raptoris index, aut tui. Quæ me ueſtigia ducent.) quibus'nam ueſtigijs inſiſtam? Quis currus? ferus ille quis eſt?) Crebræ interrogatiunculæ ex addubitatione pathos augent. Signa rotarum.) orbitam. Volucrum.) quippe quas equi uelociſsimi rapiebant. Ibo ibo.) pathos excitat repetitio. Sic.) ut nunc ego. Deſerta.) orbata liberis, ut ipſa Ceres, quæ deſerta per epitheton dicitur, ex quo Proſerpina rapta eſt. Verg. Aeneid. 2. Eſt urbe egreſsis tumulus, templumq́; uetuſtum, Deſertæ Cereris. Nonnulli tamen ad ædis ſolitudinē referunt, quod non improbamus. eius enim deæ templa ſemper in angulis ac ſeceſsibus ex antiqua religione conſtituebantur, & quò frequentes homines non confluerent, ut Vitruuij teſtimonio demonſtrauimus. Dione.) Tethyos & Oceani filia, mater Veneris, ut canit Homerus. is enim non nouit Heſiodi fabulam, de cœli pudendis & ſpuma maris, unde nata ſit Venus. Ab hac, ut Theopompus in Philippicis ait, Dionæa Cypri urbs dicta eſt. Euripides in Antigone, Dionem uocat, quam Pindarus & alij præterea Thyonem, uidelicet Liberi matrem Semelem. Panyaſis autem non Bacchi parentem Thyonem, ſed eiuſdem nutricem fuiſſe canit, Heraclææ libro tertio. Efficiet'ne.) proderit. Labor.) in te quærenda ſuſceptus. Licebit.) dabitur'ne mihi unquam te rurſus amplecti? Manet.) adhuc reliquus eſt. Ille decor.) illa uenuſtas, & formæ gratia. Genarum fulgor.) Alluſit ad Lunam, quam uetuſtas eandem cum Proſerpina credidit. Qualis nocte uenis? qualem per ſomnia uidi.) cuiuſmodi per quietem mihi obſeruata es. Molitur greſſus.) uiam capeſsit. A prima Aetna.) à ſummo Aetnæ uertice. Vel intellige primos greſſus, & erit hypallage. Deteſtata.) maledictis & execrationibus proſecuta. Reos exitij.) cladis affines, & quorum cauſa Proſerpina rapta eſt. & inde ſuſpicari licet, ad Aetnam montem rem geſtam. nam Ceres adhuc erat in Aetna, quum rapinæ locum deteſtabatur.

*Viarum indicia.)orbitam ueſtigiaq́;. Pleno lumine.)ardenti tæda. Statius de Cerere: Magnæ uariabat imagine flammæ. Rimatur.)diligenter exquirit. Inclinat facem.)geſtum ſcrutantis expreßit. Omnis madet orbita fletu.)quodcunq; rotæ ueſtigium deprehendebat, deſiderio filiæ Ceres fletu rigabat. Omnibus admugit, quocunq; it.)*Hunc locum ſumſit ex cõparatione Papinij, qui 12. Thebaid. *in mẽtione* Cereris *ita ait:* Illius *inſanis ululatibus ipſe remugit* Enceladus, *ruptoq́; uias illuminat igni.* Perſephonen *amnes, ſyluæ, freta, nubila clamant,* Perſephonen Stygij *tantũ tacet aula mariti. Fuluis adnatat umbra fretis.)* Idem Papinius: *Qualis ab Aetneis accenſa lampade ſaxis Orba Ceres magnæ uariabat imagine flammæ Auſonium Siculumq́; latus. Fuluis.)ignis repercuſſu. nam quũ fulgor in aquas incidit, fuluum colorẽ reddit, qui de uiridi atq; ruſo mixtus uidetur, ut inquit* Gellius. *Aliqui fuluum dicũt, ex nigro rubroq́; concretũ, qui color mari conuenit. nam purpureum mare uocat* Homerus*: & omnes ceruleum.* Pacuuius *flauas appellat aquas, & æquor* Ennius: *Verrunt ex templo placidũ mare marmore flauo. Quod in* Ruffinũ Claudianus *uſurpat: Flauis incertior undis. Prior tamen ſententia magis placet, ut habeat igneum de tæda, uiride ſiue cæruleum de ſalo. Italiam.)Multis antea nominibus* Italia *dicebatur: Argeſſa, quod tradit interpres* Lycophronis*: Saturnia, Auſonia, Tyrrhenia, demum à uitulis Italia, quorum in ea magna copia fuit, & itali ueteri* Græcorum *lingua uocabantur:* Timæus *autor, &* Varro. Vergilius *à duce nomen inditum putat:* Oenotrij *coluere uiri, nunc fama minores* Italiam *dixiſſe ducis de nomine gentem.* Itali Prudentius *in* Symmachum *meminit: Aßiſtunt etiam priſcorum inſignia regum* Dux Italus, *Ianusq́; bifrons, genitorq́;* Sabinus. *Ferit.)igneus fulgor.* Libyam.) *littus* Aphricæ, *quæ* Libya *dicta eſt, ut ſentit* Varro, *quaſi* λιπια. *nã cœlo terraq́; penuria aquarum eſt, ut ait* Saluſtius. *Clareſcit.)illuſtratur.*

Littus, & accenſo reſplendent æquore Syrtes.
Antra procul Scyllæa petit, canibusq́ reductis
Pars ſtupefacta ſilet, pars nondum exterrita latrat.

Etruſcum littus.)Tyrrheni maris ora. nam Thuſcia *uelut* ἕτερος ὅρος Etruria *dicta eſt. quippe quà* Romanos *fines alluit* Tyberis, *Etruriæ terminus olim fuit: eiuſdemq́; alteram ripam* Romani, *alteram tenebant* Etruſci. Iuuenalis: *Imperij fines* Tyberinum *uirgo natauit. Alij dictos* Etruſcos *autumant, ab eiuſdem regionis oppido* Atria, *quam* Diomedes *condidit, &*

Aethriam

Aethriam primo nominatam ſcribit Stephanus:uel ἀπὸ τοῦ τὴν αἴθραν ἀσκεῖν, propter auguriorum peritiam, quia de cœlo ſeruantes exercent æthera. Quod ſi uerum ſit,oporteret eius nominis primam produci, quam corripi tamen frequentius obſeruabis. Thuſci præterea,ſeu quod eſt idem Tyrrheni,Campaniam tenuerunt,ut refert Plinius,& in Vergilium Donatus:quorum coloniam fuiſſe Capuam,tradit Mella Pomponius, & Puteolos Pauſanias,ἐν Δικαιαρχίᾳ τῇ Τυῤῥηνῶν, id eſt,apud Dicæarchiam Tyrrhenorum. Tibullus de balneis Puteolanis: Me tenet Aethruſcis manat quæ fontibus unda,Vnda ſub æſtiuum non adeunda canem. Lucretij carmen de Rerum natura lib.6.ſic emaculandum fuit. Hic locus eſt Cumas apud Aethruſcos per montes,Oppleti calidis ubi fumant fontibus aucti.nam de Auerno loquitur. Sed hic aliqui legunt utrunq; littus,ex Papinio, cuius carmen antea recitauimus: Magnæ uariabat imagine flammæ Auſonium Siculumq́; latus. prior tamen lectio caſtigatior. Syrtes.)numero multitudinis ait,quoniam duæ ſunt, ut diximus. Antra procul Scyllæa petit.)Ita ſanè legendum:non Scylla petit,ut uitiati codices habent. Tædarum ſplendor,inquit,Scyllæ ſpecus euerberat in freto Siculo. Scylla ſaxū eſt,appulſis noxium,quod hactenus nomen retinet, etiam ſi Scyllum neutro genere uulgus efferat. Palæphatus inter ea quæ fidem non capiunt, meretricem fuiſſe Scyllam tradit: quæ quum degluberet amatores,indignatione deorum in maris monſtrum conuerſa ſit ex puella,quale deſcribitur in Odyſſæa,corporis ingenti uaſtitate, ſenis ceruicibus,bis totidem pedibus,ordine dentium triplici,quæ fauces ad prædam proferat ex altiſsima ſpecu,ut Dionyſius interpretatur. Palæphati teſtimonio Vergilius ad Meſſalam ſcribens utitur:Docta Palæphatia teſtatur uoce papyrus. Et ita noſtra caſtigatione Minutianus impreſsit. in alijs omnibus exemplaribus cicatricoſum carmen inuenies: Noſtra Palepaphia teſtatur uoce Pachynus. idq́; neſciò quis (nam Domitij gloſſulas illas eſſe non arbitror)ad Venerem Pachynumq́; Siciliæ promontorium perridiculè refert. Acuſilaus Scyllam Phorco patre natam tradit. Heſiodus in magnis codicibus ex Phorbante,nec inter omnes in matre conuenit. Homerus Cratæin, Steſichorus Lamiam uocat, quæ & ipſa ex formoſa puella in monſtrum uerſa necat infantes:efferata,quòd inuidia Iunonis omni ſobole,quam ex Ioue peperat,orbata ſit,ut Libycorum 2. ſcribit Duris. ex Græcis quidam prodiderunt Hecates eſſe filiam: ſed Hecaten & Cratæin eandem accipit Apollonius. Ex hac hiſtoria Vergilij uerſus ex Ciri mendoſos, & ſyllabis olim uacillantibus in hos redegimus numeros,ipſiq́; Minutiano dedi-

mus imprimendos: Ipſi ſeu Lamie mater ſit, ſiue Crateis, Siue illam monſtro genuit Perſæa biformi, Siue eſt neutra parens. Hecaten intelligit in Perſæa, ſicut in monſtro biformi Phorcum: ne quis hæreat in ſalebra. Scylla præterea Niſi filia fuit, quæ ſucciſo fatali parentis crine, Niſæam arcem Minoi prodidit. Sed is puellæ ſcelus auerſatus, ab eius nauis clauo pendentem per æquor raptauit, quoad in auem Cirin Amphitrites ope migrauit. Fabulam Græco carmine Parthenius memorat: inde Saronicus ſinus dictus eſt, ut placet Euſtathio. Noſtri nominis affinitate abutuntur. nam maris etiam monſtrum Niſi eidem uocat Ouidius. Reductis.) *lucis metu cohercitis canibus, quibus inguinum tenus uallata eſt.* Pars.) *catulorum.* Stupefacta.) *nimio tædarum fulgore.* Nondum exterrita.) *pauefacta.* Latrat.) *baubat. utraq; canum propria uox eſt.*

F I N I S.

813,172

B A S I L E AE,
IN OFFICINA ROBERTI
VVINTER, MENSE
Martio. Anno.

M. D. XXXIX.



BIBLIOTECA R. BONGHI
BIBLIOTECA R.

158